Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacraromanarota0001emma

EMMANUELE CERCHIARI
ADVOCATO
SACRAE ROMANAE ROTAE RESTITUTAE IN STUDIIS ADIUTORE
ROTALIS ARCHIVII AD VATICANUM CUSTODE
BIBLIOTHECARIO

CAPELLANI PAPAE ET APOSTOLICAE SEDIS

AUDITORES CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI

SEU

SACRA ROMANA ROTA

AB ORIGINE AD DIEM USQUE 20 SEPTEMBRIS 1870

RELATIO HISTORICA - IURIDICA
SSMO D. N. BENEDICTO PAPAE XV
DICATA

VOLUMEN I

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMXXI

C334

CAPELLANI PAPAE ET APOSTOLICAE SEDIS

AUDITORES CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI

SEU

SACRA ROMANA ROTA

AB ORIGINE AD DIEM USQUE 20 SEPTEMBRIS 1870

RELATIO HISTORICA - IURIDICA

RELATIO



ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXI

6251

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., *S. P. Magister.*

IMPRIMATUR:

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., *Vices gerens.*

Auctor sibi vindicat et reservat omnia iura proprietatis ad tramites vigentium legum.

BENEDICTO PAPAE XV

P. O. M.

BELLANTIUM POPULORUM RECTORIBUS

AEQUI RATIONES

SAPIENTISSIMO AUCTORI

ECCLESIAE

DECRETALIUM AEVO DILAPSO

CANONICI CODICIS

DATORI PROVIDENTISSIMO

SACRAE ROMANAE ROTAE TRIBUNALIS

HISTORIAM

PER CUIUS PRAECIPUE DECISIONES ET SENTENTIAS

SEPTEM SOECULIS

CANONUM LEGUMQUE AEQUITATE ET IURE PROMULGATIS

PAULLATIM

HUMANAE GENTIS

EFFERATI MILITIA VITIISQUE MORES

DE INTEGRO INNOVATI SUNT

EMMANUEL CERCHIARI

HUMILLIME

D. D. D.

PRAEFATIO

Sacrae romanae Rotae quae origo, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros ingens, qua fruita omni tempore est, parte auctaque sit gloria – vix ac rotalis archivii ad Vaticanum, amore et providentia Viri Eminentissimi Michaëlis Lega, tunc restitutae Rotae Decani (cui ideo maximas gratias rependo), custodiam recepi – prescribere mihi constitutum fuit.

Me operae praetium nacturum fore existimavi, si rerum notitiam non ex scriptorum discorde relatu, sed ex genuinis rotalibus historicis documentis duxissem, haecque collegissem in unum typisque vulgassem, ut illud reipsa consequeretur quod in cuiusvis rei cognitione praecipue salubre et frugiferum est, « omnis exempli documenta in illustri posita « monumento intueri », unde quid recte vel inepte traditum, quid per errorem retentum usque in praesens fuerit, capiatur.

Hinc quin litterarios, historicos fontes citatos videbis, quos, qui sint, praefatione ad tertium operis volumen plenissime refero.

Et opus deinde in quatuor partes divisum: in prima, de origine Rotae, de admissione Auditorum, de rotalibus iudiciis, de rotali collegio tractatum habeo; in altera Auditorum seriem retexo; in tertia documentorum congeriem, et in quarta aliquot ex praecipuis rotalibus iudiciariis formulis publici iuris facio et uniuscuiusque partis singularem Indicem Indicemque generalem universi operis trado: partium autem unaquaeque qua ratione, quo methodo composita fuerit, initio, praefatione vel speciali capite, ostendo.

14. – Sed hae historiographorum conclusiones mihi minime probantur: fuerit enim Cancellarii potestas reipsa tam plena, ut ad litteram accipi debeant superius relata verba s. Bernardi abbatis, equidem Papa caput Ecclesiae manebat supremum et Imperii, cuius proinde Cancellarius magis non erat quam illius *primus administer*, uti vox ipsa: *Cancellarius*, significat.[1] Ideo in Papa nulla zelotypia potuit rationabiliter excitari.

15. – Vera quidem factorum aliunde est ratio quaeritanda. Nam per soeculum XII summopere insudatum est, res Ecclesiae ad praecepta romani tunc renascentis iuris ordinare. Praecipue vero - polyticam lineam Hildebrandi insequendo - Papae suam iuridicam positionem in Imperio supra Imperatorem restituere. Ideo Papae conveniens visum est iura attribuere et positionem quibus Imperator pollebat in Imperio, et ex hoc, primo, illi constituere romanum Cancellarium. Maxima erat tunc temporis penes homines imperialis Cancellarii existimatio, et summopere ad supremi Principis splendorem et maiestatem ac reipublicae rectam administrationem, officium illud conferre vulgo retinebatur.[2]

16. – Attamen, interpretantibus leges, tunc temporis novas, id facile contigit ut non omnia recte intellecta fuerint, neque omnia scite ordinata. Re ipsa, factum fuit quod Papa, sibi aestimans non aliam in iudiciis positionem convenire quam publici administratoris, ratus sit iuris praecepto satisfacere, per se excipiendo, audiendo, definiendo omnes privatorum querelas. Quod quidem illius personam cogebat dies noctesque insumere iudiciis perficiendis, nunquam tutus, nunquam suus. Vitium agnovit sanctus Bernardus abbas, qui ad Eugenium III in libro *De consideratione* inolitum morem carpens,[3] sug-

« et ob eam causam ordinatum fuit quod per diminutionem de coetero Vicecancel-« larius appellaretur ». Et addens, se haec nullibi legisse, concludit: « Abitror, « *aliunde* hoc nomen Vicecancellarii processisse ».

[1] In omnibus iuribus aliud non significat vox Cancellarius, nisi *primum* supremi Principis *administrum*.

[2] S. BERNARDUS ad Eugenium III scribebat: « Habere bonum, iustum et bonae « famae Cancellarium, apostolicae dignitatis non modica pars est; *apostolicae admi-« nistrationis non parvum adminiculum est*; apostolicae conscientiae non medio-« cris custodiae est » (*Epist. 280*). Distinguit sedulo divus Doctor dignitatem a conscientia, et aperte dignitati tribuit habere Cancellarium; hunc autem bonum, iustum et bonae famae, praesidio non mediocri Papae conscientiae esse, merito affirmat.

[3] « Quaeso te, quale est istud de mane usque ad vesperas litigare, aut liti-« gantes audire? Et utinam sufficeret diei malitia sua! non sunt liberae noctes; « vix relinquitur necessitati naturae quod corpusculi pausationi sufficiat... dic, « quaeso, ubi unquam sis liber, ubi tutus, ubi tuus? ». Et alibi exclamat: « Agi-« tentur causae, sed sicut oportet. Nam is modus, qui frequentatur, exsecrabilis plane

gerit, alia esse lege utendum, vel secus eamdem accipiendam, ita ut, sibi Papa reservatis causis quae necessario ad eum intrare debebant, alias aliis committeret terminandas.[1]

17. – Quid simile in Cancellarii institutione accidisse mihi facile persuadetur. Nam, Romanorum legibus Praefecto praetorio sacri palatii (nempe Cancellario Imperii) talis tantaque in omnia, quae ad imperialem audientiam deferebantur, potestas et iurisdictio demandatur, ut reipsa aptius describi non valeat, quam verbis quibus sanctus Bernardus potestatem et iurisdictionem romani Cancellarii descripsit.

18. – Porro, romanum Cancellarium effecisse romani imperii Cancellario parem, quin Papa sibi (et quidem merito), eamdem in omnibus iuridicam positionem in Ecclesia arrogasset, ac de iure erat in imperio Imperatori constituta, error intellectus fuit, unde in praxi multo maius officium administri officio supremi Principis videri debuit.

19. – Ast ita compositae res longo tempore probari non poterant. Ideo Alexander III - celebris ille iurisconsultus Rolandus qui per complures annos cancellarium egerat - 18 annis sui pontificatus non Cancellarium, sed Vice-Cancellarium sibi constituit, opera usus notariorum, ut ecce Hermanni, Theodori, Gerardi, Gratiani etc.[2]

20. – Aequius theologica-iuridica Papae positio in Ecclesia librata est. Christus enim sibi in Ecclesia unum in persona Petri Cancellarium constituit, ubi unum Petrum iussit, agnos ovesque pascere, illique formiter declaravit: « *quaecumque solveris ... erunt soluta; quae-* « *cumque ligaveris ... erunt ligata* ». Ita quidem Petri et Christi unum effectum est tribunal, unumque consistorium.[3] Cum igitur haec Papae

« et qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceat » (*De consid.*, l. I, c. III, n. 1 et c. X, n. 13).

[1] « Illas quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) « diligenter velim, sed breviter decidere assuescas.... *Aliis alias multas poteris* « *committere terminandas;* quamplures nec dignas audientia iudicare » (Idem, l. c., cap. X, n. 13).

[2] Migne, *Patr. lat.*, vol. 200, 67; G. B. Bovio, *La pietà trionfante*, pag. 250-251. Accipio ab hoc auctore testimonium facti, utpote quod textibus firmatur: sed admittere nequeo causam quam ipse facto assignat. Scribit ipse: « Per anni 18 in circa « non s'intese la voce di Cancelliere nella Curia Romana, mentre la carica fu dai « notari adempiuta, non avendola il sopradetto Alessandro, atteso lo scisma accen- « nato, voluta dare ad alcuno ». Sed si schisma causa rei fuisset, eccur Alexander anno XVIII sui pontificatus, schismate adhuc durante, officium contulisset Alberto Mora, cardinali? Alia quidem fuit causa, et quidem penitus iuridica, uti mox ostendemus.

[3] Gomez, l. c, fol. 6t, animadvertit: « Constat summum pontificem solum in « ecclesia Dei appellari... cancellarium Dei cum quo unum et idem consistorium

3. – Quidam vero, novissime, asseruit, probari posse Rotae patrem fuisse Innocentium IV, soeculo XIII. – At idem auctor, rimatis historicis monumentis, perspectum habet et tradit, Capellanos Papae Auditores causarum ante hunc Papam iamdiu exstitisse.

4. – Complures, ex eo quod Papae contentiones christifidelium usque consueverunt dirimere, ad ipsa romani Pontificis iudicatus exordia originem Rotae retrotrahunt. – Verum, istos speciem cum genere confundere, liquido patet: siquidem s. r. Rotam non unum fuisse romanae ecclesiae tribunal, neque universas quae in romana curia fuerunt tractatae causas iudicasse, lippi atque tonsores norunt.

5. – Denique nonnulli - ne omnium memorem - putant, s. r. Rotam talis generis fuisse institutum, in praeexistentibus iuribus et consuetudinibus fundamentum habens, quod multa ex eiusdem generis institutis, extra Ecclesiam existentibus, elementa hausit, varie evolutis iuxta contingentes per soecula historicas vicissitudines; ideoque – inferunt ipsi – vera illius origo primaevo illo instituto est addicenda cuius cetera evolutiones fuerunt: et concludunt, agi reipsa historiam Rotae non posse, nisi ab illo exordiatur. – Sed isti historiam tribunalis cum historia iurisprudentiae , seu iuris intellectus, confundunt.

6. – Etenim, in quavis bene ordinata publica administratione, potissima publicae potestatis pars - potestas nempe iudicialis – per tribunalia exercetur; ideo tribunalia non veluti fungi nascuntur, sed certis positivis legibus et ordinationibus necessario conduntur et ordinantur. Evolutio proinde iurisprudentiae, seu iuris intellectus, id efficit ut ubi tribunal conditur, ita vel ita condatur et ordinetur: sed conditur ubi conditur; conditur per legem, illud ad esse ponentem, et non per aliud: conditur quando publica potestas legem tribunal constituentem fert et promulgat. Haec quidem adeo firma sunt, ut hactenus auditum non sit, publicas potestates iudicialem iurisdictionem non exercuisse per tribunalia, et maxima cura prae ceteris omnibus tribunalia non condidisse et ordinasse.

7. – Age nunc: romanam ecclesiam prae cunctis bene ordinatis publicis administrationibus ordinatissimam fuisse et esse, apud omnes est in confesso. Potuit ne, igitur, Rota ipsi, spontanea veluti generatione, nasci, non certa, sapientiori, positiva lege condita, non consultissimis ordinationibus constituta; Rota, inquam, maximum romanae ecclesiae tribunal, per quod maxime Papae pluribus soeculis potissimam suae universalis iurisdictionis partem exercuerunt? – Si tantummodo animadvertatur, huius tribunalis sententias fuisse ubique gentium exsequendas et exsequutas, auctoritate praeditis Auditoribus Impera-

tores et Reges ceterasque omnes ecclesiasticas et laicas potestates sub poenis et censuris ad eas exsequendas compellendi, somnium forte somniari videretur, nedum admittere quod fuerunt et sunt, sed vel hypothesi fingere quod fuerint et sint qui s. r. Rotam per aliud natam putent quam per certam positivam legem, illiusque originem tenebris obrui et in tenebris delitescere!

8. – Nos ergo – ne nosmet tenebris committamus et ipsi – auctorum placita linquere, et potius iuribus ac historicis genuinis fontibus insistere oportet, ut originem s. r. Rotae certo constabiliamus.

9. – Igitur, in primis animadvertere praestat, in quotquot supersunt adhuc historicis fontibus, a die 20 sept. 1870 ad annum saltem 1274 editis, absoluta continuitate membris, quibus coaluit s. r. Rota, unum semper inditum fuisse nomen, scilicet: *Capellani pape, et apostolice sedis Auditores causarum sacri palatii apostolici.* Argumento sint *Documenta* a me collecta in *III vol.* a *pag. 53 ad finem usque.*

10. – Immediate antea, eadem membra sacri tribunalis vocata sunt: *Capellani pape, Auditores generales curie domini pape.* Et hoc videas eodem loco a *pag. 27* et sqq. – Sed per breve tempus; nam antea simpliciter appellabantur: *Capellani pape Auditores causarum*, uti ex eodem *vol. III* colligitur a *pag. 7* et sqq;

11. – Quousque tandem retroascendendo pervenitur? Profecto non ultra alteram medietatem soeculi XII. Etsi enim quaeritando investigaverim, in textibus tamen superiorum temporum, datum mihi non fuit huius nominis vestigium invenire. Sed neque alii archiviorum diligentissimi venatores fortunatiori indagine aliquid reperierunt. [1]

12. – Quanam de causa? patebit inferius. Interim non convellenda conclusione asserere possumus, nomen: *Capellani Papae et apostolicae sedis, Auditores causarum s. p. a.*, quo membra Rotae per sex soecula cum dimidio appellata sunt, initia coepisse soeculo XII, non mox in integra sua verborum omnium formula conflatum, sed pedetentim, per circiter unius soeculi spatium efformatum.

13. – Hac posita conclusione, quaestio animum pulsat, utrum scilicet praefatum nomen inconsulto et quasi ex ioco, aut non potius scite et ex causa inventum impositumque fuerit.

14. – Verum, cum – uti supra scripsi – per tribunalia potissima publicae potestatis pars exerceatur et ideo ea positivis certisque

[1] Philips *K. R. VI, § 305, 307,* asserit, Capellanos Papae sub nomine Auditorum causarum certo non inveniri ante Innocentium II (*1130-1143*) et Lucium II (*1144-1145*).

legibus publica potestas condat et ordinet, publica Ecclesiae potestas neque inconsulto, minus vero ex ioco, poterat suo maximo tribunali nomen imponere. Igitur, scite et ex causa; et haec quidem adaequata. Non enim ex ioco per unum fere soeculum ad efformandam nominis integram formam adlaboratum est!

15. – Profecto, rebus imponuntur nomina ut ipsis conveniant; quod maxime locum habet ubi res sit de iuridicis entibus, iure et lege specifice creatis. Ideo tale nomen inventum inditumque fuit, ut eo apprime significarentur essentia, natura et qualitas tribunalis; illud scilicet, in summa, quod hodie vocamus *iuridicam figuram.*

16. – Quapropter iuridica figura tribunalis Capellanorum Papae, Auditorum causarum s. p. a., tribus hisce elementis coaluit, videlicet: 1° Capellani Papae, 2° Auditores, 3° causarum s. p. a.[1] Ex iis unum si desit, iam non Capellanorum tribunal est, sed aliud.

17. – Fluit hinc, originem Rotae eo temporis esse addicendam, quo tale ius constitutum est ex quo Auditorum Rotae iuridica figura progigni potuit.

18. – Verum, ante soeculum XII datum ne fuit viguitque tale ius?

19. – Ne hic vel summatim exponam quae fusius in sequentibus paragraphis erunt enucleanda, innuam tantummodo, causas apostolici palatii, seu causas curiae domini papae, certum scilicet et determinatum causarum genus, inductum esse non ante annum 1245, post latam de causis devolutis legem ab Innocentio IV in I concilio generali lugdunensi.[2] – Nominis *Auditoris* certa significatio et ambitus ab uno Innocentio III statuta sunt anno 1204.[3] Quonam igitur pacto existere potuit anteactis temporibus iuridica s. r. Rotae figura?

20. – Hisce igitur historice indubiis, iam nulla subest ratio cur investigetur utrum superioribus soeculis viguerit ius ex quo progigni potuerit s. r. Rota.

21. – Scrutari oportet potius, num reipsa soeculo XII latum constitutumque ius fuerit, par s. r. Rotam progignere.

[1] Pro nunc, ne narrationis ordo perturbetur, tria haec elementa sufficiat enumerasse; sed non hisce solis iuridica figura nostrorum Auditorum coaluit, uti ex sequentibus capitibus patebit, et dicam apertius in fine capitis X.

[2] Vol. III, pag. 22, n. 28 sqq.

[3] Ibi, pag. 8, n. 8.

CAPUT II.

Renascentia iuris Romanorum, huiusque assumptio in auxilium iuris canonici.

1. – Profecto historiae iuris cultorum nescit nemo, soeculo XII ius Romanorum renatum fuisse.

2. – Tam grande facinus (cuius magnitudo nonnisi subsequutae humanorum civilisationis magnitudine metitur) terribilia illa soecula immediate consequutum est, quibus, religionis zelo Caroli Magni et Ludovici Pii et Henrici II, insana utriusque Othonis ac utrius Henrici III et IV audacia romanam sedem ad instar clientis redigendi successit; unde, factionibus Romae exardescentibus et non raro praedominantibus, concubinatus simoniaeque tabe utrumque clerum eo peredente ut papatus ipse vel a foemina indignis dari potuerit, vel a puero consequi, vel pecunia emi, antipapis insurgentibus, haeresibus undique grassantibus et Bizantino schismate a Michaële Cerulario iterum excitato et confirmato, maiestas romani pontificatus summopere deciderat. [1]

3. – Talibus soeculis facinus illud grande immediate – inquam – successit: eo quidem immediate ut inventum volitumque videatur, tamquam efficax parque unum tot aerumnis medendis tantisque malis a radice evellendis.

4. – Quandoquidem Irnerium – cui de facinoris paternitate hominum abnuit nullus – florere coepisse sub fine soeculi XI, vivente adhuc, vel vix defuncto Gregorio VII (1073-1085) – celebre illo Hildebrando qui contra Imperatoris audaciam sicut gigas surrexit et tamquam murus stetit – hodie in probatis est.

5. – Porro quis non crederet Irnerium neque casu, neque marte suo, sed potius Hildebrandi, seu Gregorii VII, mandato iustinianeum codicem sacratissimarum legum e silentis alicuius monasterii bibliothecae pluteis eruisse, e graeco in sermonem latinum vertisse ac legisse palam glossisque exornasse?

6. – Hildebrandi acuta mentis acies facile perspicere debuit, Ecclesiam in sacro romano Imperio non defensionem neque auxilium, sed oppressionem et servitutem nacturam fore usque, dum eidem Imperio una constitutiva non daretur propria et specialis lex (equidem non carolingia, neque germanica, sed sacra et romana, uti sacrum et romanum erat Imperium) qua in veritate et iustitia iuridicae uniuscuiusque

[1] Humbertus Benigni, *Historiae ecclesiasticae propaedeutica*, III edit., Romae, 1916, pag. 208 sqq.

Imperii hyerarchiae positiones scite definirentur ac constabilirentur, cuiusque imperium et iussa Imperator revereri iuramento adigeretur, et Papa invocare atque urgere posset contra Imperatoris audaciam et praepotentiam. [1]

7. – Ast quidnam ad hoc vetusto Romanorum iure aptius efficaciusque? Ideo hoc e silentibus bibliothecarum pluteis eruendum; hoc ideo in vulgus spargendum, ut, cognitum et a populis libere ultroque receptum, facile facturum foret, auctoritate Papae, ius Imperii simul et Ecclesiae.

8. – Equidem securus hic sapientiorque rerum intuitus acie mentis Hildebrandi dignus videtur et omnino illorum temporum necessitudinibus conveniens; ipsaque Romanorum iuris renascentia, voluntati Hildebrandi attributa, in ea parem sufficientemque sibi causam nanciscitur quam profecto illi non suppeditat sola Irnerii (privati hominis) opera et auctoritas. Utcumque: egerit Irnerius marte suo, vel Papae mandato (ex operis institutione hunc funditus historiae punctum scrutari ac definire non est), in facto est, Monachos in novum ius addiscendum profitendumque tanto haestuasse ardore, ut, veluti a mente deserti, claustra sua turmatim deseruerint, huc illucque cursitantes, intuitu munere vel iudicum vel advocatorum in curiis tum ecclesiasticorum quum laicorum Principum, fungendi; [2] in facto est, Papam vel ipsum sua ad normam huius iuris hinc ab initio soeculi XII componere coepisse; [3] in facto est, Hispaniarum Regem leges partitarum ad praecepta novi iuris composuisse; [4] in facto est, nondum elapso soeculo a defunctione Hildebrandi, iam tuto et efficaciter coram ipso Papa invocari potuisse in causis auctoritatem novi iuris, [5] ad Papam

[1] Equidem hodie animo difficile haurimus quanam prudentia sacrum romanum Imperium creari potuerit, nulla ei data propria constitutiva lege, sed omnibus relictis et fundatis supra fidelitatem qua Imperator observaturus foret obligationes ex iuramento dimanantes fidelitatis, subiectionis et tutelae.

[2] Hos compescere adnisus est Alexander III qui in conciliis turonensi ann. 1163 et abricantensi ann. 1173 (LABBEUS, *Concilia gen.*, tom. XIII) decreta edidit, ab Honorio III serius innovata et a Gregorio IX et Bonifacio VIII *Decretalium* collectioni inserta. (*Decr. Greg. IX*, lib. III, tit. I, cap. III. *Non magnopere; VI Decretal. Bonif. VIII*, lib. III, tit. XXIV, cap. I. *Statutum*).

[3] Initio soeculi XII iam distinctionem fieri occeptum fuisse inter res tractandas a Papa, qua Papa, vel a Papa qua civili domino ecclesiasticae dītionis, multis testimoniis ostenditur: ex eis aliqua vide in ALPHEN.: *L'administration de Rome au moyen âge. Paris, 1907;* paullo post, Papam coepisse privatorum causas suo iudicio delatas more publici administratoris personaliter diiudicare, actibus praesertim Eugenii III (1145-1153) et testimonio S. Bernardi abbatis in libro *De consideratione* ad eumdem Eugenium III apertissime patet (*Confer.* MIGNE, *Patr. lat., vol. 182*).

[4] DE LUCA, *Theatr.*, lib. IV, part. I, *De Servitut.*, disc. I, n. 11.

[5] Vol. III huius operis, pag. 1, n. 1.

christifidelibus undique recurrentibus pro dirimendis etiam privatis controversiis,[1] non secus ac antiquitus Romani ad Imperatorem pro hisce causis recursum habuerunt.

9. – Denique in facto est, ultro gentes a longobardo Imperatore iuri quod olim acceperant unamquamque sese regendi propriis legibus[2] nuncium mittentes, brevi ius Romanorum renatum in proprium ius assumpsisse, quod ideo omnibus factum est *ius commune*.

10. – Deinde, necesse veluti fuit liberam huius iuris ex parte populorum acceptionem quodammodo sancire et legislativa[3] legitima potestate firmare: coeptum proinde fuit multiplicibus in conciliis, praesertim sub Alexandro III (1159-1181) congregatis, romanas leges iustinianei codicis in sacros canones convertere:[3] ast vel quia legum, quarum nedum observantia sed et litera iamdiu perierat,[4] acceptio neque illico firma neque ubique uniformis esse poterat; vel quia gravioris quidem ponderis viam incoeptam persequi visum est; vel, verius, quia superfluum et incongruum ductum est in sacros canones commutare leges mixti fori materias concernentes, canonizare in conciliis romanas leges desitum est.

11. – Et re ipsa, sub fine pontificatus Alexandri III rariora concilia, rariores canones in ecclesiasticas imperiales leges vertentes fiunt, uti conciliorum acta rimantibus facile probatur.

12. – Ast vix, aut paullo post, ac Alexandri immediatus successor Lucius III (1181-1185) – Petri cathedram ascendit, generale decretum, leges Romanorum in auxiliarias ecclesiasticarum assumens, latum est. Nam Lucius, brevissimo pontificatus sui tempore, ad consultationem Patavini episcopi super nunciatione novi operis, decreto decrevit, etiam canonico iudicio esse negocia terminanda « secundum legum « et canonum statuta », profecto « quia, sicut humane leges non dedi-

[1] S. Bernardus Ab., in libro *De consideratione*.

[2] Muratori, *Dissertationes;* Romanis quod ademerat ius suis legibus sese regendi, ad precem Leonis IV Lotharius Imperator iterum restituit. (*Decretum Gratiani*, part. I, dist. X, c. XIII).

[3] Labbeus, *Concilia gen.,* tom. XIII. Ut uno utar exemplo recolam canon IX concil. turonen. 1163: « Calumniam et audaciam temere litigantium condemnando « in expensas et alio multiplici remedio imperialis sanxio compescit. Quoniam igitur « sacris constitutis consonare dignoscitur, praecipimus ut de cetero in pravis causis « victor victori in expensas condemnetur, nisi forte, sicut cautum est, pro absente « feratur sententia ».

[4] De Luca, in citato disc. I *de Servitut.,* n. 11, asserit, leges codicis iustinianei, vel ob satis modicam Imperatoris potestatem in Italia, vel ob Vandalorum, Gotorum et Longobardorum incursiones « vel nunquam receptas fuisse, vel, ob diversas « dominationes, abolitas ».

« gnantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum « Principum constitutionibus adiuvantur ». [1]

13. – Sanxit ita Lucius, legitima legalique sanctione, factam a populis Romanorum renati iuris liberam ultroneamque acceptionem ; decrevitque simul, deinceps unum fore Imperii simul et Ecclesiae ius, ex connubio enasciturum statutorum canonum et legum. [2]

14. – Ius igitur novum prorsus, hactenus Imperio pariter et Ecclesiae non datum. Neque enim Ecclesia imperiales vel barbaricas leges in ecclesiasticas assumpserat unquam, neque romani Imperatores, neque Barbari, ecclesiasticos canones in leges civiles converterant unquam. Una alteri potestati restitisset, si id aggredi suscepisset. [3]

15. – Ius novum prorsus, quod primum soeculo XII a Papa, nedum qua Ecclesiae, sed qua Imperii caput supremum, latum est. Ius novum prorsus, non nudo canonico neque nudo civili, sed canonico simul et civili sensu accipiendum, vi cuius, *primitus per soecula*, Papa eiusque delegati iudices, Imperatori, Regibus, Principibus ceterisque omnibus tum ecclesiasticis, quum laicis, potestatibus secura

[1] Vol. III, pag. 4, n. 2. - Vigilantia Lucii verba sedulo attendas. Patavinus episcopus petebat utrum in casu novi operis posset, omissa eiusdem operis nunciatione, *procedi iudicio canonico,* « quum nihil de nunciatione novi operis sit in cano- « nibus definitum ». Non erat igitur quaestio utrum procedi posset iudicio civili, quum lege civili res optime definita fuerit; sed utrum canonico iudicio. Respondens Lucius, statuta canonum Principum constitutionibus adiuvari et ideo mandans negotium terminari *secundum legum et canonum statuta*, civiles leges assumptas fuisse in adiutrices ecclesiasticarum et servandas in iudiciis canonicis sicut in civilibus, apertissime fassus est. Hinc canonistarum communis et certa sententia, luciano decreto tribuens assumptionem iuris Romanorum renati in auxiliarium canonici.

[2] Ita quidem per soecula XII et XIII senserunt homines: aliudne enim ostendit illorum praxis Papam per consultationes interrogandi ut dubii iuris in materiis, ut plurimum mixtis, fieret certa declaratio? « Leges interpretari solo dignum imperio « est... legum aenigmata solvere et omnibus aperire idoneus esse videbitur... is « cui soli legislatorem esse concessum est » (*Codex,* lib. I, tit. XIV, l. 12). Et ad quid et quare celebres illae Decretalium collectiones, per id temporis compositae, nisi ut formaretur codex novi iuris, quo quot existerant expellerentur, ipso Gratiani *Decreto* comprehenso, inutiles effecti iam et obsoleti?

[3] Nicolaus papa Michaëli imperatori scribebat: « Imperium vestrum suis « publicae rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare « quae sacerdotibus Domini solum conveniunt » (*Decretum,* dist. X, c. V). Et episcopis, in concilia apud Convicinum congregatis: « Lege Imperatorum non in « omnibus ecclesiasticis controversiis utendum est... (eis) Ecclesia utitur contra hae- « reticos, saepe contra pravos quosque defenditur » (ibi, dist. X, c. I). Et eidem Michaëli imperatori idem Nicolaus, alias scribens, profitebatur « Pontifices pro cursu « temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uti » (ibi, dist. X, c. VIII). Ceterum, quis sanae mentis admitteret, dominantibus Imperatore, vel Barbaris, Papam ausum fuisse vel tantum tentare Imperatorem vel barbarum Regem censuris et poenis ad papales sententias in mixtis materiis exsequendas adigere?

auctoritate iniungere potuerunt, latas in foro Papae sententias exsequi, comminatis censuris et poenis, ni paruissent.

16. – Porro - uti superius ostensum est - per id praecise temporis inductum reperitur nomen *Capellani Pape, Auditores causarum*, quod postea in supra expositam verborum formam denique coaluit et formatum mansit.

17. – Ex simplici hac et sola temporum factorumque concurrentia, concludere fas est, iuridicam s. r. Rotae, seu tribunalis Capellanorum Papae Auditorum causarum s. p. a., figuram novo luciano iure fuisse progenitam.

18. – Sed si hypercritici illam dicant, vehemens rerum inditium non autem plenum argumentum, iidem attendant quod si, novi iuris praecepta normasque rimantes ac illorum practicam exsecutionem expendentes, ostendamus, reipsa in novo iure adaequatam rationem reperiri cur sacri tribunalis membra *Capellani Pape* vocata fuerint, cur *Auditores* potius quam iudices dicta, et quidem non cuiusvis generis causarum, sed tantummodo *causarum sacri palatii apostolici*, equidem in tuto collocatam admittere debebunt originem sacrae romanae Rotae, eamdemque nonnisi Lucio III esse tribuendam.

19. – Demonstrationem igitur perficiamus sequentibus paragraphis: longa quidem neque usque facilis currenda via; attamen recta et tuta.

20. – Itaque sit

CAPUT III.

Lato novo iure, apostolica Cancellaria super eo fundata est.

1. – Iure communi in auxiliarium canonici assumpto, factoque ideo Imperii simul et Ecclesiae iure, ad illius regulas res Papae erant componendae et ordinandae. Etenim etiam ad hoc assumptio illa facta fuerat, et canonum legumque praeceptum urgebat, iustum esse Principem legibus obtemperare suis, [1] dignamque esse vocem maiestate Regnantis legibus alligatum se Principem profiteri. [2]

2. – Quapropter si revera Lucius III novum ius decreto suo condidit, nova in suae administrationis rebus condidisse historici fontes ostendant, oportet.

3. – Quod re ipsa constat. Nam Honorius III (1216-1227), sub die 27 iunii 1216 (scilicet vix 31 annis a defunctione Lucii) in quodam

[1] *Decretum*, part. I, dist. IX, cap. II.
[2] *Codex*, lib. I, tit. XIV, l. 4.

actu iudiciali, in quo profecto nonnisi pervigilantia adhiberi verba poterant, ea praesertim quibus ius iurisprudentiaque certam significationem tribuunt, testatur, Lucium III « *auditorium suum* » habuisse in quo iudiciales privatorum controversiae ventilabantur.[1]

4. – Porro sicut voce: *auditorium*, tribunal ius significat, ita quum Imperator memorat *auditorium suum*, id unum exprimit, nempe tribunal supremi Principis in quo causae dicuntur quae undique ad supremum Principem deferuntur iudicandae.[2]

5. – Tribunal, seu proprie *auditorium suum*, Principem supremum habere iure cautum est, « ne suis occupationibus, quibus pro « utilitate mundi a singulorum nonnunquam negotiis avocatur, aliena « defraudari commoda (Princeps) videatur ».[3]

6. – Hinc cum sciamus, Lucium III auditorium suum habuisse in quo causae agitabantur, non spernendum indicium habemus, Lucium sibi auditorium constituisse ad instar imperialis iuxta *legum* praeceptum.

7. – Quod, si animadvertatur primo in textibus dici de Lucio *auditorium suum* habuisse, quod nunquam de illius antecessoribus – quantum sciam – dictum reperitur, indicii vis crescit. Eo magis, quod Lucius ipse Cancellariam vocat *suam;*[4] et Cancellariam supremi Principis idem esse ac *auditorium illius* penes iuristas constat.

8. – Huius Lucii confessioni tanta vis est, ut ex ea praesertim doctissimi iuristae, in rebus historicis aeque ac in iuridicis quamperiti, absolute deduxerint « constare temporibus Lucii papae III. ... « Cancellariam fuisse in esse productam, ut patet *in cap. ad haec*, « *de rescriptis* ».[5]

9. – Quae Gomesii conclusio optime concinit testimoniis auctorum qui rerum Cancellariae pergnari fuerunt. Ita v. g. Hieronimus Paulus Barchin., litterarum apostolicarum Vicecorrector, soeculo XV in suis memorabilibus aperte fassus est, stylum Cancellariae *aperte vel interpretative inniti iure communi*. Ita, Speculator in *tit. de appell.*, § *de offic.* Speculatoris qui Capellanus Auditor fuit soeculo XIII,[6] non multo post quam luciana ordinatio prodierat quique curiae res et iura per-

[1] Vol. III, pag. 15, n. 13.

[2] *Codex*, lib. VII, tit. LXII, l. 38. *De Duciano iudicio* et alibi; RESTAURUS CASTALDI, *De Imperatore* in *Tractatus universi iuris*, tom. XVI, Venetiis.

[3] *Codex*, lib. VII, tit. LXII, *de appell. ad princip.*, l. 39.

[4] Vol. III, pag. 5. n. 3.

[5] GOMEZ, *Proëmium ad Regulas Cancellariae* (Edit. Parisiis, 1554) fol. 1v. – Caput *ad haec* iacet in *III vol.* sub citat. n. 3, pag. 5.

[6] Vol II huius operis pag. 13-14, n. 50.

fecte novit, quanta sit testimonii vis et pondus, nemo non videt. Igitur si stylus Cancellariae aperte vel interpretative innititur iure communi, hoc iure innititur Cancellaria.

10. – Ast, obiicies, certe constat, Cancellariam iamdiu ante Lucium exstitisse, romanamque ecclesiam suum habuisse Cancellarium, ut ecce Aymericum, cardinalem, Robertum Pullum, Guidonem Moricati de Vico Pisano, Rolandum item cardinalem, et alios complures saltem per soeculum XII.[1]

11. - Verum, per integrum soeculum XII - uti innui superius - adlaboratum est ius Romanorum restituere; ideo existentia romani Cancellarii per soeculum XII ostendit quod reipsa Ecclesia ad Romanorum iuris normas suas voluit res componere; attamen, qualis ne fuit interna Cancellariae ante Lucium III ordinatio, eadem vel alia ac ordinatio Cancellariae Lucii?

12. – Quantum mihi fas fuit ex innumerorum textuum examine, quoad hoc, colligere, haec profecto historice in tuto collocata videntur, scilicet: 1) Praeses Cancellariae uno vocabatur nomine: *Cancellarius S. R. E.*;[2] 2) praesidentia Cancellariae aeque gerebatur a cardinali, vel aliquo alio praelato, cardinali inferiore; 3) Cancellarii potestas et iurisdictio latissime patuit, adeo ut s. Bernardus ad Aymericum cardinalem scribere potuerit, « nullum ferme fieri in orbe bonum « quod per manus quodammodo romani Cancellarii transire non « habeat, ut vel vix bonum iudicetur quod eius prius non fuerit exa- « minatum iudicio, moderatum consilio, studio roboratum, et confir- « matum adiutorio ».[3] Unde quamplures historiographi affirmarunt, potentiam Cancellarii adeo excrevisse, ut Papae debuerint illam imminuere, ne ab illo supergressi viderentur.[4]

13. – Quinimmo - forsan in iure minus periti - ipsi in hac veluti zelotypia Paparum in Cancellarium rationem collocant et basim subsequutae immutationis Cancellariae, cuius caput certo certius post Lucium III vocatum nomine fuit non amplius Cancellario, sed *Vice-Cancellario*.[5]

[1] S. Bernardus abbas. Epistola 311; epistola 367, nota 965 (Migne).

[2] Multa exempla in bullis Paparum illius tempestatis adhuc supersunt, quibus hoc certius probatur: ita porro anno 1144-1145, *Baronus, capellanus et scriptor*; anno 1139 sub Innocentio II, Aymericus, cardinalis (*archivium cathedr. eccl. Viterbien. bulla 2*) et sub Eugenio III quidam subdiaconus (Jaffé, *Regest. Pontif. roman.*, Lipsiae, 1886) Cancellariae praesiderunt.

[3] Citat. epistola 311.

[4] Cf. Gomez, l. c. et G. B. Bovio, *La pietà trionfante* (Edit. Romae).

[5] Testatur Gomez, *l. c.*, *fol. 6t*, cardinalem Zabarella et alios... dicere « hoc factum « fuisse quia antiquis temporibus ille cardinalis certaverat de paritate cum Papa,

14. – Sed hae historiographorum conclusiones mihi minime probantur: fuerit enim Cancellarii potestas reipsa tam plena, ut ad litteram accipi debeant superius relata verba s. Bernardi abbatis, equidem Papa caput Ecclesiae manebat supremum et Imperii, cuius proinde Cancellarius magis non erat quam illius *primus administer*, uti vox ipsa: *Cancellarius*, significat.[1] Ideo in Papa nulla zelotypia potuit rationabiliter excitari.

15. – Vera quidem factorum aliunde est ratio quaeritanda. Nam per soeculum XII summopere insudatum est, res Ecclesiae ad praecepta romani tunc renascentis iuris ordinare. Praecipue vero - polyticam lineam Hildebrandi insequendo - Papae suam iuridicam positionem in Imperio supra Imperatorem restituere. Ideo Papae conveniens visum est iura attribuere et positionem quibus Imperator pollebat in Imperio, et ex hoc, primo, illi constituere romanum Cancellarium. Maxima erat tunc temporis penes homines imperialis Cancellarii existimatio, et summopere ad supremi Principis splendorem et maiestatem ac reipublicae rectam administrationem, officium illud conferre vulgo retinebatur.[2]

16. – Attamen, interpretantibus leges, tunc temporis novas, id facile contigit ut non omnia recte intellecta fuerint, neque omnia scite ordinata. Re ipsa, factum fuit quod Papa, sibi aestimans non aliam in iudiciis positionem convenire quam publici administratoris, ratus sit iuris praecepto satisfacere, per se excipiendo, audiendo, definiendo omnes privatorum querelas. Quod quidem illius personam cogebat dies noctesque insumere iudiciis perficiendis, nunquam tutus, nunquam suus. Vitium agnovit sanctus Bernardus abbas, qui ad Eugenium III in libro *De consideratione* inolitum morem carpens,[3] sug-

« et ob eam causam ordinatum fuit quod per diminutionem de coetero Vicecancel-« larius appellaretur ». Et addens, se haec nullibi legisse, concludit: « Abitror, « *aliunde* hoc nomen Vicecancellarii processisse ».

[1] In omnibus iuribus aliud non significat vox Cancellarius, nisi *primum* supremi Principis *administrum*.

[2] S. BERNARDUS ad Eugenium III scribebat: « Habere bonum, iustum et bonae « famae Cancellarium, apostolicae dignitatis non modica pars est; *apostolicae admi-« nistrationis non parvum adminiculum est*; apostolicae conscientiae non medio-« cris custodiae est » (*Epist. 280*). Distinguit sedulo divus Doctor dignitatem a conscientia, et aperte dignitati tribuit habere Cancellarium; hunc autem bonum, iustum et bonae famae, praesidio non mediocri Papae conscientiae esse, merito affirmat.

[3] « Quaeso te, quale est istud de mane usque ad vesperas litigare, aut liti-« gantes audire? Et utinam sufficeret diei malitia sua! non sunt liberae noctes; « vix relinquitur necessitati naturae quod corpusculi pausationi sufficiat... dic, « quaeso, ubi unquam sis liber, ubi tutus, ubi tuus? ». Et alibi exclamat: « Agi-« tentur causae, sed sicut oportet. Nam is modus, qui frequentatur, exsecrabilis plane

gerit, alia esse lege utendum, vel secus eamdem accipiendam, ita ut, sibi Papa reservatis causis quae necessario ad eum intrare debebant, alias aliis committeret terminandas.[1]

17. – Quid simile in Cancellarii institutione accidisse mihi facile persuadetur. Nam, Romanorum legibus Praefecto praetorio sacri palatii (nempe Cancellario Imperii) talis tantaque in omnia, quae ad imperialem audientiam deferebantur, potestas et iurisdictio demandatur, ut reipsa aptius describi non valeat, quam verbis quibus sanctus Bernardus potestatem et iurisdictionem romani Cancellarii descripsit.

18. – Porro, romanum Cancellarium effecisse romani imperii Cancellario parem, quin Papa sibi (et quidem merito), eamdem in omnibus iuridicam positionem in Ecclesia arrogasset, ac de iure erat in imperio Imperatori constituta, error intellectus fuit, unde in praxi multo maius officium administri officio supremi Principis videri debuit.

19. – Ast ita compositae res longo tempore probari non poterant. Ideo Alexander III - celebris ille iurisconsultus Rolandus qui per complures annos cancellarium egerat - 18 annis sui pontificatus non Cancellarium, sed Vice-Cancellarium sibi constituit, opera usus notariorum, ut ecce Hermanni, Theodori, Gerardi, Gratiani etc.[2]

20. – Aequius theologica-iuridica Papae positio in Ecclesia librata est. Christus enim sibi in Ecclesia unum in persona Petri Cancellarium constituit, ubi unum Petrum iussit, agnos ovesque pascere, illique formiter declaravit: « *quaecumque solveris ,.. erunt soluta ; quae-* « *cumque ligaveris ... erunt ligata* ». Ita quidem Petri et Christi unum effectum est tribunal, unumque consistorium.[3] Cum igitur haec Papae

« et qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceat » (*De consid.,* l. I, c. III, n. 1 et c. X, n. 13).

[1] « Illas quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) « diligenter velim, sed breviter decidere assuescas.... *Aliis alias multas poteris* « *committere terminandas;* quamplures nec dignas audientia iudicare » (Idem, l. c., cap. X, n. 13).

[2] Migne, *Patr. lat.,* vol. 200, 67; G. B. Bovio, *La pietà trionfante,* pag. 250-251. Accipio ab hoc auctore testimonium facti, utpote quod textibus firmatur: sed admittere nequeo causam quam ipse facto assignat. Scribit ipse: « Per anni 18 in circa « non s'intese la voce di Cancelliere nella Curia Romana, mentre la carica fu dai « notari adempiuta, non avendola il sopradetto Alessandro, atteso lo scisma accen- « nato, voluta dare ad alcuno ». Sed si schisma causa rei fuisset, eccur Alexander anno XVIII sui pontificatus, schismate adhuc durante, officium contulisset Alberto Mora, cardinali? Alia quidem fuit causa, et quidem penitus iuridica, uti mox ostendemus.

[3] Gomez, l. c, fol. 6t, animadvertit: « Constat summum pontificem solum in « ecclesia Dei appellari... cancellarium Dei cum quo unum et idem consistorium

positio immutari non possit, et haec in iure apprime respondeat positioni imperialis Cancellarii (scilicet Praefectus sacri palatii Praetorio), hinc necessario consequi tunc temporis merito ratum est, unum in ecclesia Christi esse Cancellarium, Papam, qui, proinde sibi constituere poterat non alium Cancellarium, sed *Vice-Cancellarium.* [1]

21. – Factum est ideo ut in Ecclesia delendum esse nomen Cancellarium statutum fuerit: quod perficere ipse Alexander III - uti supra innui - est aggressus. Ast non item ex integro supprimi poterat officium Cancellarii: nam Papa maximis pro utilitate mundi distentus curis, impotens per se cuncta universalis Ecclesiae simul et singulorum christifidelium negotia examinare et definire, adiutore opus habebat qui privatorum negocia videret vice Papae, quae Papa ipse per se videre non posset.

22. – Quapropter Vice-Cancellarium esse constituendum in Ecclesia constitutum est, cuius officium et potestas foret, vice Papae ea gerere et examinare quae illi Papa gerenda aut examinanda commissurus esset.

23. – Haec quidem Alexandrum III constituisse, aut saltem per suum longi temporis pontificatum omnia parasse ut constitui possent, nisi certum, profecto admodum probabile est: haec enim constituere potuit, brevissimo tempore pontificatus sui, Lucius III. - Hic apertissime fatetur, Cancellariae suae munus concreditum fuisse rescripta in privatorum causis edendi, ubi Papa, diversis occupationibus impeditus, singulis examinandis esset insufficiens: « Tales litteras a « Cancellaria nostra non credimus prodiisse, vel, si forte prodie- « rint, conscientiam nostram, quae *diversis occupationibus impedita* « *singulis examinandis non sufficit*, effugerunt ». [2]

« facit.... Si igitur Papa est Cancellarius, non videbatur conveniens alium etiam « Cancellarium, Papae similem, nominare, sed potius Vice-Cancellarium qui eius « vices gereret; sic Rex in regno suo non facit Regem, sed Vice-Regem ». Et paullo post addit: « Cancellaria apostolica prior fuit, quam Vice-Cancellarii promotio, et « Cancellaria repraesentat sedem apostolicam quae habetur pro Cancellario.... Papa, « illam dignitatem (Cancellarii) nulli commisit, sed Vice-Cancellarium creando, « visus fuit Cancellarii nomen apud se retinuisse ». Haecque, concludit, vero consona esse, sese retinere.

[1] Gravissima iuris causa urgebat - data tali Papae positione - utpote quod iure cautum sit (*Novella CXXVI, praefat. et c. I.*) supremi Principis appellationum iudicia perficienda esse a Praefecto Praetorio cum quaestore et proceribus palatii, sententias non ex principali sed ex sua persona edicens. Hinc merito HOSTIEN cum ceteris iurisconsultis tenuit Imperatorem, per medium, Papam autem omisso medio, appellari posse: et ideo Papae habere non Cancellarium, sed, ad summum, Vice-Cancellarium magis congruere.

[2] Vol. III, pag. 5, n. 3.

24. - Hinc Lucius III in officio Cancellarii maximam innovationem induxit: dispositione latae legis et in illius vim, officii amplius non fuit, universa negocia « examinare iudicio, moderare consilio, studio « roborare, confirmare adiutorio, adeo ut nullum ferme fieret in orbe « bonum quod per manus romani Cancellarii transire non debuisset »; sed fuit, dumtaxat singulorum negocia examinare; neque haec universa quidem; sed ea tantummodo quae Papa, innumeris pro spirituali mundi utilitate distentus curis, per se examinare praepediretur.

25. – Hisce fundamentis praeiactis, quibus theologica-iuridica basis auditorio Papae, prout iustum fuerat, dabatur, istius interna ordinatio facile ad regulas iuris communis fuit componere. Ipsi enim nomen: Cancellaria, manuteneri poterat, cum Cancellaria in sensu iuris sit locus in quo acta iudiciaria rescriptaque gratiae et iustitiae conscribuntur; et nomen Cancellaria servatum est. - Cancellarii appellatione in iure tum romano, tum Caroli Magni, tum Longobardorum is significatur qui scribit notas, litteras, iudicum edicta seu responsa. Huic nomini tantum praemissa fuit particula *Vice*, iuxta superius exposita.

26. – Supremi Principis auditorium est de iure constituendum « in sacratissimo sui numinis comitatu » seu « sacro palatio » seu « imperiali residentia » cum inibi deceat res ad illius audientiam delatae tractari ubi nulla ex constitutis auctoritatibus ulla iurisdictione potiatur, nisi ipsi a Principe sit specialiter delegata: porro Cancellaria in ipsa Papae residentia constitui potuit, nisi iam constituta fuisset in facto.

27. – Idem auditorium de iure duobus supremi sacri palatii dignitatibus et eiusdem palatii Proceribus constare debet, ut maiestatem decet supremi Principis, quem appellare pariter possunt omnes ab infimo ex privatis hominibus ad celsiores dignitates, et ut facile quisque ex delegatis a Principe iudicibus ab ipso Principe - lege animata in terris - ob familiaritatem et vitae consuetudinem noscere possit quod iustum est et non aliunde emendicare honestatem iudicandi.

28. – Hinc Imperator auditorium specialiter suum conflatum voluit Praefecto praetorio, senatoria dignitate fulgente, Quaestore palatii, summa item sed illa inferiore dignitate praedito, et eiusdem palatii Proceribus, sive imperialibus Cubiculariis, qui etsi non magistratu potirentur neque cingulum haberent, ex ministerio tamen Principi impenso iusti notitiam et iudicandi honestatem hauriebant. [1]

[1] Novella LXXXII, in praefat.

29. - Haec omnia Papa - quantum sua singularis theologica iuridica positio sineret - imitari decrevit: quapropter ordinavit 1) ut nomen et officium Vice-Cancellarii deinceps foret semper et dumtaxat pro cardinali, utpote quod imperialibus Senatoribus in Ecclesia comparentur cardinales:[1] 2) ut alius adesset praelatus cardinali inferior, cui officium concrederetur simile illi quod demandatum fuerat imperiali Quaestori: 3) iudices delegandi forent tantummodo Capellani Papae, illi scilicet quos antiquitas Cubicularios Papae appellaverat,[2] qui Papae adsidentes non in ministerio altaris[3] sed ad splendorem maiestatis supremae hyerarchiae, optime comparari poterant imperialibus Proceribus.

30. – Ita quidem ordinatum est, utpote quod iure caveatur, ut res ad supremi Principis iudicium delatae a duobus sacri palatii dignitatibus tractentur in communi florentissimorum Procerum auditorio.

31. – En igitur iura super quae apostolicam Cancellariam - seu auditorium specialiter suum - Lucius III fundavit: hisce ratio traditur cur hinc a Lucio III in ecclesia romana nomen Cancellarii disparuit, unumque viguit nomen Vice-Cancellarius; cur de Lucio III primo praedicetur auditorium specialiter suum habuisse; cur ab Lucii III pontificatu Capellani Papae assumpti fuerint usque in Auditores causarum, a Papa per Cancellariam delegati; cur Lucius III fateatur sese Cancellariae suae munus concredidisse iudices dandi cum ipse

[1] Cardinales - scribit SPECULATOR in *Spec.*, lib. I, partic. I, de legat, § 3, nn. 1 et 2 – « summo pontifici in consiliis et in arduis negociis assistunt... quia pars corporis eius censentur ... et in locum Senatorum succedunt: unde Ecclesia habet Senatum, etc.».

[2] AEGIDIUS BELLEMERA (*conclus. 746. de procur.*) testatur, causas s. p. a. distribui aliis non posse - iuxta quod ordinatum fuerat - nisi solis Capellanis et cardinalibus. Mitto pro nunc cardinales de queis inferius scribo: capellani igitur soli erant delegandi in iudices audientiae Papae: adeout ipsis Cancellaria nequiverit committere, absque speciali mandato Papae, causas sive a iure, sive ab homine legitime non devolutas (*idem Aegidius, l. c.*), illas scilicet quae non essent causae s. p. a., seu curie domini pape.

[3] « Synonima sunt capellanus et cubicularius apud Latinos » (MACRI CARLO *in adiect. Hierolexicon Dominici*). Et optime animadvertit MORONI (*Diz. di erud. storico-eccles.*, vol. VIII, pag. 100, v. *Capellani*) hos fuisse « famigliari ecclesiastici « del Pontefice *pro tempore*, della classe de' cubicularii.... Sotto il nome generico « dei cubicularii, sino da Leone I, si chiamarono quelli che prestavano ne' diversi « uffizii un servigio più o meno intimo al Papa ». Ideo Capellani non adsidebant Papae sacra facienti, ad quod ordinati erant subdiaconi, acolythi etc.; sed supremo Principi. Adeo verum, quod Rotae Auditores, antequam fierent apostolici subdiaconi, nullum ministerium in sacris Papae praebuerunt, nisi admodum humile gestandi *gremmiale*, uti testatur in suo *Diario* CELSUS, quod postea Camerae clericis commissum fuit.

gravioribus negotiis occupatus ad omnes causas videndas impar fuisset; cur denique auctores, in iure et historia ceteris melius fundati, ut ecce Gomez, merito tenuerint Lucium III auctorem fuisse apostolicae Cancellariae. Sed cum certo constet Cancellariam adfuisse etiam ante Lucium, evidens est Lucium non condidisse absolute Cancellariam, sed illam Cancellariam cuius caput vocatum fuit non Cancellarius, sed Vice-Cancellarius.

32. - Contra haec multa mihi obicii possunt: haec diluamus necesse est, ut perspicuitati simul et ordini consultum sit.

CAPUT IV.

Solvuntur praecipuae difficultates quae contra conclusiones praecedentis capitis de Vice-Cancellario moveri possunt.

1. – Prima graviorisque ponderis difficultas ex facto exsurgit quod per soeculum XIII Vice-Cancellarium gessit non cardinalis, sed praelatus, cardinali inferior: unde inferrendum videretur, revera officium Vice-Cancellarii non fuisse constitutum pro cardinali.

2. – Factum reipsa historicis monimentis constat. Quandoquidem, vivente Lucio III, Albertus, cardinalis, qui iam Cancellariae praesidebat, a pacifica officii et Cancellarii nominis possessione, nonobstante luciana ordinatione, non videtur fuisse exturbatum. Huic succedit Hugo, notarius.[1] Lucio e vivis sublato, Urbanus III (1185-1187). Transmundum, notarium, Albertum, cardinalem, cancellarium habet: quibus subrogatur Moyses, canonicus lateranensis sub nomine *Vicem agente Cancellarii*.[2] Dumtaxat sub Innocentio III duo habentur cardinales, eiusdem nominis Iohannis, qui Cancellariae praesident, sed sub nomine *Cancellario*. His praelatus succedit, usque dum Sinibaldus Fieschi, summus iurisconsultus, factus cardinalis, etsi cardinalis, sibi retinet officium et nomen *Vice-Cancellarium*. Post hunc, quotquot fuerunt deinceps Vice-Cancellarii usque ad pontificatum Bonifacii VIII, omnes praelatitia tantum dignitate praediti fuerunt.[3]

3. – Verum, factum huiusmodi in dubium non revocat de Vice-Cancellario lucianam ordinationem. Enimvero, sicut historica soliditate constat, perpaucos supra enumeratos cardinales tunc temporis Cancellariae praesidentiam gessisse sub nomine Pro aut Vice-Can-

[1] JAFFÉ, *Regest. RR. PP.* 2, pag. 432.
[2] Idem, l. c., pag. 493 ssq.
[3] Vol. II, pag. 6, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 19.

cellario, haec constant, nempe: 1) exceptis duobus cardinalibus, qui sub Innocentio III praesidentiam Cancellariae gesserunt cum cognomine Cancellario,[1] hinc ab Urbano III, nomen Cancellarius penitus cessavit in ecclesia romana et unum viguit nomen Vice-Cancellarius;[2] 2) Vice-Cancellario s. r. e. - cardinalis fuerit vel non - locum in cappella datum est immediate post cardinales praesbyteros, ante diaconos;[3] 3) in actis notariorum Cancellaria describitur per haec verba: « Diaconus cardinalis Vice-Cancellarius », quibus si de facto cardinalis praesidentiam gereret Cancellariae, eiusdem cardinalis nomen et titulus praeponuntur ad regulas grammaticae et diplomaticae pontificiae; si, e contra, cardinalis deesset, contra praedictas regulas, postponitur nomen praelati qui de facto, deficiente cardinali, Cancellariae praeses erat;[4] 4) denique, sub Bonifacio VIII, quum cardinales tandem aliquando sibi officium et nomen Vice-Cancellarium exclusive assumpserunt, nulla edita est nova pontificia constitutio seu ordinatio, quamvis (et hoc quidem est notatu dignissimum) tunc temporis cardinales communiter non haberentur *curiales;*[5] et, quod maius est, cardinalis qui nomen et officium primus assumpsit Vice-Cancellarii, is idem fuit summus iurisconsultus cuius opera Bonifacius VIII librum VI Decretalium composuerat. Haec profecto non accidissent, nisi iure et de iure officium et nomen Vice-Cancellarii constituta fuissent pro cardinali.

4. – Certe, tum ex documentis, quum ex antiquorum scriptorum testimonio[6] lucianam ordinationem pacifice a cardinalibus non fuisse receptam, mihi videtur nisi certum, profecto admodum verosimile. Et

[1] POTTHAST, *Reg. Pont.* in fine Regestri Innoc. III.

[2] Vol. II, ll. cc. et ssq. usque ad Pium IX.

[3] GOMEZ, l. c., fol. 4. « Non tamen silentio praeteribo unum satis notandum, « quod, licet... Vicecancellarius cardinalis non esset, *maior tamen illi post cardi-* « *nales honor* quam reliquis aliis curiae praelatis impendebatur. *Designatus enim* « *erat Vicecancellario,* Notariis, Auditori contradictarum et Correctoribus, *post* « *presbyteros cardinales in capella papae sedendi locus*, aliique honorum gradus « tribuebantur illis, de quibus ibi » nempe « in vetusto quodam membrano codice, « quem vulgares quinternum Cancellariae Apostolicae vocant - latius narratur.

[4] Exemplo esto n. 29, pag. 23 mei III voluminis.

[5] Avenione sub Iohanne XXII definitum est, cardinales censendos esse curiales, ceu eruitur ex *consilio 211* OLDRADI.

[6] Complures scriptores ante Gomez autumarunt luctam fuisse cardinales inter et Papas ob imminutam dignitatem et potestatem antiqui Cancellarii: et documenta ex quibus eruitur, nunc cardinales lucianam ordinationem integre acceptasse, nunc ex parte, et per longius tempus penitus despexisse, eorumdem scriptorum assertionem confirmare videntur. Gomez autem luctam negat, quippe quia de ea scripta testimonia ipse non legerit. Ast ipse non narrat, se de hac re sedulam inquisitionem instituisse, neque vetusta omnia documenta rimatum fuisse probat.

rei non defuit fundamentum. Nam ante Lucium III potestas et nomen praesidis Cancellariae tam magna – uti superius recoluimus – fuerant, ut ei nomen esset Cancellarius, et nulla pene catholicae ecclesiae res esset, quae per manus eiusdem Cancellarii non transiret vel non fieret. Et tamen tunc indifferenter Cancellariae praesidentia gerebatur a cardinali vel a praelato, cardinali inferiore. Luciana autem innovatione id effectum est, ut plusquam dimidiata esset praesidis Cancellariae potestas, cuius nobilior potiorque pars (scilicet iurisdictionalia) ipsi Papae de iure reservabatur, et quae manebat, iterum dividebatur – uti inferius recolam – inter praesidem Cancellariae et Auditorem contradictarum; et dimidiata nominis *Cancellarii* gloria, per praemissam particulam *Vice*. Hinc puto cardinalibus (iis praesertim qui iuris non magnam callebant eruditionem) incongruum, immo suam suaeque magnitudinem dignitatis dedecere, tale officium tali nomine significatum videri debuit. Quapropter, eorum illi qui rationem novi iuris intellexerunt (et ideo inter hos magnus iurisconsultus Sinibaldus Fieschi, seu Innocentius IV), ac ex ea et per eam quaestionem non fieri de dignitate aut indignitate, ordinationem Lucii undequaque acceptarunt; illi vero qui unum animo hauserunt et non alterum (uti forsan duo Iohannes sub Innocentio III) officium acceptarunt, sed non nomen: qui vero neque unum neque alterum, utrumque respuere.

5. – Altera autem huius cardinalium reluctantiae ratio, et forte ceteris potior, in eo fuit, ut reor, quod litterae apostolicae commissionum, quas scribere et subsignare debebat Vice-Cancellarius, quibusque officialibus sive *gratiae* sive *iustitiae* tradebantur res tractandae, dispositione iuris communis, poterant a petentibus libere contradici, et contradictiones huiusmodi ad dirimendas constitutus erat praelatus inferior, ex hoc *Auditor litterarum contradictarum* appellatus. Iste officialis ideo cardinalibus videri debebat veluti Vice-Cancellarii superior, qui de data a Vice-Cancellario commissione – orta controversia – iudicabat. Profecto cardinales non latebat, declarasse Alexandrum III, « iudicem delegatum a Papa, vices istius gerere; unde in causa illa « superiorem esse et maiorem illis quorum causam susceperit termi« nandam ».[1] Fortasse ad vim imminuendam huius difficultatis, Papa alium officialem constituit, quem *Correctorem litterarum apostolicarum* nomine vocavit. Sed neque ex hoc cardinalium videtur fracta fuisse reluctantia.

[1] Decret. Greg. IX, l. I, tit. XXIX, c. *Sane quia,* 11. de off. et potest. iud. delegati.

6. – Utcumque: haec, quae finem non habuit nisi sub Bonifacio VIII, quando nempe ob perfectiorem et communiorem iuris notitiam rectitudo et sapientia lucianae ordinationis percipi apprime valuerunt, causae fuit cur officium Auditoris contradictarum in maximam excreverit gloriam et honorem, officium vero Vice-Cancellarii humile admodum per soeculum et ultra manserit. A cardinalibus tandem acceptato, brevi in maximum excrevit, quo excrescente, imminutum et fere ad nihilum descitum est officium Auditoris.

CAPUT V.

Solvuntur praecipuae difficultates contra conclusionem quod tantummodo Capellani assumpti fuerint de iure in membra specialis Papae auditorii.

1. – Alia difficultas – et quidem prima fronte gravissima – ex ipsis textibus exsurgit, qua per errorem dictum fuisse ostenderetur, Lucium III ordinasse Capellanos Papae et non alios, qua sacri palatii Proceres, in membra Cancellariae, seu specialis Papae auditorii, vocandos esse, ut per datam commissionem causas audirent quarum Papa per se aut nequiret aut nollet iudicium perficere.

2. – Reipsa textibus scimus, primis illis novae Cancellariae temporibus aliquoties acolytos, apostolicos subdiaconos frequentissime, passim protonotarios, episcopos nonnunquam tunc et frequentius postea, et denique cardinales, datos vel concessos fuisse in causis ad Papam delatis, auditores. [1]

3. – Ast, si qua par est diligentia iidem textus rimentur, factum lucianae ordinationis firmiori probatione solidatur. – Re sane vera: supponamus in primis, nullam privatorum causam, nisi fuerit ex maioribus, tunc temporis ad papale forum pleno iure pertinuisse ad annum usque 1245 quo in primo generali concilio lugdunen. latum fuit decretum *de causis devolutis*. [2] Exsulante igitur iuris necessitate, causas dici coram Papa, ex libera privatorum voluntate pendebat; deinde, cum fieri aeque potuisset, multas, vel paucas, vel nullam, causas adesse in auditorio Papae tractandas, nulla iuris necessitas urgebat stabilem iudicum coetum constituendi.

[1] Vol. III, pag. 9, n. 10; nn. 6 et 11, pag. 7 et 10, etc.
[2] Ibi, n. 28, pag. 22.

4. – Item, stabile in personis officium iudicis fieri non poterat; nedum ex mox adducta causa, sed et quia unicuique litiganti integrum erat, quem mallet sibi iudicem petere, vel datum recusare. [1]

5. – Hisce in adiunctis consequebatur necessario, Papam cum occasio suppeditaret, illos in auditores causarum delegasse quos vel litigatores petiissent, vel ipse iudicasset idoneos.

6. – Idoneus vero de iure is habendus est qui vel assessor iudicum sit, vel cingulum habeat, vel Principi ministret: hos ius praesumit non legum ineruditos et causarum habere experimentum. [2]

7. – Quapropter tunc Papa acolytum, subdiaconum, protonotarium concedebat aut dabat auditorem, quum aut ex iis unum petierant litigatores, aut ipse (nolens, aut impotens causam ad se delatam videre per se) ex iis unum idoneum esse rebatur.

8. – In utroque autem casu, Papa ad iuris tramitem procedens, nequibat quemcumque concessisset aut dedisset auditorem, qualitate et dignitate Capellani non decorare: hac enim tantummodo acolytus, subdiaconus, protonotarius, qua talis de iure inhabilis, habilis de iure efficiebatur ad iudicia peragenda; acolytus enim, subdiaconus, non Principi, sed episcopo ad altare ministrat; protonotarius vero acta Principis et edicta scribit: Capellanus tantummodo (seu cubicularius) Principi adsidet, eidem ministrans in officio Principis obeundo. [3]

9. – Hinc textus ex quibus scatet acolytos, subdiaconos et protonotarios fuisse datos vel concessos auditores, contra nostram conclusionem facerent reipsa, si ostenderent hos, ubi dati aut concessi auditores fuerunt, qualitate et dignitate Capellani non fuisse insignitos. Quod si, e contra, hac qualitate et dignitate fuisse condecoratos ostendant, textus iidem conclusionem comprobant et confirmant.

10. – Textus igitur Regestrorum Innocentii III, Honorii III et Gregorii IX rimentur. Profecto nec semel occurrit quod acolytus, subdiaconus vel protonotarius dati vel concessi in causis fuerint auditores, quin itidem non praedicentur Capellani: quinimmo, dum operam ab auditore in perficiendo iudicio impensam referunt, illum

[1] *Codex*, l. III, tit. I, de iudic. l. 16. *apertissimi;* Specul. l. I, p. I, *de iurisd. omn. iud., de recusat.* §. 1, nn. 1 et 2.

[2] Novella LXXXII, in praef.

[3] Asserit in suo *Diario* Emerix (*n. 424*), de tempore suo apostolicos subdiaconos extra capellam fuisse et de facto *tractatos fuisse tamquam privatos sacerdotes:* hancque dicit fuisse *antiquam consuetudinem*. Ex hac ipse deducebat, nil iuris subrogationem in locum suppressorum subdiaconorum Rotae tribuisse extra pontificiam ecclesiasticam cappellam, adeo ut ipsi visum sit iniuria Auditores praetendisse praecedentiam in Congregatione sancti Officii supra patrem Generalem Dominicanorum.

usque Capellanum, vel simpliciter Auditorem vocant: hac autem opera expleta, nomine subdiaconi aut notarii donant.

11. – Apertissime haec documentis ostenduntur: videas revera in *III.* huius operis *volumine* documenta sub nn. *6*, *9*, *10*, *11*, *12*, *14*, *15*, *19*, *20*. – Igitur nonnisi Capellani in Papae auditorii membra vocati fuerunt.

12. – Episcopos vero quod attinet, ex iisdem Regestris et multo magis ex documentis rotalis archivii soeculi XV et XVI et insequentium, eadem certitudine et evidentia probatur, episcopos passim munere Auditorum functos esse. Siquidem, iam sub Innocentio III invenimus causam conventus s. Zenonis, veronen., commissam duobus episcopis, tunc apud sedem apostolicam commorantibus, quorum unus cum e curia, causa pendente, discessisset, subrogatus fuit a quodam M. subdiacono et Capellano.[1] Et, ne heic omnia inseram quae fusius in altero huius operis volumine describo, memorem solummodo in vetustioribus monumentis archivii rotalis soeculi XV, ann. 1439, iam apparere Iohannem Baptistam de Roma inter Auditores causarum palatii, episcopum theatinum; item, Symonem de Valle, qui promotus ad sedem ausaren. ex Capellano Auditore causarum palatii, die 9 iunii 1445, suam repetit ecclesiam, sed paullo post iterum suo auditoratus officio restituitur ab Eugenio IV;[2] item, Pius II auditoratus officium contulit anno 1460 Iacobo de Pencoëtdic, quem praedicat *electum Briocen.*[3] Pauca haec nomina recolui, ut pateat contra veritatem asseruisse Cantalmaium penes Berninum, quem citat Moroni,[4] Paulum II anno 1470, ad episcopatum promoventem Capellanum Auditorem Iohannem Didaci de Coca,[5] decrevisse « per promotionem « Auditorum ad Episcopatum, illos non amovere, *cum prius amove-* « *rentur*, sed Locum tenentes in eadem Rota appellari ». Etiam ante Paulum Auditores promoti ad episcopatum non ideo amovebantur, sed in Rota manebant, « Auditoris locum exercentes », ut innuit Martinus V in bulla « In apostolicae dignitatis » an. 1418, 18, et innuerat Iohannes XXIII in sua Bulla « Rationi congruit » an. pont. sui I, 1410,[6] eos vocans « loco Auditorum positos seu ponendos ».

13. – Immo, tot tantaque progigni mala compertum est ex huiusmodi Rotae stylo, ut Innocentius VIII, anno 1485, bullam ediderit

[1] Vol. III, pag. 7, n. 6.
[2] Vol. II, pag. 52, n. 287.
[3] Ibi, pag. 62, n. 316.
[4] Dizion. vol. LXXXII, voce: Uditori di Rota, pag. 223.
[5] BERNINUS eum vocat *Didacum de Occa:* sed male.
[6] Vol. III, pag. 96, n. 60.

« Circumspecta in omnibus », qua iussit loca Capellanorum Auditorum qui promoverentur vel, si promoti iam, ad aliam ecclesiam transferrentur, illico vacare et pro vacatis habenda fore. [1] At constitutio innocentiana profecit nihil; immo documentis scimus, post ipsam complures numero simul eodemque tempore in Rota adfuisse episcopos Auditorum Locatenentes, [2] quotquot forte nunquam antea uno eodemque tempore fuerant; adeo ut, exempli ergo, sub Paulo III quinque anno 1537 enumerarentur Locatenentes, nempe: Neocastren. (*Petrus Paulus Capisucchi*), Aquen. (*Petrus Van der Worst*), Maceraten. (*Ioannes de Clerc*), Sarnen. (*Ludovicus Gomez*), Marsicanus (*Marcellus Crescenzi*). [3] Neque res omnino perfecit Gregorius XIII, constitutione de qua scribit Moroni (quae tamen me quaerentem latet adhuc) qua declarasset auditoratum Rotae incompatibilem esse cum episcopatu; quamvis enim expost ut plurimum promoti Auditores ecclesias suas pergerent quo citius potuissent, nonnulli tamen per notabile tempus Locatenentes in Rota permanserunt, ut ecce Seraphinus Olivarius, elatus ad patriarchatum alexandrinum anno 1602 a Clemente VIII, olim collega suo, [4] Alexander Ludovisi archiepiscopus bononiensis, [5] et, ut ceteros mittam, Pompeus Aldrovandi, de quo plurimum sermonis habeam inferius, suis locis, archiepiscopus Neo-Caesareae, patriarcha hierosolimitanus (1716-1733).[6]

14. – Post hunc nullus amplius Auditor, ad episcopalem dignitatem evectus, longo tempore mansit in Rota Locumtenens; sed per breve tempus utique: ita ut stylus huiusmodi, cuius initia sub Innocentio III conspiciuntur, ad novissima Rotae tempora, frustra eum evellere adnitentibus romanis Pontificibus, usque pervenerit. Quapropter concludendum esse videretur, reapse episcopos iure et de iure membra esse pontificalis audientiae.

15. – Sed, si excipias casum Iacobi de Pencoëtdic, qui a Pio II quamvis electus briocen. assumptus tamen fuit in Capellanum Auditorem causarum palatii, et forte Iosephi Musti (an. 1680), ceteri episcopi inter Auditores causarum palatii fuerunt usque *Auditorum loca tenentes vel exercentes*, nunquam *Capellani*, sed semper *Fratres* a romano Pontifice appellati: de Auditorum collegio nunquam fuerunt, adeo ut illius Decanatu quominus potirentur prohibitum usque fuerit;

[1] Vol. III, pag. 220, n. 131.
[2] Ibi, pag. 233-234, n. 139; pag. 251, n. 146.
[3] Ibi, p. 286.
[4] Vol. II, pag 106, n. 420.
[5] Ibi, pag. 130, n. 451.
[6] Ibi, pag. 213, n. 536.

immo, si Decanus Auditorum contigisset ad episcopatum evehi, illico e Decanatu excidebat, et post Decanum sedere pergebat, inter ceteros Auditores primus, non amplius Auditor, sed Auditoris Locumtenens. [1] Adeo ut Pompeus Aldrovandi, archiepiscopus, cum vellet decanalem sedem ascendere, anno 1726, opus habuerit causam agitare coram cardinalium et praelatorum extraordinaria congregatione, cuius decisio nonnisi maiori votorum scissione prodiit, et eam aegerrime ferentibus Auditoribus, qui, ut primum possibile fuit, id effecerunt, ut Aldrovandus Decanatui valedicere cogeretur, et Pontifex constitutionem ederet, qua statuitur dignitatem episcopalem obstare etiam in episcopo titulari quominus Rotae Decanatum adipisci possit. [2]

16. – Capellani autem Auditores usque totis viribus adnisi sunt ne episcopi in Capellanos admitterentur; nam, Iacobum de Pencoëtdic quod attinet, utique constat assumptum fuisse a Pio II in Capellanum, quamvis iam esset electus briocen.; sed Auditores eum nolebant recipere, et eum non admiserunt, nisi sub comminatione excommunicationis et poenarum facta eis de mandato eiusdem Pontificis a Roderigo Borgia, tunc temporis Vice-Cancellario. [3] Et puto eos denique cervices flexisse, non tantum poenarum timore, quo tunc temporis expertes erant Auditores ubi ageretur de iuribus Rotae tuendis, quantum consideratione moti quod in casu agebatur non de episcopo consecrato, sed simpliciter de electo. Mustius autem admissus in Rotam nunquam fuit: erat namque Nuncius apostolicus apud Sabaudiae Ducem. Electus ab Innocentio XI in Auditorem Rotae, Rota rem iudicavit tamquam « inauditum hactenus exemplum », et in *Diario* suo Iacobus Emerix, Auditor, ironice animadvertebat: « Sicut « olim plurimum excrevit Cardinalitia dignitas, dum ad eam assumi « coeperunt Episcopi, ita nunc iure merito dici potest ad summum « pervenisse dignitatem Auditoratus, dum illam retinere non solum « expost creati Episcopi, sed ad eam assumi iam exsistentes non « dedignentur Archiepiscopi ». Et ita adlaboratam est, ut Mustius nunquam peregerit coeremonias praeambulas et necessarias ad possessionem capiendam officii ad quod fuerat nominatus, nunquam per 10 annos in romanam curiam reversus, ita ut, tandem aliquando, libere (?) in manibus Papae Auditoratum dimiserit. [4] – Item Bene-

[1] Cfr. inferius *de Decano*.

[2] Vol. III, pag. 502, n. 409; et cit. pag. 213, n. 536.

[3] Ibi, pag. 162, n. 93. Ita reor explicandam esse oppositionem factam ab Auditoribus nominationi istius electi briocen., cum nulla alia appareat ratio illam iustificans.

[4] *Diar.* EMERIX, fol. 143, n. 224, fol. 225, n. 536; vol. II, *pag. 192, n. 504*. His contradicit CAVALLERINIUS qui in suo *Diario* sub die 17 febr. 1690 scripsit: « Rpd.

dictus XIII, anno 1727 Auditorem Rotae creavit exsitentem archiepiscopum, Antonium Franciscum de Valentibus. Hic acceptus fuit a Rota; sed Decanus non praetermisit novitatem in *Diario Decanali* adnotare, et paulo post, nempe anno 1730, Antonius Franciscus factus datarius Papae, Rotae auditoratui valedixit.[1]

17. – Cum igitur talis fuerit stylus, iam patet hunc, quin meae adversetur thesi, illam probare: nam episcopi, si Capellani non fuerunt, si ab Auditorum collegio extorres fiebant et non alio nomine vocati sunt quam Locatenentes Auditorum, evidenter ipsi causas palatii audiebant in vim non iuris, quo eas audiebant Capellani et cardinales, sed alterius. Et revera, quo pacto idem ius applicari potuisset episcopis et Capellanis, cum episcopalis dignitas tantum praecellat Capellanorum dignitati, ut summa hierarchia constituat in ecclesia Dei? Episcopos, fratres romani Pontificis et illius coëpiscopos, dedecebat munere cohonestari ministrandi summo fratri et eorum coëpiscopo: episcopi, quorum est regere ecclesiam Dei, iudices nati fidelium, quibus auditorium ius ipsum dat illudque reveretur, nequibant pares fieri simplicibus clericis in ministerio summi hierarchae. Ideo non,

« Mustus, Ferrarien. et designatus Auditor Rotae a fel. rec. Innocentio XI, licet de « Auditoratu possessionem coepisset ex gratia Tribunalis per procuratorem, cum « fuerit declaratus nuncius Hispaniarum, suadente Pontifice non approbante quod « Archiepiscopus deberet se examini aliisque stylis et ceremoniis Tribunalis subii- « cere, Auditoratum Rotae per Procuratorem, ad id specialiter deputatum, renun- « ciavit, et iussu Pontificis in archivio Rotae registrari mandatum; quae renunciatio « neque ex parte iubentis, neque ex parte obtemperantis, Rotae visa fuit satis « conveniens ». Ast Cavallerinius rerum male informatum se perhibet, quae evenerant multo ante quam ipse Rotam ingressus fuisset. Nam electio Mustii contigit anno 1680 (*vol. II, pag. 514, n. 192*) et Cavallerinius tantummodo *die 21 maii 1689 denunciatus fuit Auditor S. Rotae,* uti ipse fatetur initio *Diarii.* Igitur ipse oculatus testis rerum quae tot ante annis contigerant, non fuit: neque eas relatu bene percipere potuit, utpote quod tunc ipse « intollerabile munus Locumtenentis..... « Auditoris Camerae, nec una quidem intermissa die quadruplicatis functionibus « explebat ». (Ita ipse in *Diario*). Secus vero Emerix, unus tunc ex senioribus Rotae Auditoribus; secus Petrus Otthoboni, qui tunc Vice-Cancellarius erat et Rotae rerum pergnarus quique, Papa cum esset anno 1690, nequaquam iussisset Mustium auditoratui valedicere eiusque renunciationem in archivio Rotae registrari, nisi compertum haberet Mustium nunquam sui officii possessionem coepisse. Ceterum quanta rotalium rerum notitiam calluerit Emerix multis testimoniis scimus; quanta sedulitate et candore ipsas adnotaverit et retulerit, illius a Studiis Adiutores in fine *Diarii* testantur. Cavallerinio autem haec fuisse praesumimus, sed nullo directo testimonio comperimus. Profecto ipsius *Diarii* adnotationes dissentiones suo tempore Ecclesiam et curiam vexantes redolere legentium neget nemo. - Ceterum Auditoratus possessio non capiebatur die quo Motusproprius praesentabatur; sed die quo Decanus electo Auditori os aperiebat, inquiens: *Esto Auditor,* quod quidem Mustio nunquam dictum fuit et Cavallerinius indirecte admittit referens, Papam non approbasse archiepiscopum examini aliisque stylis tribunalis se subiicere.

[1] Vol. II, pag. 226, n. 557.

Capellani; sed, nisi Capellani, non Auditores: et propterea, si causas audiendi munere functi, ipsi loca tenentes vel exercentes Auditorum vocati sunt, iam patet, eos non iure neque de iure audientiae Papae in membra adscitos fuisse, sed in eam vocatos, quia, cum iuri non repugnet doctis hominibus in iudiciis uti, eorum eligebatur personalis industria, praesertim quando illam probassent experientia iudiciorum, ab eis, antea Capellanis Auditoribus, diu peractorum.

18. - Nunc esset dicendum de cardinalibus; sed cum speciale ius istorum operam moderatum fuerit, de iis inferius speciale tractatum habeam.

19. - Ideo, ad incoeptum rediens, demonstrationem perficiam, scribens.

CAPUT VI.

De officio Vice-Cancellarii, Auditoris contradictarum et Camerarii.

1. – Difficultatibus contra Cancellariae ordinationem a Lucio III iniunctam explosis, stat itaque Cancellariam ea ratione fuisse ab eodem Lucio ordinatam ut nempe constaret cardinali Vice-Cancellario, alio inferiore prelato, et denique Capellanis.

2. – Hoc nedum ex dictis probatur, sed aperte refertur ab notario qui notam scripsit eorum quae in primo generali concilio lugdunen. gesta fuerunt anno 1245. Ipse enim subtiliter describens personas quae sessionibus concilii aderant et locum unicuique tam singulari, quam morali, personae tributum, narrat diaconum cardinalem Vice-Cancellarium cum auditore, Capellanis et subdiaconibus locum habuisse a sinistris Papae, dum cardinales, patriarchae, archiepiscopi etc. dispositi ex ordine fuerant in navi ecclesiae.[1]

3. – Maximi ponderis pro re nostra documentum hoc est, cum exaratum fuerit a notario, et rem referat gestam sub Innocentio IV, summo illo iurisconsulto, qui unus soeculo XIII optime animo hausit iuris a Lucio III conditi rationem et sapientiam, et ideo unus cardinalis qui per illud soeculum Vice-Cancellarium libenter gessit.

4. - Ex hoc tamen alia difficultas exoriri videtur: nam annumerans post officiales Cancellariae etiam subdiaconos, hi viderentur de iure accensiti in membra eiusdem Cancellariae.

5. - Ast res explicatu non est difficilis: siquidem in sequioribus textibus nunquam amplius subdiaconi reperiuntur accensiti

[1] Vol. III, pag. 23, n. 29.

cum officialibus Cancellariae; ideo textus anni 1245 rem refert praetereuntis facti, non autem iuris. Nam ius subdiaconos excludit a ministerio Principis. Verum, cum subdiaconi veteri Cancellariae fuerint addicti, ceu videtur admitti posse ex eo quod bullae reperiantur datae per manus alicuius subdiaconi, cum subdiaconi dignitas magna adhuc fuisset et maximo haberetur in praetio etiam vivente Innocentio IV, reor Papam, illico non potuisse apostolicos subdiaconos procul a nova Cancellaria collocare. Ceterum, subdiaconatus ordinis cum sit diacono inservire in divinis et etiam in viduarum et pauperum ministerio, incongruum non erat ut subdiaconi apostolici, inservissent diacono cardinali in ministerio Cancellariae. Utcumque; magna significatione non caret, nostrum textum subdiaconos recensere post Capellanos, quamvis subdiaconatus dignitas maior esset dignitate Capellani; liquido sic innuit subdiaconos extra Cancellariam esse, sed Cancellariae iungi tamquam non necessarium accessorium. Adeo verum, ut textus referat, praeter subdiaconos « *quosdam alios* » locum habuisse a sinistris Papae.

6. – Ceterum, si subdiaconatu habiles redderentur homines ad iura in causis dicenda, eccur ubi subdiaconi dati vel concessi fuerunt Auditores, semper creati sunt Capellani?

7. – Igitur conclusio nostra stat. Inquiramus nunc qua ratione constituerit Lucius III officia Vice-Cancellarii, alius inferioris praelati et denique Capellanorum: haec tamen inquiramus non in genere, sed in specie, quoad ea scilicet dumtaxat quae causarum per alium videndarum iudicia respiciunt: reliqua enim inquirere ex institutione operis non est.

8. – Sedulo animadvertatur, ideo Papam Cancellariam constituisse, ut per eam faceret quae per se - publicis occupationibus impeditum - facere non posset. Generalia haec ad particularia iudiciorum restringentes, nobis Cancellaria constituta est ut per eam iudicia causarum Papa perficeret quae per semet impeditum perficere non posset, aut nollet, utpote quod litigatores ad eum recurrentes, ab eo petierant ut causam per alium iudicaret.

9. – Hos intra fines et hoc in sensu, Cancellaria *audientia* appellata est. Decretalium libri et cumulatissime Pontificum Regestra hoc ad evidentiam docent, cum inibi *audientia*, vel *audientia nostra* continuo in litteris decretalibus memoretur. Adeo ut Pragmatici illarum tempestatum, formulam libellorum tradentes quibus iudiciales causae rite introduci valerent « Rome in curia domini pape », unam praebeant ei qui « qui vellet agere coram domino papa » et alteram ei

« qui vellet quod causa alicui committeretur », hanc Romae vocari *petitionem* asserunt, docentes: « Et petitio ista porrigitur Rome in « *audientia* ».[1] Locum vero quo audientia Papae sedebat, *auditorium* est appellatum: quod, si Papa causas iudicasset personaliter sub communi suorum omnium Procerum audientia, *consistorium* vocatum est, uti consistorio nomine venit locum quo Princeps seu Imperator sedebat pro tribunali.

10. - Porro, officio Vice-Cancellarii Lucius III commisit, iam inde ab initio, iudicibus praesidere, deindeque cunctos oblatos Papae libellos, tum gratiae, tum iustitiae, recipere ac eos propriis officialibus distribuere. Iudicem illum constituere non potuit. Cum enim sibi Papa competere retinuerit iuridicam positionem imperialis Cancellarii, cuius praecipue erat iudicia perficere, et, non ex imperiali, sed ex propria persona sententias proferre,[2] magis tribuere Vice-Cancellarii officio iudicum praesidentia fas illi non fuit.

11. - Ita, igitur, officio Praefecti praetorio in Vice-Cancellario constituto, quomodo moderaverit Papa et in quonam officium Quaestoris palatii scribere salebrosum est: pauca enim hac de re supersunt documenta, eaque non admodum apta ut nitidum afferant lumen. Utcumque, documentis cognoscimus primum maximumque post Vice-Cancellarium officialem apostolicae Cancellariae fuisse *Auditorem contradictarum:* ita, v. g.; notarius qui notam eorum quae gesta fuerunt in primo concilio generali lugdunen. sub Innocentio IV exaravit, eum collocat immediate post Vice-Cancellarium;[3] et Ridolphinus paucis multa referens, testatur: « Olim Auditor contradictarum post « Cardinales et Vice-Cancellarium primum locum obtinebat ».[4]

12. - De illius officio idem Ridolphinus disserens, scribit: « offi- « cium contradictarum habet Auditorem, qui hodie est Praelatus « Romanae Curiae, et solet *contradictiones* signanter audire, *si inter « impetrantes litteras apostolicas de persona iudicis, loco iudicii, aut « alia re impetrationem concernente, fit controversia:* unde contradi- « ctarum Auditor a contradictione et controversia appellatus; estque « iudex ordinarius Romanae Curiae, saltem a Papa, vero Ordinario, « Substitutus, ut testatur Vestrius in *prax. lib. I, c. 5, n. 1* ».

13. - Hoc cum fuerit contradictarum Auditoris officium, tempore quo Ridolphinus scribebat (soeculo XVII) quum scilicet eodem

[1] ODOFREDUS, *de libellis formandis* in *Tractatus illustrium iurisconsultorum*. Venetiis, 1584, tom. III, p. III, c. III.

[2] Novella CXXVI, c. I.

[3] Vol. III, pag. 23, n. 29.

[4] *Praxis rec.*, p. I, c. III.

Ridolphino teste « ab illa antiqua dignitate, in eo diminuta, longius « distabat », iam patet, mirum quidem non esse, soeculo XIV Iohannem XXII per Auditorem contradictarum quaenam festa duntaxat observanda ab Auditoribus in posterum forent [1] decrevisse, ac, iure, eamdem constitutionem suam *Ratio iuris* servari iussisse nedum in Regestris Cancellariae, sed et audientiae contradictarum, eum praecise in finem, *ut illius statuta inviolabiliter observarentur*, ideoque in ipsa, et non alibi, quotannis solemniter legenda, *in kalendis octobris.* [2] Unde Auditores Rotae recte tenuerunt, ibi esse romanam curiam ubi audientia contradictarum sedebat; quia reipsa, romani Pontifices Auditori contradictarum in mandatis dederant ordinationes, regimen et gubernationem officiorum ac officialium Cancellariae et Poenitentiariae, audientiae contradictarum et causarum s. a. palatii etc. concernentes, edere: [3] easque in ipsa audientia contradictarum publicare: [4] unde quambene explicatur, cur Gulielmus Horborth, Auditor causarum s. p. a. soeculi XIV, colligere volens conclusiones seu determinationes aut decisiones quorumdam dubiorum in quibus finaliter omnes vel maior pars tunc exsistentium Auditorum remanserant, nedum Auditorum mandato, voluntate et unanimi consensu, verum etiam consensu indiguerit Bertrandi, episcopi pampilonensis, tunc « *contradictarum audientie domini nostri pape Auditoris* »; [5] et demum, cur auctores, fere ad nihilum magnitudinem officii Auditoris contradictarum descita, eiusque officio in Vice-Cancellario, veluti iure postliminii, consolidato, inter Vice-Cancellarii munia, et munus accenseant *Quaestoris.* [6]

14. – Porro ex his omnibus satis aperte ostendi Auditori contradictarum in curia Papae munus fuisse commissum Quaestoris imperialis palatii, inficias ibit nemo. Nam quamvis ex historicis certo sciamus, Quaestorum curam primo fuisse pecuniariam, Quaestoris tamen imperialis palatii officium dignitate crevit, adeo ut Cancellarii munus gereret et rescriptis subscriberet. [7] Huic Imperator curam commiserat *minoris laterculi,* [8] codicis scilicet illius, «in quo Magistra-

[1] Bulla *Ratio iuris,* § 4, in vol. III, pag. 69, n. 50.

[2] Ibi, l. c.

[3] MARTINUS V, bulla *In apostolicae,* vol. III, pag, 98, n. 61.

[4] Saepius in bullis et ordinationibus Papae legitur, eas legi debuisse, mandato Papae in Audientia, ceu patet ex docum. nn. 50, 57, 61, etc. mei III voluminis.

[5] Decisiones s. r. Rotae *Novae.* Proëmium.

[6] CIAMPINUS, l. c.

[7] BRUNNEMAN., *Comment. in Cod.,* l. I, in legem: *totius.*

[8] *Cod.,* l. I, tit. XXX, l. *totius.*

« tuum nomina et officia, *item administrandi ratio et leges contine-* « *bantur* ».[1]

15. - Quaestorem imperialis palatii Imperator titulo « *illustris* » vel « *illustrissimi* » decoravit:[2] Papae autem Auditorem contradictarum, Capellanum (quem ut plurimum episcopali dignitate progressu temporis decorabant) esse voluerunt, saltem soeculis XIII et XIV; quemque nonnunquam ad Vice-Cancellarii munus evehere (ut ecce factum fuit cum Sigismundo Flisco),[3] denique sacra purpura cohonestati sunt, ut ecce contigit cum eodem Sigismundo, qui postea fuit Papa, Innocentio IV nomine vocatus; et, ne ceteros memorem omnes, cum Petro de Sarcenato, celebri illo cardinali vivarien., cuius mentionem cum maximis laudibus saepius facit in suis conclusionibus Aegidius Bellemera, cuiusque operam pro reformatione romanae curiae meminit Martinus V in bulla « In Apostolicae », an. 1418.[4]

16. – Ast, inquies, cuiusnam ex imperialibus officialibus figuram gessit in curia Papae Camerarius, qui tamen a romanis Pontificibus primus enumeratur inter curiales suos, uti, v. g,, in costitutionibus Iohannis XXII et Benedicti XII « Ex debito », et « Ad regimen », quibus dispositioni apostolicae reservantur beneficia curialium?[5]

17. – Profecto, Praepositi Cubiculariorum Imperatoris « *qui erat* « *quasi supremus Camerarius* », maximamque habebat dignitatem, parem Praefecto praetorio aut Urbi.[6] Ideo Camerarius Papae cardinalis fuit, et, cum praeesset Cubiculariis seu Capellanis Papae, ipsi necessitudo officii erat cum omnibus curiae officialibus, qui omnes erant Capellani: ideo isti, omnes, ab ipso cardinali Vice-Cancellario ad novissimum capellanorum, exceptis tantum notariis apostolicae sedis,[7] vix ac darentur recipi inter alios, iurabant coram Camerario, uti fusius infra disseram.[8]

18. – Haec de romanae curiae ordinatione retexere operis mei erat ex institutione: cetera narrent sapientes, quibus tamen memini

[1] BRUNNEMAN, l. c.
[2] *Cod.* l. VII, tit. 62, l. 34.
[3] POTTHAST, *Reg. RR. Pontif.*
[4] Vol. III, pag. 98, n. 61.
[5] Ibi, pag. 78-79, n. 51. et pag. 79 et ssq., n. 52.
[6] BRUNNEMAN, l. c., l. XII, tit. V, nn. 1, 2 et 14.
[7] BONIFACIUS DE VITALINIS, *Comment. in Clementinas.*
[8] Curia et capella synonima sunt; immo prius voce capella quam curia usi sunt Papae: in nostris documentis vox *curia* prima vice paret anno 1252, quo Capellani Auditores se dicere coeperunt « generales Auditores causarum curie domini « Pape » (vol. III, pag. 27, n. 33). Igitur si curia vocabatur capella, omnes curiales vocandi erant capellani.

liceat, romanam curiam iuridicum ens fuisse eminenter, cui esse et essendi rationem et qualitatem ius romanum-canonicum tribuit; quapropter non solis documentis, sed iuris studio potissimum quo vis documentorum percipi queat, sapientissimi huiusmodi entis reconstructio scite fiet.

CAPUT VII.

Papa in perficiendis iudiciis morem sibi sumit publici administratoris publicis occupationibus impediti.

1. – Hisce de potioribus romanae curiae officiis et officialibus – rem nostram quod attinet – delibatis, antequam quale fuerit officium Capellanorum explanetur, multa adhuc praeponere necesse est. Itaque, in primis, cum Cancellaria, sive palatium apostolicum, sive curia romana, non esset nisi curia totius ecclesiae Christi, cuius Papa primus est administer seu Cancellarius, necessario consequebatur, Papam non magis sese habuisse quam eiusdem curiae primum officialem; propterea, sive in consultationibus dimittendis, sive in causis iudicandis, ad iuris regulas, pro publicis administratoribus iure communi constitutas, procedere statuisse.

2. – Consultationes praetermittamus: nostra enim non intersunt hae. Quaeramus quae de iudiciis fuerunt. Sed neque de universis papalibus iudiciis; de iis verum dumtaxat, quae ut Papa per alios perficeret, vel fuerat petitum in audientia, vel ipse mandaverat: iis perficiendis Auditores causarum s. a. palatii constituti sunt; de ceteris, iis nempe quae coram ipsa Papae persona agitabantur, ad eos nunquam pertinuit utcumque.

3. – Igitur pro administratoribus, publicis occupationibus impeditis, haec caverat lege Imperator: « Si (iudex) Administrator sit, et publicis « occupationibus impediatur, litem apud se agitandam saltem in con« testatione audiat, – et rursus in medio semel – et in fine omnia « etiam quae sunt examinata consequenter audiat – et sic ferat sen« tentiam. – Et appellationem, si fiat, suscipiat. – *Cetera licet expedire « per Consiliarios* ».[1]

4. – Huius legis praecepto, litem nempe audiendi saltem in contestatione, parere ratus est romanus Pontifex, libellum appellationis accipiendo et iudicem petenti dando, aut concedendo: hoc enim modo hacque ratione libellus datus Principi litis contestationem facit.[2]

[1] *Cod.* libr. III, tit. I, *de iudiciis* 11, 5, *quid sit per iudic.*

[2] *Cod.* libr. I, tit. XX; Brunneman, in *Comm. ad Cod.*, l. 1, tit. XXVI, *de Off. Praef. praet.* scribit: « Quando libellus supplex ad Principem dirigitur et Princeps

5. – Sed, si *petitio* porrigebatur in *audientia*, et Vice-Cancellarii erat iudices dare aut concedere, quomodo praefato praecepto legis parituṁ erat, ita ut litis contestatio fieret iure? Nam « si libellus « Praefecto praetorio offeratur et hic rescribat, hoc rescriptum vim « contestationis litis non habet ». [1]

6. – Equidem petitio erat in audientia porrigenda: sed cum semper ad Papam omnibus facilis patuerit accessus, hinc non raro petitiones quin in audientia porrigerentur, Papae dabantur. Ideo saepius Papa ipse manu sua rescriptum signabat, et ita plene legis praecepto satisfactum erat. Quum vero petitio in audientia porrecta fuerat, Vice-Cancellarius, vel Cancellariae Regens, susceptae petitioni rescriptum apponebat *in praesentia domini pape*, in unoquoque rescripto praefata verba referens, ne dato vel concesso iudici ullum tribuisset ius ullamque iurisdictionem. Et ita quidem rescriptum Cancellariae ab ipso Principe prodibat, eademque pollebat vi quoad litis contestationem, ac si ab ipsa Papae manu signatum fuisset. [2]

7. – Et cum huiusmodi rescripto (vel arbitrio Papae, vel ad preces petentis) nil aliud fieret, quam alicui causam committere, hinc illi *commissio* nomen fuit.

8. – Verum, alterum praefatae legis praeceptum rursus litem semel *in medio* audire iudici praecipit. Cum esset igitur et hoc facessendum, *commissione* definiendum erat, quoties *in medio* et quali in eiusdem litis *medio* hanc sibi Papa videndam, reservasset.

9. – Nam *medium litis* ea omnia appellabantur quae ab eiusdem litis contestatione ad integram processus instructionem usque intercedebant, quaeque actus sunt non iurisdictionales.

10. – Huiusmodi mediorum fas erat Papae vel cuncta, vel aliqua, vel unum tantummodo alteri committere: lex enim ita accepta est, ut verbum *saltem* et primum et alterum legis praeceptum vi sua afficeret. Quapropter, nisi *commissione* definiretur quot commissa media fuissent et quali in *medio* Papa sibi litem rursus videndam reservasset, cui lis commissa erat fas non fuisset novi.

« rescribit et delegat iudicem, hoc in *annalibus actionibus* habetur pro litis conte- « statione ».

[1] *Cod.* lib. I, tit. XXVI; « Libellus Praefecto Praetorio datus, pro litis contesta- « tione haberi non potest ». BRUNNEMAN, ibi, l. c. Haec tamen intellige, ea limitando ad generale principium: nam quid et quare, semel constituta romana curia, et posterioribus legibus latis, in iure quoad hoc senserint Auditores nostri et facto egerint, inferius suis locis videbimus.

[2] Ideo merito Cancellaria appellata fuit *organum Papae*. (CASSADOR, Decis. II, n. 7, *de unionibus*).

11. – Inde regula, strictissime esse interpretandas commissiones Auditorum causarum palatii, seu Rotae [1] ac illarum *rescriptum* seu *signaturam* esse attendendam, non autem quid fuerit petitum in commissione. [2] Uti enim Papa media universa unius causae unica commissione, ita poterat unum, vel alterum, vel omnia, singillatim pluribus commissionibus alteri committere.

12. – Commissis autem mediis, Papa, cui lis erat saltem in medio rursus audienda, horum recipere necessario debebat relationem ab eo per quem eadem expediverat. Deinde fluxit stylus *relationum* faciundarum, de quibus plenissime infra disseram.

13. – Verum lex praecipit litis media iudici licere expedire per *consiliarios*. Porro, consiliarii Papae quinam, nisi unici et soli cardinales? Ideo iam inde ab initio causas s. p. a. audiendas commiserunt romani Pontifices cardinalibus, qui propter eminentissimam dignitatem suam extorres a curia papali, sicut Senatores ab imperiali palatio, in eadem tamen legitime operam suam praestarunt, qua Papae consiliarii, [3] huius legis in vim: quocirca eis, expedientibus causas s. a. palatii, nullum speciale impositum nomen fuit, cum simplici cardinalium appellatione abunde iam consiliarii significarentur.

14. – Quamvis vero unici et soli cardinales habiles ad causarum s. a. palatii media expedienda, non inde tamen Capellani videri debent munus huiuscemodi obire praepediti. Nam lex ista in regulam tantummodo assumpta fuit illius curiae quam Papa creaverat, lege innixus Imperatori auditorium specialiter suum concedente, cuius membra nata Proceres sunt palatii, quibuscum Praefectus Praetorio causas iudicare debebat. Quocirca, si assumptae regulae in vim cardinales ad expediendas s. a. palatii causas quae tantummodo cum palatii Proceribus, seu Capellanis, forent diiudicandae, habiles fiebant, ius Capellanorum, qua s. a. palatii Procerum, easdem causas expediendi non ideo auferebatur. Neque de facto ablatum eis voluerunt Pontifices; qui, immo, sarctum tectumque illud servarunt, non tantummodo in observantiam praedictae fundamentalis legis, sed et ad id, ut in papali curia, seu

[1] Decis. 18 *de dol. et contum.* in *Novis;* decis. 85, n. 4, part. IV et decis. 324, n. 3, part. XIV, *Recent.*

[2] Decis. 144, n. 30, part. XV et decis. 629, n. 2, part. III. *Recent.*

[3] Oldradus, *cons. 211, n. 5*, ubi Avenione sub Iohanne XXII agitata est quaestio, utrum cardinales essent, vel non curiales habendi de iure, affirmativam sententiam tuitus, inter alia, sequentia scripsit, nempe: « Si ergo Curia dicta est a cura, illi « potissime curiales dici debent, *per quorum* curam et *consilia* respublica regitur; « tales autem sunt Cardinales... Nec ab huiusmodi vocabuli (curialium) significa« tione eos excludit excellentia status: quoniam nec excellentia imperialis culminis « principem eximit ab ordine Senatorio ».

palatio, quid simile haberetur *duciano iudicio* imperialis palatii, ut nempe graviores caussae, vel lites magnarum dignitatum, solis cardinalibus, et ne laboris isti opprimerentur mole, caussae mediocres, vel minorum dignitatum, committi valerent Capellanis. [1]

15. – Diverso igitur ex iuris fonte ad causas s. p. a. audiendas cardinalium ac Capellanorum habilitas manavit: cardinalium namque ex lege *quaenam iudici liceat per alios expedire, quaenam autem teneatur facere per se* adamussim moderante; hinc cardinalium potestas et officium apprime in suis terminis definita et in sua appellatione: Capellanorum vero, ex generali lege constitutiva s. p. a.; proinde Capellanorum indefinita potestas, indefinitum officium, indefinita congrua specifica appellatio; quae quidem omnia nonnisi huiuscemodi generalis legis interpretatione erant definienda, prouti ita definita fuerunt reipsa.

CAPUT VIII.

Constituitur officium Capellanorum Auditorum causarum sacri palatii apostolici.

1. – Nam sicuti iure cuiusvis causae distinguitur principium (*litis contestatio*), medium (*intructio processus*) et finis (*sententia*), ita quidem illius, cui causa audienda committitur, officium in tres veluti partes pro tribus litis momentis distinguitur. *Media* enim litis audiuntur; hisce auditis, seu instructo processu, *merita caussae cognoscuntur;* hisce cognitis, *consilium datur et accipitur;* demum lis a iudice *sententia definitur.*

[1] *Cod.* libr. VII, tit. LXII, l. 32, *de duciano iudicio.* Et revera SPECULATOR scribit, Capellanos Papae posse cognoscere de causis appellationum totius orbis, « nisi tamen de causis Episcoporum vel Abbatiarum et huiusmodi magnarum digni- « tatum » libr. VII, tit. *de libell. concept.* n. 6; BONIFACIUS DE VITALINIS: « Hic loquimur « de causis minoribus, seu mediocribus, quae Auditoribus committuntur; secus in « maximis, quae solis cardinalibus committuntur, ut dicit Gloss. in cap. » (in *Clement. de elect.,* n. 32); VILLAGUT: « Auditores s. Palatii... quibus causae committebantur « a Papa vel Vice-Cancellario, et in plurimum hae causae sunt minores...; causae « vero maiores et arduae, ut plurimum, committuntur dominis 'cardinalibus » (*de extens. leg.,* fol. 286, n. 34). Ceterum, nequibat Pontifex Capellanos respuere, etiam quia praeceptum legis urgebat, in *Novella LXXXII* contentum, quo pedaneos iudices esse vult, quibus dumtaxat « *et alteri omnino nulli* » causae committendae erant ab Administratoribus, « *nisi consiliariis suis commiserint particulares examinationes* » (citat. *novell. LXXXII,* c. II). Huius *Novellae* verbis utitur Aegidius Bellemera in *conclus. 746,* in qua asserit, omnes s. p. a. causas esse distribuendas Capellanis et non aliis, nisi cardinalibus: deinde, videtur haec *Novella* prae oculis fuisse romano Pontifici in ordinanda curia sua iudiciali, in qua ita, reipsa, Capellani erant pedanei iudices Ecclesiae Administratoris, cuius consiliarii fuerunt usque cardinales.

2. – Cum autem litis contestatio et sententiae prolatio iure spectent ad iudicem, et, in casu nostro, ad ipsum Papam, hinc iste Capellanis officium constituere poterat vel dumtaxat *audiendi media*, vel tantummodo *merita caussae cognoscendi*, vel solum *consilia super meritis eiusdem caussae praebendi:* vel duo ex his tribus, aut tria haec universa. - Porro haec inter causae iurisdictionalia non accensentur: ideo Innocentius III eos quibus media causae committuntur decreto suo sanxit, melius esse, quam judices, vocari *Auditores*. [1]

3. – Quomodo autem Papae ante Innocentium III hac de re se gesserint, ad amussim, deficientibus historicis testimoniis, tradi nequit, quamvis haud temere autumaretur, Capellanis a principio nonnisi media litium audienda fuisse commissa, cum ita factum fuisse comperiatur frequentius etiam sub ipso Innocentio III. [2]

4. – Ast facile Pontifici huic, divini humanique iuris consultissimo, legi praecipienti causas esse in speciali auditorio Principis cum Proceribus palatii ventilandas, sufficienter hac ratione non satisfieri percipere fuit; nam genuinis documentis quae mihi obvia facta sunt, scatet ipsum, omnium primum post Lucium III, haud mediorum dumtaxat non iurisdictionalium causarum audientiam committere consuevisse. Nam data eis commissione eadem media audiendi, istorumque relatione a Capellanis recepta, eos ab aliquot ex cardinalibus consilia exquirere, et his habitis, nova commissione praecipiebat de mandato suo sententiam ferre. Ne autem fierent controversiae litigantium immortales, « si sopite iudicio quovis in antique contentionis scru- « pulum reducerentur, sententias ... ex delegatione sua canonice pro- « mulgatas apostolice confirmationis presidio roborare » [3] et apostolici scripti patrocinio communire, consuevit.

5. – Visum est illi sic et legi generali s. a. palatii et assumptae regulae satis obtemperari: nam ipse, libellos recipiens et signaturam iisdem apponens, iam regulae assumptae satisfaciebat duobus saltem primis praeceptis: cardinales ad consilium Capellanis dando, iam aliquid per consiliarios expediebat: Capellanis cum cardinalibus merita causarum ita necessario ventilantibus, iam causae in florentissimorum Procerum commune auditorio ventilabantur; denique, cum « qui facit

[1] Vol. III, n. 8, pag. 8.

[2] *Regestr.* Innoc. III, anno XIV, edit. Bosquet, n. 87, pag. 333 seqq.; Vol. III, n. 10, pag. 9 ssq.; n. 11, pag. 10 et ssq.

[3] Arch. Vat., Regestr. vat. n. 4, Innoc. III an. II, n. XXXXVII, alias 46: ait heic Innocentius de sententiis latis « per fratres nostros ex delegatione nostra »; ast unum id·mque egit, ut ex eodem Regestro constat, de sententiis eadem ratione latis per Capellanos.

« per alium sit perinde ac si faciat per seipsum »,[1] ipse iure videbatur sententias causarum proferre, cuius Capellanus nonnisi de mandato suo pronunciabat, et quidem, habito cardinalium (nempe consiliariorum Papae) consilio, et pronunciatione postea ratihabita et adprobata ab ipso Papa, ab ipsoque apostolici scripti patrocinio communita.

6. – Denique, appellationem, si fieret, ipse accipiebat, eodem modo ac prima petitio ab eo accipiebatur. Et hac ratione legi in regulam audientiae assumptae satis paritum iri ratus est.

7. – Profecto talis practica legum acceptio, expers non erat vitii, nam – ut heic unum indigitem – ea cardinales qui dignitate adeo Capellanis praecellebant, in causis Capellano commissis simplicem illius adsessoris partem agere compellebantur: quod facile deprehensum est minus eorum magnitudinem dignitatis decere, praesertim quum ea causarum multitudo, quae sub Innocentio III ob incomparabilem illius scientiam et miram aequitatem prudentiamque, ad romanum Pontificem confluere coeperat, quin imminueretur, constans, e contra, perrexit, et eo mortuo, ad sanctam sedem sponte confluere: fere quotidie erat cardinalibus officio adsessoris Capellanorum incumbere. Quapropter haud multo post Innocentii III obitum, coeptum est non amplius duos aut plures cardinales ad consilium Capellanis dare, sed unum dumtaxat et aliquot viros prudentes, lege invocata qua iudicibus consilium prudentium exquirere ante pronunciationem praecipitur.[2] Immo huiusmodi stylus iam a secunda medietate pontificatus Honorii III inductus, sensim sine sensu sub Gregorio IX, Honorii III immediato successore, ab innocentiana praxi recessit adeo, ut soli viri prudentes ad consilium maneant Capellanis, penitus cardinalibus remotis.[3]

8. – Attamen, hanc si excipias immutationem, romani Pontifices, primi Innocentii III successores, immutatum servarunt, inductum ab Innocentio III stylum.

9. – Ast lex, in I° lugdunensi concilio ab Innocentio IV lata, anno 1245, per quam « si quid aliquid opponeretur contra provi- « sionem, electionem, vel postulationem factam ad personatum, digni- « tatem vel canoniam in personam vel formam »,[4] causa devolveretur ad Papam, ratio prima, etsi non unica, fuit ob quam praecitatus stylus immutationem passus fuerit.

[1] *Regula iuris LXXII* in *VI Decretal.*
[2] SPECUL., *Specul.* Caput *de requisitione consilii.*
[3] Cfr. *Regestrum* Honorii III et Gregorii IX.
[4] VI *Decret.* l. I, tit. VI, cap. I, *Statuimus;* VILLAGUT, *de extens. leg.*, etc.

10. – Nam antea quae a privatis deferebantur ad papale iudicium iudiciales contentiones, libere, non autem pleno iure ad forum Papae pertinebant. Hinc, cum a voluntate litigantium penderet ut multae vel paucae numero causae ventilarentur in auditorio Papae, cumque praeterea integrum esset unicuique litigatori sibi delegatum iudicem seligere, et petere, vel sibi datum recusare, nequibat Papa officium stabile iudicum delegatorum constituere, eorumque numerum certum praefinire; sed prout occasio suppeditabat hunc vel illum pro hac vel illa causa delegabat in Capellanum Auditorem, qui proinde, uti in quamplurimis, ita in una tantum causa contingere poterat ut officio auditoris fungeretur, solus cum suis consiliariis tribunal constituens, neque post terminatam sibi commissam causam, manens Auditor.

11. – Verum, lege praecitata edita, iam ingens et constans causarum numerus ad papale forum pleno iure pertinuit: deinde necessitas exorta habendi perpetuum seu stabile officium iudicum ad has causas audiendas. Hinc factum est, ut etiam in personis officium commissum stabile incoepisset fieri, eis semel pro semper harum causarum mandata potestate media audiendi. Huiusmodi generale mandatum appellatum fuit: *audientiae commissio generalis*, [1] qua Capellanis habitus tradebatur, non autem exercitium iurisdictionis suae; quamvis iam ex tunc, saltem aliqui ex Capellanis Auditoribus, rati sint – ceu in insequenti capite IX recolam – se et habitu et exercitio ex hac generali commissione audientiae potiri, qui sibi sumere coeperunt nomen: *generales Auditores causarum curie domini pape.* [2] (an. 1253).

12. – Mirum igitur non est, si Clementi IV (1265-1268), – olim advocato et consiliario regis Franciae – quem Speculator vocat *lumen iuris*, [3] antiquus stylus non se undequaque probaverit. Nam pronunciatio, etsi a Capellanis fieret de mandato Papae et ab hoc rata haberetur et adprobaretur, talis tamen non erat ut vere dici posset, a Papa per se factam fuisse: nam assumpta regula expresse mandat iudicem per se, non per alium, sententiam ferre debere. Hinc illi necesse visum est, ut ipse Papa sententiam ferret, cuius Capellanus, cui causa commissa erat, poterat esse tantummodo promulgator. Et cum de iure s. a. palatii constitutivo causae eiusdem palatii ventilandae essent in

[1] Speculator formam tradit generalis commissionis quae ita sonabat: « Audiant « vice domini Pape causas appellationum, et usque ad duas dietas per simplicem « querelam, nisi in prelaturis et maioribus dignitatibus ». (*Specul.*, libr. I, part. I, *De iud. delegat.*, § 2, n. 9 r.).

[2] Vol. III, pag. 27 ssq. n. 33; et pag. 34 ssq. n. 34; cfr. etiam insequentes nn. 35 et 36.

[3] *Speculum*, lib. II, tit. *de requis. consil.*

communi Capellanorum auditorio, hinc Clementi visum est, Papam debere cum iisdem Capellanis, in quibus stabile factum fuerat officium Auditoris, merita causarum perpendere et cum eis deliberare. Hinc stylum invexit novum, quem subtili descriptione tradit idem Speculator, tunc existens Capellanus Papae, iudiciis causarum s. a. palatii addictus: ait igitur ipse: « Capellani, qui vice Papae causas audiunt, eidem domino « singula litis dubia viva voce referunt. Referunt enim quid petitur, qua- « liter et quantum in lite processum est, quid probatur, quid exquiritur, « quid replicatur, quid implicatur, et breviter et pure et fideliter « debent referre omnia iura et rationes partis cuiuslibet, non alle- « viando, vel aggravando, vel subiicendo iura partis alterius, quae « possint Papam movere, sed stateram in manibus suis gerant ». Huc usque Speculator tradit modum et rationem relationum quae usque domino Papae Capellani fecerunt, cui ut puto, nulla inducta a Clemente IV immutatio fuit. Ad id enim usque relationes factae sunt, ut per eas iudex in plenam causarum cognitionem venire posset; qui utique finis attingi non valuisset, alias relationibus factis.[1]

13. – Novum vero Speculator prodit, cum iis haec addit: « Quo « facto », nempe, peracta tali modo relatione, « collatione et delibe- « ratione praehabita cum aliis Auditoribus ibidem praesentibus, idem « dominus Papa dicet ei: *Ita pronuncia*. Et dat ei potestatem et « licentiam pronunciandi, quam non habent alii... sed solum audiendi « et cognoscendi... unde (Capellanus) in pronunciatione semper dicit... « Facta domino nostro summo Pontifici relatione fideli: de ipsius licen- « tia et mandato, facto oraculo vivae vocis, ita pronuncio ».[2]

14. – Huiusmodi methodus nova profecto est: heic enim non amplius Capellanus causam iudicat, sed Papa ipse, qui Capellano praecipit ita et non aliter pronunciare: heic Papa ad consilium non sibi assumit cardinales, sed ceteros Capellanos in audientia praesentes, quibuscum causae merita ventilat et de quorum consilio iubet Capellanum cui causa commissa erat, pronunciare ita et non aliter.

15. – Rebus tali ratione dispositis, Capellani etsi non proprie in consiliarios, in officium tamen huic admodum simile assumpti fuerunt, nempe adsessorum Papae: et revera idem Speculator tradens definitionem Capellanorum Papae incumbentium iudiciis causarum s. a. palatii, praeter cetera, eis applicat definitionem adsessoris.[3]

[1] Quum de iudiciis rotalibus sermo erit, fusius dicam de *relationibus*.

[2] *Specul.*, libr. II, tit. *De relationibus*, n. 7.

[3] SPECUL., ibi, libr. I, part. I, tit. *De offic. ordinar. De auditore*, ubi, in fine, scribit: « Item quae de Assessoribus in 1 in tit. proximo dicentur, hic repetita esse intel-

16. – Et hac Clementis IV innovatione officium Capellanorum ipsorumque iuridica figura maximam consequuta sunt evolutionem. Officium namque ita constitutum mansit, nempe: Capellani, cui causa commissa fuerat, huius media erat audire, de eis referre et consilia ac deliberationem ceterorum item audire: ceterorum Capellanorum, in audientia praesentium, erat relationem audire et de meritis causae cognoscere, consilium promendo: nullius tamen erat officium et potestas pronunciandi, sed haec illudque a Papa, vel commissione in scriptis, vel oraculo vivae vocis, uni tradebatur Capellano, cui causa commissa fuerat, qui proinde ex tunc iudex causae fiebat, quamvis ipsi pronunciandum esset tantum de consilio seu deliberatione ceterorum Capellanorum.

17. – Hac ratione tandem aliquando constitutum Capellanorum officium in iudiciali curia papali, tale mansit usque, etiam quum Papa desiit per se causas cum Capellanis ventilare easque personaliter deliberatione sua definire. Capellanus enim, cui causa commissa erat, illius media audiebat eaque in relationibus ponebat: unde illi nomen fuit *Ponens;* ceteri Capellani, auditis relationibus, merita causae ventilabant et super eis deliberabant, quin Ponens suum votum proferret:[1] audita istorum deliberatione, Capellanus causae Ponens, iuxta auditam Capellanorum deliberationem, sententiam ferebat, habita tamen prius a Papa seu a Vice-Cancellario commissione explicita pronunciandi vel causam fine debito terminandi.

18. – Hinc cum nulla unquam fuerit Capellanorum officio tradita generalis potestas sententiam ferendi, Capellanis nunquam *Iudex* nomen fuit; appellati deinde fuerunt *Auditores*. Porro, Auditoris officium proprie est: *audire*, *referre*.[2] Quamobrem, recte scribebat Speculator: « In Curia Romana Auditores dicuntur qui aliorum vice « causas examinant, *sed sine illorum mandato potestatem diffiniendi « non habent:* unde et... Auditores palatii domini Papae vice et loco « ipsius domini causas examinant et audiunt et postea eidem domino « referunt, ut secundum eius imperium et beneplacitum sententias

« ligantur ». *De Assessore* in 1, haec habet: « Assessor est is quem ille qui iudi- « candi potestatem habet, sibi associat, ut sibi in causae cognitione assideat vel « assistat et eum ad recte decidendum causam instruat, ut C. de assess. l. 1. *Is « autem aliter vocatur Consiliarius,* ut I, de cons. requis ». Animadvertat lector Speculatorem ideo in loco citato in superiori n. 13, dixisse Capellanos praesentes *licentiam pronunciandi non habere,* quia « Assessor in causa in qua assidet iudi- « care non potest, nisi sibi delegetur, in l. I, n. 3 ff. de off. Asses. » (*Bartolus*).

[1] Auditori Ponenti votum prodendi suum facultatem fecit Gregorius XVI, motu-proprio anni 1834, sez. VIII, § 325.

[2] Bocifat. de Vitalinis, *Comment. in Clement.* tit. *De elect.* fol. 13, 14, n. 1.

« eius auctoritate promulgent et causas decidant ».[1] Et alibi: « Au-« ditores... audiunt vice domini Papae causas appellationum... *licet* « *non possint aliquid sine eius speciali mandato diffinire* ».[2] Quae clariori calamo confirmabat soeculo XIV Bonifacius de Vitalinis, Auditor causarum s. a. palatii, scribens: « Auditoris proprie officium est « audire, referre.... Sic videmus in auditoribus Cardinalium: sic etiam « *in Auditoribus Palatii*, et aliis, quibuscumque esset *commissio* « *directa simplex* " *Audiat* ,, : si autem addatur " *et iustitiam faciat* ,, , « tunc *per hoc additum* consequitur potestas definiendi. *Et sic pra-* « *cticamus* ».[3]

19. – Duorum illustrium scriptorum testimonium documentis tum in Pontificum Regestris existentibus,[4] quum rotalibus, firmatur; quapropter potestas seu facultas causas definiendi nunquam comprehendi intelligebatur in rescripto commissionis causae, nisi expresse in eodem rescripto tradita fuisset,[5] cum carentia huius generalis potestatis definiendi differentiam specificam constituisset inter iudicis et Auditoris officium, propter, quam Capellani non iudices sed Auditores vocati fuerunt. Qui cum audissent nonnisi media non iurisdictionalia causarum papalis fori, seu apostolici palatii, tandem aliquando cognomen sortiti sunt *Auditores causarum curie domini Pape* (sub Innocentio IV)[6] et serius *Auditores causarum s. a. palatii.*

20. – Uno tantummodo in casu, iuxta doctrinam Bonifacii de Vitalinis, « ex solo simplici " *Audiat* ,, subintelligebatur quod iusti-« tiam faceret », in cardinalibus, nempe, in quibus, uti ipse scribit, *speciale erat:* ast hoc non semper: « quod est verum, quando signa-« tura est facta per Vice-Cancellarium, *secus* forsan si cardinalis « referret vivae vocis oraculo, sibi facto per Papam ».[7]

[1] *Specul.* libr. I, part. I, tit. *De off. ord., De Auditore,* n. 1.

[2] Ibi, libr. II, part. II, de citat. § 6, n. 1.

[3] Ceterum, etiam eo tempore quo retentum est, Capellanos ex generali mandato audiendi appellationum causas s. a. palatii, eas posse audire nulla interveniente Papae aut Vice-Cancellarii speciali commissione, nempe sub Urbano IV, Clemente IV et illius successore Gregorio X pariter retentum fuit, necessariam esse commissionem seu mandatum definiendi, quo deficiente, Capellanus nequibat ad definitionem causae procedere. Hoc testatur idem Speculator, inquiens: « Eis (Ca-« pellanis) generalis audientia appellationum totius mundi commissa est: non tamen « diffinitio sine speciali domini Papae mandato » (Lib. II, tit. *De citatione*, § 6).

[4] Cfr. *Regestra Urbani IV, Clement. IV, Greg. X*, etc.

[5] BALDUS penes Speculatorem in cap. *De iudice delegato* ait: « Isti Auditores « nil possunt diffinire *sine speciali mandato Papae* et facta prius relatione ».

[6] Vol. III, pag. 27 et ssq., nn. 33 etc.

[7] Ibi, l. c.

CAPUT IX.

Iuridica figura Capellanorum Auditorum causarum s. p. a. eorumque potestas.

1. – Cum igitur iuris practica acceptione ita decursu unius fere integri soeculi officium et nomen Capellanorum causarum s. a. palatii Auditorum constitutum manserit, quaenam fuerit illorum iuridica figura et competentia facile coniicitur.

2. – Siquidem causae ipsis commissione Papae seu Vice-Cancellarii committebantur; neque praeter commissionem aliud medium fuit, usque dum et in quantum Rota mansit tribunal universalis Hyerarchae Ecclesiae, quo eae ad ipsos delatae fuerint. Quapropter Auditores ad genus pertinuerunt iudicum delegatorum, quorum inde ab initio iuridicam gesserunt figuram.[1] Cui tamen, hinc ab tempore Clementis IV, addita est et adsessoris figura, uti ex eis quae superiore capite retuli manifestum est.

3. – Commissione autem quae saltem a tempore Innocentii III ipsis data semper est iustitiam faciendi, in cuius vim sententiam proferebant in causis, iudices fiebant; non omnes tamen, nec in omnibus causis; sed ille solus Auditor cui talis commissio data fuerat, et in iis dumtaxat causis pro quibus rescriptum illi fuerat ut iustitiam faceret.[2] Hinc nunquam in dubium vocatum est Auditores causarum s. a. palatii, in quantum iudicem agebant, potestatem habuisse delegatam.

4. – Idem tamen factum non est quoad Auditoris potestatem seu iurisdictionem: nam Speculator asserit, pluries coram se quaestionem fuisse disputatam utrum nempe Auditores palatii Papae fuerint vel non ordinarii: et retulit, se putasse: « quod in audiendo « ordinariam habuerint potestatem, *quia generalis audientia eis com-* « *missa est a domino Papa*, secus in definiendo ».[3] Et tum eiusdem

[1] Speculator tradit: « Delegatus (iudex) est is qui ex alterius commissione ali- « cuius causae recipit iudicialem cognitionem... item is cui aliquod de mediis causae « committitur, delegatus dicitur...; *sed tunc proprie dicitur* Auditor » (*Specul libr. I De iudice delegato*, § *Delegatus nn. 1 et 2*)

[2] Reipsa, etiam post tot reformationes quibus vis primae commissionis eo ampliata fuit ut una ipsa ad omnia sufficeret, Auditores Ponentes sese profitebantur esse *iudices commissarios* illius causae vel illarum causarum quam, vel quas, iudicandam, vel iudicandas per commissionem recepissent. Haec enim erat suorum publicorum actuum inscriptio: « *NN. Ssñi D. N. Papae Capellanus ac ipsius s. p. a.* « *causarum Auditor, causae et causis a partibus infrascriptis Iudex commissa-* « *rius ab eodem Ssño D. N. Papa specialiter electus et deputatus* ». (Arch. Rot.).

[3] *Specul.* tit. *De offic. ordinarii*, I, n. 3.

Speculatoris testimonio,[1] tum documentis edocemur, reipsa sub Urbano IV, Clemente IV et Gregorio X ad huiusmodi opinionem fuisse processum, adeo ut Capellani nostri *generales Auditores palatii domini pape* nuncuparentur, et ex unica generali commissione, seu *unico generali mandato officii*, de causis appellationum totius mundi cognoscerent « sine speciali commissione ».[2]

5. – Verum huiusmodi quaestio videtur agitari coeptum fuisse hinc a pontificatu Innocentii IV aliquot post annis a lugdunensi generali concilio: nam in illius Regestro ad annum usque pontificatus XI (1253) Capellani, dati vel concessi in causis Auditores se simpliciter Auditores nuncupant: illo anno et insequente, illorum aliqui sibi nomen assumpserunt « *causarum generales Auditores curie domini pape* ». Sub Alexandio IV, quantum sciam, saltem in Capellanorum sententiis, Regestris insertis, hac formula Capellani non utuntur; ipsa denuo legitur sub Urbano IV, Clemente IV et Gregorio X; deinceps non amplius. Ex quibus palam fit quaestionem acriter arsisse, et demum semel pro semper definitam contra Speculatoris placita fuisse. Nota tamen, lector, sub Urbano IV non omnes datos vel concessos Auditores sese vocasse « *generales Auditores* », uti patet ex documentis quae III volumini huius mei operis inserui. Immo cum cardinalis quidam causam videret, antea Capellano Auditori commissam, hunc non appellat *generalem* Auditorem; imo refert, negotium licet per appellationem devolutum ad s. sedem, eadem tamen iudiciali ratione ab Alexandro IV fuisse tractatum ac cetera negotia non devoluta. Hinc quaestionem arsisse, liquido coniicitur. Secus eccur et quomodo haec moveri potuisset *saepius* coram Speculatore, sub immediato Urbani IV successore, Clemente IV?

6. - Generalem huiusmodi audientiae commissionem Speculator, et quem eum praecesserant Capellani Auditores qui sese habuerunt *generales* Auditores, in lege s. a. palatii constitutiva fundabant, qua generaliter eiusdem palatii Proceribus, Capellanis nempe, commissio ventilandi datur in communi auditorio causas quae coram Papa dicerentur. Speculatori visa est huic fundamentali audientiae causarum

[1] Ibi, lib. IV, tit. *De libellor. conceptione*, n. 6.

[2] Cf. ex. g. vol. III, h. op. pag. 49, n. 43, in quo magister Helyas praedicatur Cappellanus pape et *causarum palatii generalis auditor*. Res tamen pacifica non fuit; nam ipse SPECULATOR scribit: « Quamvis quidam Cardinales contrarium tene« rent, dicentes: ... Auditores Palatii qui vice Papae viventis causas audiunt, eo « mortuo etiam coeptas audire non possunt, cum non habeant ordinariam iuris« dictionem, licet habeant, vivente Papa, ordinariam cognitionem, ut praedixi, arg. « contra. Quod Auditores Palatii sint delegati, in auth. collat. 6 de iudic. etc.» (*Specul.* lib. I, par. I, *De off. ordin.*, § 1, n. 3).

legi generali non derogasse regula assumpta, lex specialis scilicet pro administratoribus, publicis occupationibus, impeditis; cuius proinde praecepto cardinales, non Capellani, subderentur. Ideo ipse dum tenuit Capellanos speciali commissione non indigere « quia gene-« ralis audientia eis commissa est a domino Papa », asserit: « Car-« dinales autem nullam causam audire possunt, nisi eis a domino Papa « specialiter sit commissa ».[1]

7. – Verum, licet diverso - uti in cap. VII animadverti - ex iuris fonte cardinalium et Capellanorum Papae habilitas ad audiendas causas s. a. palatii dimanaverit, ita ut horum habilitas cum habilitate illorum nequeat confundi, attamen mandatum generale commissionis audientiae, a domino Papa Capellanis suis factae, eodem iure dimetiri, quo dimetiendum est mandatum generale officii ab episcopo factum officiali suo, unice poterat, Capellanis tribuendo limitationem quae vicariis generalibus episcoporum tribuitur, nempe id tantum generali mandato tributum esse, quantum non constet fuisse reservatum.[2]

8. - Nam, reipsa in officialem episcopi, commissione officii generaliter sibi facta causarum ad eius forum pertinentium, cognitio transfertur, de quibus videt, episcopi sui vices supplendo:[3] sed Papae in universa Ecclesia ac episcopi in sua dioecesi longe alia est iuridica positio. Iste enim positivis generalibus legibus subditur, et, lege semel constituta, huius praecepta facessere tenetur:[4] ille vero nulla positiva astringitur lege qui supra ius est, iusque habet in scrinio pectoris sui, proindeque plena in quolibet temporis puncto libertate gaudet procedendi ad constitutarum legum terminos, vel citra eos, vel etiam contra eos.[5]

[1] Speculator, lib. IV, tit. *De libellor. concept.*, n. 6.

[2] Nempe, « vel ex iure scripto, vel recepta consuetudine, vel aliunde, ex. g., ex « ipsius Episcopi expressa voluntate vel causae gravitate » (Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ.*, part. IV, tit. XXVIII *De off. Vicar.*, II, n. 21. Edit. romana, tom, II, pag. 157)· Et Fagnanus in c. *Non amplius de constit.* docet: « Mandatum generale « non includit ea quae ob sui gravitatem certae personae vel dignitati a iure spe-« cialiter sunt commissa ».

[3] VI Decretal. tibr. II, tit. XV *De appellat.*, c. 3; libr. I, tit. XIII *De offic. Vicarii*, c. 2.

[4] Episcopi enim « sunt custodes Canonum et iurant sacras regulas defendere « et retinere » Fagnan. in *c. Dilectus*, n. 6 *De tempor. ordinat.*, tom. I, pag. 373; Reiffenstuel; « Non possunt, Episcopi... quidpiam statuere contra ius commune « canonicum aut alias constitutiones Apostolicas... et patet ex can. Inferior etc.... « Nam posse tollere ius commune, vel aliquid ei contrarium statuere, est specialiter « reservatum Summo Pontifici per iura... allegata » (Libr. I, *Decret.* tit. II, *De constitut.* IV *De potest. legisl. Episcop. n. 75 et 77*).

[5] Fagnan., III Decret. in c. *Consultationibus*, n. 25 *de cler. aegrot.*; in c. *Antigonus de pactis n. 57*, ubi docet, Papam non subiici canonibus nec ab eis auctoritatem habere, sed e contra.

9. – Hinc, cum episcopus, legibus adstrictus, officiali suo mandatum generale, seu generalem audientiae commissionem faciens, intra constitutarum legum fines agat illiusque actus determinatos a legibus effectus operetur, illius officialis tantum ex recepta commissione generali sibi iurisdictionis vindicat, quantum tali officiali ex generali mandato legibus conceditur, salvis limitationibus, queis ius vel scriptum vel traditum, vel episcopus, idem generale mandatum limitaverit. [1]

10. – Papa, e contra, nulla ligatus lege, immo quavis positiva lege superior, generali mandato seu commissione officii tantum iurisdictionis concedit quantum explicite vel implicite ostendit se officialibus voluisse concedere. Quapropter, episcopi factum aestimatur legibus constitutis; factum vero Papae, eius explicita vel implicita declaratione.

11. – Ast mandato generali, seu generali commissione audientiae causarum s. a. palatii, Capellanis suis facto, Papa nil aliud voluit, quam sibi officiales constituere, quorum opera sibi praesto foret quoties et in quantum ea uti sibi videretur in iudiciis illarum causarum quae coram eo dicerentur, quasque vigore legis in regulam suae audientiae assumptae ipse *in contestatione audire per se debebat*, et saltem in medio semel et in fine, eas denique sententia definiendo. Evidenter igitur generalis commissio hisce limitibus circumscribebatur, et propterea habiles officiales reddebat ad cetera omnia tractanda, exceptis litis contestatione, caussae in medio et in fine cognitione et denique sententia.

12. – Quocirca cum litis contestatio de iure fieret libelli acceptatione et signatura rescripti commissionis, iam patet in generali commissione seu mandato audientiae nullimode potuisse comprehendi facultatem procedendi sine speciali commissione, qua litis contestatio fiebat de iure. [2] Eo vel magis, quod uti Papa poterat litigantium precibus, petentibus ut causa committeretur, annuere, ita – supremus iudex ab appellantibus appellatus – prudentia suadente, poterat certis in adiunctis iisdem petentibus morem non gerere, litem vel videns per se, vel per alium qui non esset unus ex iam existentibus Auditoribus; quod ut perficere posset, praepeditus fuisset, libello litis non

[1] SEBASTIANELLI, *Praelectiones iuris canonici, De personis, n. 249. pag. 291;* et est communis.

[2] Haec intelligantur uti primum generale iuris principium: nam, uti in nota 3 ad § 5, capitis VII, animadverti, quae senserint et qua ratione quoad hoc processerint Auditores nostri post constitutam romanam curiam et posteriores leges latas, suis locis inferius videbimus, tractantes *de contestatione litis*.

accepto, rescriptoque commissionis non dato. Ast, constitutione officii Auditorum causarum palatii, Papa statu suo se non abdicavit, neque regulam audientiae suae abrogavit.

13. - Quinimmo, si pressius consideretur natura commissionis Capellanis Auditoribus datae, facile perspicietur, eos in genere iudicum delegatorum proprie pertinuisse ad speciem *Mandatariorum*. Et revera ipsi Auditores, commissionem sive generalem sive specialem non alio vocaverunt unquam nomine, nisi, *mandato Papae*. Et hoc fuit semper persuasum in Rota, Auditorum quamcumque iurisdictionem cum morte Papae illico expirare, nedum in causis adhuc integris, sed etiam in iis in quibus res amplius integra non esset. Porro doctores mandatum in duo dispescunt, nempe in *mandatum iurisdictionis* « per quod com- « mittitur a Superiore iurisdictio inferiori, velut iudici delegato ..... « *et tale mandatum re amplius non integra, iuxta omnes, non expirat* « *morte mandantis* » ; et in *mandatum ab homine* « seu praeceptum « Superioris obligantis ad aliquid faciendum vel omittendum: tale « enim non solum expirat morte concedentis, re integra ..., sed expirat « etiam re amplius non integra: cum talia mandata ab homine, seu « praecepta, quae non emanant per modum constitutionis, non sint « perpetua ex sua natura etc. ... ».[1] Et haec erat ratio quam cardinales contra Speculatorem allegabant, ordinariam Auditoribus iurisdictionem denegantes.

14. - Ex tali commissionis natura, infero explicari cur neque in actis concilii lugdunensis I, neque in Regesto Innnocentii IV ordinatio Papae statuentis ut causae devolutae committerentur solis Capellanis, exceptis cardinalibus, inveniatur. Lata enim ab ipso fuit, ceu facta posteriora ostendunt, huiusmodi ordinatio non per modum constitutionis, sed mandati seu praecepti: ideo neque actis concilii neque Regestro inseri potuit. Et talis cum esset, nonnisi interpretatione ipsorum Capellanorum factum fuit ut Auditores sese nuncuparent generales Auditores, sibique adsciscerent ordinariam iurisdictionem quam neque ius neque Papa eis contulerant. Unde iure meritoque aliqui ex Capellanis etiam sub Innocentio IV sibi non imposuerunt nomen generales Auditores, et Alexander IV, sese continens intra fines ab Innocentio IV praefinitos, non appellavit Auditores, *generales Auditores* curiae palatii sui; et iure quidem meritoque cardinales sub Urbano IV, Clemente IV et Gregorio X Capellanis Auditoribus restiterunt, eis obiicientes quod audientes causas vice Papae viventis

[1] Reiff., lib. I, tit. II, *de Constit.*, n. 46.

« eo mortuo, etiam coeptas audire non possunt », uti tradit Speculator.

15 – Quapropter mirum non est, opinionem Speculatoris et inductam praxim palatii, Clemente IV et Gregorio X e medio sublatis, penitus reiectas fuisse, uti et ipsemet Speculator refert, inquiens: « Sic temporibus dominorum Clementis Pp. IV et Gregorii X observa- « vimus, *licet quidam alii Romani Pontifices hoc postea duxerint immu-* « *tandum* » ; [1] quae textus confirmant; in ipsis enim non amplius Capellani *generales,* sed dumtaxat Auditores causarum palatii appellantur. [2]

16. – Mirum tamen videri posset, Clementem IV, quem idem Speculator appellat *lumen iuris,* et Gregorium X tam facile et opinionem Speculatoris acceptasse et praxim talem induci permisisse.

17. – Verum, tunc temporis Capellanorum dignitas adeo excreverat, ut, sicuti inter maiores dignitates nulla esset quae se sineret suis carere Capellanis (ut ecce cardinales, episcopi, laici Principes), [3] ita Capellanis altiora et difficiliora munia et officia undique committerentur, [4] ipsique romani Pontifices Capellanorum dignitate ipsos nepotes suos decorare non haesitarent. [5] His adde monasteriorum abbates vel priores, et monachos et fratres, Capellanis scriptos fuisse, [6] de quorum numero Speculator noster fuit unus, [7] homines ut plurimum virtute doctrinaque conspicuos et de Ecclesia, in genere, optime meritos. Facilis deinde in istis hominibus ambitiosae cupiditatis hiatus, difficilis in Papa renixus: unde et accepta opinio et praxis inducta. Cardinales vero, quibus probabiliter haud multum dignitatum apex aucupari splendoris, *cum* vel *sine* speciali commissione procedendo, visum est, pro se non certarunt; eo vel magis quod quidam ex eis opinioni Speculatoris contradicentes, neque Capellanis, talem ordinariam iurisdictionem competere putabant, ut innui in *nota 3* ad super. *n. 4.*

18. – Ac insuper, dum iidem Capellani tunc temporis rati sunt se ex generali commissione officii, sine speciali commissione, posse procedere *in causis tantummodo appellationum* – uti refert idem Spe-

[1] *Specul.,* l. c.
[2] Vol. III, huius operis, nn. 45, 46, etc.
[3] Cfr. *Regestr. Pontificum* illius soeculi XIII.
[4] *Regestr. Pontificum.*
[5] Ita v. g. Innocentius IV uti in Regestr. Alex. IV, n. 1458 (cfr. vol. III, n. 37, pag. 33).
[6] Citata *Regestra.*
[7] Cfr. vol. II huius operis, pag. 13 ssq., n. 50.

culator in locis citatis, – in ceteris causis non devolutis, sed ad Papam sponte ac libere delatis, Capellani (fatetur idem Speculator ibi) asserebant procedere non posse sine speciali commissione: unde ipse in suo *Speculo* duplicem formam proponit sententiarum Capellanorum, unam quidem adhibendam ubi Capellanus processisset qua *Auditor generalis* (id est, in vim generalis commissionis), alteram pro ceteris; et ita reperimus fuisse revera observatum per id temporis, attenta mente rimando Capellanorum sententias, Regestris Clementis IV et Gregorii X insertas.

19. – Ast res per tempus quo cathedram Petri Urbanus IV, Clemens IV et Gregorius X tenuerunt (scilicet ab anno 1261 ad annum 1276) ita constitutae manserunt. Et hoc tempore speciales commissiones datae non sunt in causis *devolutis*. Antea et postea datae semper fuerunt in omnibus causis ad annum usque 1821 quo Pius VII Rotam constituens ordinarium tribunal appellationis causarum in re commerciali, [1] et anno 1834 Gregorius XVI, causarum Urbis et civilis ditionis Pontificis,[2] ex parte substulerunt uti suo loco plenius scribam. Quapropter Auditorum iurisdictio nonnisi fuit stricte commissa, uti, soeculo postquam Speculator scripserat, coauditoribus suis, Speculatoris doctrinam pro se invocantibus, Aegidius Bellemera contradicens, mordicus sustinebat, inquiens: « Suppono quod Auditores « Palatii extra causas eis commissas nullam habent iurisdictionem et « in causis eis commissis censentur delegati, nec aliquam iurisdictio- « nem ordinariam habent. Primum notorium est, et secundum sequitur « ex primo, per legem: *More maiorum*, etc. Nec obstat quod Spe- « culator dixerit eos habere ordinariam in cognoscendo, ut notat « Glossa 1. Auditor. de Rescript. in Clementinis: quia, *vel illud « refertur ad tempus quo non fiebant distributiones, vel intelligitur « de officio ordinario recipiendi commissiones omnes:* quia omnes debent « eis distribui et non aliis, nisi dominis Cardinalibus, sine Papae « mandato ». [3]

20. – Quae Aegidii conclusio firma manere videtur etiam post reformationes Innocentii VIII, Pii IV et Pauli V, qui constitutionibus

[1] Lex edictalis illius anni, § 10.

[2] *Regolamento legislativo e giudiziario*, 10 nov. 1834, § 327: « la S. Rota eser- « cita la giurisdizione ordinaria e la giurisdizione straordinaria. – Procede come « tribunale ordinario, *e senza commissione, nelle cause di appello o di restitu- « zione in intiero di Roma e dello Stato (pontificio):* procede come tribunale straor- « dinario *in virtù di sovrana dalegazione*, nelle cause sul valore dei rescritti Pon- « tifici e nelle cause dei paesi esteri, quando sieno portate al di lei giudizio ».

[3] Conclus. 746, n. 3.

Finem litibus, *In throno iustitiae* et *Universi agri*, ut unica commissio in qualibet instantia sufficeret sanxerunt, cuius vigore Auditores Rotae causam sibi commissam cognoscere et cum omnibus et singulis dependentibus et emergentibus ac alias quomodolibet incidentibus decidere voluerunt. [1] Siquidem, his suis constitutionibus Pontifices vim primae specialis commissionis ampliarunt, quatenus hac deinceps nedum non iurisdictionalia causarum media, sed et iurisdictionalia commissa intelligerentur, quin opus adhuc esset, uti antea fuerat, tot speciales commissiones singillatim impetrare et obtinere quot iurisdictionalia tractari contingeret. Ast, ideo, natura officii immutata non fuit, cum parum vel nil differat una vel pluribus commissionibus praeceptum seu mandatum recipere, quum semper praecepto necesse est. Et etiam post praedictas constitutiones, persuasum omnibus fuit, Auditores Rotae extra causas sibi commissas nullam habere iurisdictionem, et in causis sibi commissis necessario censeri delegatos. Et usque fuit in more positum, quod Rota vix ac Papa moriretur, omnem suam iurisdictionem cessatam teneret, uti *Diaria* centies comprobant, [2] adeo ut eis menstruum stipendium non amplius penderetur per tempus quo sedes vacasset. [3] Hinc animo haurire nequeo eccur Coccinus in *decisione 568, partis IV, tom. 3 Recentiorum.* et Calataiù. in *decisione 195 partis XVI,* earumdem *Recentiorum*, amplexati sint opinionem Speculatoris. Eo vel magis quod, si in vim praedictarum reformationum facti Auditores fuissent ordinarii in procedendo, pariter ordinarii effecti essent in definiendo, cum eis concessa sit iisdem reformationibus facultas « omnia et singula alia « faciendi usque ad finalem sententiarum suarum exsecutionem inclu- « sive, quae de iure Ordinarii facere possunt ». [4] Profecto illis in decisionibus praefati Auditores ex professo de iuridica Auditorum Rotae figura non tractarunt, qui ostendebant sese non indigere nova

[1] Cfr. in III vol. tres citatae constitutiones, nn. 132, 164, 197.

[2] Cfr. ex. gr. *Diar.* EMERIX sub die 4 decembris 1669, fol. 93, n. 45 in quo refert mortem Clementis IX et scribit: « Fuit dubitatum an esset procedendum ad deci- « sionem causarum. Aliqui ex Dominis mordicus insistebant in negativa dicens « quod nostra iurisdictio uti iudicum delegatorum per mortem delegantis statim « expirat; alii qui pro maiori parte affirmativam tenebant, movebantur ex eo quod « cum adhuc non fuerit auditus sonus Campanae Capitolii, Papa omni reputatione « pro vivo habebatur..... itum fuit ad vota et fuit pro affirmativa resolutum quod « causae proponerentur, – Incoepta igitur per Rm̃um Decanum propositionem Memo- « rialium, datoque dubio in causa Avenionen., auditus fuit sonus campanae: de quo « etiam certiores facti a Bedello nostro, ab ulteriori causarum propositione absti- « nuimus ».

[3] *Diaria* passim.

[4] Constit. *In throno iustiae, § 2.*

speciali commissione ad impartiendam absolutionem ab excommunicatione litigantibus, in vim praedictarum reformationum: obiter igitur scripserunt, et facile in verbo magistri iurarunt.

21. – Ex quibus omnibus iure merito deducendum est, mandato generali seu commissione generali audientiae, Auditores nostros habitum recepisse iurisdictionis, cuius tamen actus exercitabatur per speciales commissiones:[1] et ideo speciales « commissiones quae illis « fiebant non erant nisi distributiones per quas dabatur eis solum « exercitium iurisdictionis, in quo plus attendebatur factum Papae « quam partis »;[2] unde in Rota iurisdictio fuit communis et quilibet Auditor potuit procedere vigore commissionis alterius:[3] quia, reipsa, Rota Auditorum, respectu omnium, unum fuit tribunal,[4] in quo tota iurisdictio erat Papae;[5] iuxta enim glossam *l. in Clement. Auditor. de Rescriptis*, « *Auditor nullus in Curia habet iurisdictionem ordina-* « *riam, nisi Papa* ».[6]

22. – Heic tamen adnotandum est quod tradit Ioseph Bondini, rerum rotalium quamgnarus. Ait ipse: « In tempi più prossimi, nelle « cause le quali giungono insino a scudi 500 ha il Tribunale giurisdi- « zione ordinaria, e questa ha eziandio allorchè qual tribunale d'appello, « torna a rivedere le cause già passate per uno de' suoi due turni. Il « che avviene poi con una specie di limitazione. Conciosiacchè le due « giurisdizioni restringonsi soltanto per rispetto a quelle cause che « provengono dalle Provincie al di qua degli Appennini, mentre al « contrario quelle al di là dei medesimi monti, vengono da esso lui « giudicate solamente in via d'appello e come in terzo grado di sua « giurisdizione, cioè a dire dopo che nelle accennate parti le stesse « quistioni sieno per l'avanti state decise con due difformi sentenze ».[7]

23. – Denique, Gregorius XVI, Motuproprio anni 1834, Rotam constituit ordinarium tribunal appellationis pro causis Urbis et pontificiae ditionis.

24. – At gregoriana constitutio, linquens Rotam tribunal extraordinarium pro causis universi orbis in quibus specialis commissio erat

[1] Decis. 60 *De appellat.* in *Novis.*

[2] Ibi, l. c.

[3] Decis. 142, n. 3, part. XVIII, tom. I; Decis. 149, n. 5 et 7, part. V, tom. I. *Recent.*; G. Bondini, *Del Trib. della Sagra Rota Romana* (Roma, 1854), pag. 18 « *Uguale è in loro la giurisdizione* ».

[4] Decis. 115, n. 32, part. XIV *Recent.*

[5] Decis. 91, n. 36, part. XI *Recent.*

[6] Cfr. Steph. Daoyz, *Iur. pontif. Summa seu Index*, voce: *Auditor*, pag. 68, tom. I.

[7] G. Bondini, l. c., pag. 17.

danda necessario, iuridicam figuram Rotae qua supremum Papae seu universalis Ecclesiae primi administratoris tribunal non mutavit; casus autem in sup. n. 22 cum Bondini recensiti, privilegium redolebant in iure tamen communi fundatum, quippe quod etiam dativis pedaneis iudicibus a Iustiniano institutis facultas facta erat audiendi « *litem* « *usque ad tercentos solidos,* existentem sub schemate annotationis »,[1] quin ideo eorum iuridica figura iudicum delegatorum mutaretur.

CAPUT X.

Avulsio Capellanorum Auditorum e consistorio - eorum qualitas verorum officialium Papae et sedis apostolicae - Rota - erectio in speciale collegium.

1. – Mortuis Clemente IV et Gregorio X, nedum fuit illico quaevis ordinariae iurisdictionis species Capellanis Auditoribus denegata, sed videntur Papae coepisse, ab inducta a Clemente IV praxi recedentes, non amplius cum Capellanis Auditoribus omnium causarum iudiciis personaliter incumbere. Hoc ex adductis a Schneider documentis, in suo opere « *Die römische Rota etc.* » pag. 29, scatere videtur: sed non desunt in textibus, praesertim in Regestro Bonifacii VIII, exempla contrarium suadentia.

2. – Firma tamen praxis, etiam in iudiciis absente Papa, mansit relationem faciendi ceteris Capellanis.

3. – Hinc, cum Clementis IV dispositione id effectum fuisset, quod ceteri Auditores, secus ac antea, causis aliis Capellanis commissis necessario sese immiscerent, illarum relationes audiendo et super meritis earundem consilia praebendo, Auditor, causae Ponens, etiam in ipsa pronunciatione, non de suo, sed de consilio et deliberatione ceterorum Capellanorum, procedebat. Quapropter quaeque causa s. p. a., quae Capellano cuivis committeretur, communis fiebat ceteris Capellanis Auditoribus, qui ideo dicebantur, et erant reipsa, Auditoris Ponentis *Coauditores:* ideoque ex ipsis unum officium constitutum est, ac proinde unum collegium, seu unum collegiale tribunal.

4. – Mihi ex documentis quae adhuc novi non constat utrum Capellani Auditores pro coetu suarum personarum mox urserint iuris consequentias, ex tradita tribunali a Clemente IV collegialitate necessario promanantes. Hoc autem persuasum est, quod ad

[1] Novella LXXXVI, cap. V, *de iurisd. iud. pedaneorum.*

annum usque 1331, Capellani Auditores in ipso Papae consistorio ius dicere litigantibus perseverarunt.

5. - Verum, Clemens V in plenario concilio viennensi, ad dispendiosam litium prorogationem evitandam, constituit, ut deinceps causas beneficiales, matrimoniales, super decimis et usuris committerentur videndae *de plano sine iudicii strepitu et figura*. Cum huius generis causae tunc temporis habitualem competentiam constituerent Capellanorum Auditorum, isti clementina constitutione extorres facti sunt ab observantia processualium solemnitatum iuris.

6. - Unde summus ille iurisconsultus Iacobus d'Euse, qui electus in romanum Pontificem anno 1316 sibi Iohannem XXII nomen sumpserat,[1] animo hausit, amplius necessarium non esse causarum relationem ipsi Pontificis personae facere, neque eiusdem personam Pontificis easdem causas cum Capellanis Auditoribus ventilare; utpote quod ad legem fundamentalem palatii servandam visa illi est sufficiens praxis Innocentii III, iubendi nempe Capellanum de mandato Papae pronunciare. Ceterum, in procedendo Capellanis rigori iuris non amplius subiectis, inutilis iudiciis praesentia Papae evadebat. Itaque constituit ut iudicia non amplius cum Papa in consistorio Papae Capellani Auditores perficerent, sed iisdem in palatio constituta sede propria, inibi iuxta inductos mores ea peragerent, absente Papa.

7. - Et cum ita Capellani Auditores in exercitio sui muneris liberi ac independentes omnino facti essent, iustum honestumque duxit apostolicis regulis rem admodum periculosam ancipitemque novitatem moderari. Inde apostolica statuta, seu *ordinatio* illius anni « Ratio iuris » omnium prima earum quae directe pro Auditoribus nostris latae inveniuntur, cuius idem Iohannes XXII parens est.[2]

8. - Eam namque si legas, invenies Iohannem, 1° vestem Auditorum moderatum esse; 2° Auditores iussisse « audiendis et deci- « dendis causis, eis commissis et committendis, *fortius solito* diligentes « esse », quasi diceret: vos qui nunc non amplius stimulo praesentiae Papae incitabimini, maiorem praebete diligentiam, Papae benevolentiam considerantes, qua vos veluti vestri iuris fecit; 3° Auditoribus locum, horam, dies iuridicos dedisse, prefinisseque iustitiam pure et non venaliter esse ministrandam. Deinde, ut eorum fidelitatem apostolicae sedi et regnanti Pontifici magis devinciret, iussit

[1] Doctrinae huius Pontificis laudes Oldradus, illius amicissimus, in suis Consiliis cecinit, uti ex. g. in Cons. 211, inquiens: « Cetera suppleat *incommensura- « bilis profunditas* Sedentis in throno ».

[2] Eam videas in vol. III, p. 69, n. 50.

eos « antequam ad officium admittantur, in manibus Vice-Cancel- « larii s. r. e., nostro et ipsius Ecclesiae nomine iuramentum prae- « stare, in forma quae sequitur per haec verba etc. », nempe iuramentum de secreto servando et de iustitia ac de negociis sibi commissis fideliter gerendis et sollicite exercendis.

9. – Moderatur deinde rationem qua, non amplius praesente Papa, causae in relationibus forent ponendae, ut nempe inter Auditores senior inciperet causas, si paratus existeret, quas audiebat in relationibus ponere, et alii Auditores successive, secundum gradum receptionis eorum;[1] iussit quoque quod Auditor referens, seu Ponens, « facta relatione Coauditoribus suis, consilia eorumdem diligenter « quaereret, et, iisdem consiliis habitis, dictas causas finire et ter- « minare celeriter teneretur »,[2] ita tandem definitive constituens figuram Ponentis, cuius fuit causas finire et terminare de Coauditorum consilio, non autem de suo, quod ipsi ideo dare nefas erat. Dedit unicuique Auditori certum notariorum numerum, istisque regulas et praecepta et certas taxas; tandem, voluit ordinationem suam in Cancellaria, in audientia contradictarum describi, ab unoquoque et Auditore et notario penes se in copia conservari et haberi, eamque quotannis in kalendis octobris, vel prima sequentis audientiae die, solemniter in audientia contradictarum legi.[3]

10. – Ordinatione sua huiusmodi, Iohannes XXII non plenam autonomiam Auditoribus contulisse videtur.

11. - Ast, si animadvertas, Iohannem « ut statuta... huiusmodi... « inviolabiliter servarentur... voluisse et statuisse, ut... in Cancella- « lariae et audientiae litterarum nostrarum Registris ex integro con- « scriberentur »,[4] facile perspicies, Iohannem Auditorum coetui neque antea tributum fuisse, neque se ius collegialitatis ideo conferre declarasse, quod inesse eorumdem tribunali iisdem statutis suis recognoscebat. Quapropter statuta non Auditorum directe tribunali dat, sed Cancellariae et audientiae contradictarum in quarum Registris conscribi voluit ut *inviolabiliter observarentur* in posterum. Ad hoc etiam cavit, ut quotannis kalendis octobribus in eadem litterarum audientia publice et solemniter legerentur.

12. – His adde, eumdem Iohannem, quum beneficia officialium curiae reservationi apostolicae, constitutione: « Ex debito », subiecit,

[1] Cit. bulla, *Ratio iuris*, § 9.
[2] Ibi, § 10.
[3] Ibi, in fine.
[4] Ibi, l. c.

eosdem enumerans singillatim per sua officia, Auditores nostros omisisse, qui ideo confusi manserunt sub communi appellatione inibi expressa « aliorum quorumlibet Capellanorum ».[1]

13. – Quanam autem de causa ipse ius collegium efformandi Auditorum personis neque recognoverit neque concesserit, documentis quae mihi obvia facta sunt percipere nequivi. Reor tamen invidiam clamoresque ceterorum curiae officialium, quae tot tantaque romanorum Pontificum sapientissima consilia ne fierent quovis tempore obstarunt, non ultimam praebuisse ita sese gerendi Iohanni XXII causam.

14. – Siquidem, ex hac luce Iohanne migrato, et in romanum Pontificem anno 1334 electo Benedicto XII, hic nova constitutione, quae incipit « Ad reginem », innovans beneficiorum officialium curiae et aliorum reservationes, cum locum proprium et distinctum in eiusdem curiae hierarchiis inibi Auditoribus s. a. palatii causarum statuisset, eos enumerans immediate post Auditorem contradictarum, ante correctores, scriptores, poenitentiarios etc.,[2] alte conclamitatum est, hoc iniuria fuisse peractum, quippe quod eosdem Auditores non esse retineretur Papae familiares domesticos et commensales, neque apostolicae sedis et Papae *speciales et veros officiarios*. Quae cum ad aures Benedicti pervenissent, ipse illico, quamvis occasionem vocitandi substulit, apostolica constitutione « Cum, sicut accepimus », kalendis octobris anno pontificatus sui primo, solemniter declarans, « prefatos Audi« tores a tempore quo ad apicem fuimus summi Apostolatus assum« pti, nostros familiares domesticos, commensales ac *nostros et « Sedis predicte speciales ac veros officiarios fuisse ac etiam exi« stere* etc. ».[3]

15. – Nos, quibus novissimi nostrarum tempestatum usus adeo in antiquos dissimiles fecerunt mores, perdifficile animo haurimus, quonam pacto Auditores nostros, qui s. a. palatii causas quotidie iudicantes Papae et apostolicae sedis servitio incubuerunt reipsa, ad Benedictum XII usque, neque veri neque speciales Papae et apostolicae eiusdem sedis officiarii habiti fuerint.

16. – Ast memini necesse est tunc temporis ad iuris communis praecepta fuisse processum: ex quo factum est, ut Auditores, qui ut plurimum ab litigatoribus petebantur et semper causas audierunt vice Papae viventis, habiti sint potius quam sedis apostolicae, administri privatarum personarum tum litigantium, tum pro tempore exi-

[1] Vol. III, pag. 78, n. 51.
[2] Ibi, pag. 79, n. 52.
[3] Ibi, p. 81, n. 53.

stentis Pontificis. Quod tanto magis videri debuit ex eo quod Auditorum potestas delegata erat: unde difficile concipiebatur officium delegatorum iudicum (quorum erat proprie articulos causarum non iurisdictionales tantummodo cognoscere, quique iudices non efficiebantur nisi speciali commissione toties quoties danda) effici valere speciale perpetuum officium.

17. - Et cum per se contingere etiam potuisset, ut quisque Capellanus Auditor unam tantum causam audierit, tale romano Pontifici ministerium non praeberi ex hoc putatum est, quale rationabiliter expostulatur, ut quis familiaris Papae fieret et officialis verus atque specialis. Hinc Capellani Auditores, etsi Capellani semel facti semper tales manerent, neque tamen familiares Papae dici posse tunc temporis visi sunt.

18. - Ab apostolica Cancellaria et audientia contradictarum dependebant; omnium namque iudicum caput Vice cancellarius erat, et legum custodia Auditori contradictarum commissa fuerat, iuxta ea quae superius exposui. Ast non ideo officiales eiusdem Cancellariae effici Auditores videbantur; cum, initio, plurium in idem officium illa deesset communitas, ex qua et collegialitas tribunalis et perpetuitas muneris necessario fluebant, quibus deficientibus officialis ne concipi quidem potest; serius vero, etsi de facto in idem officium communitas exorta esset et demum ab Iohanne XXII solemniter recognita fuisset, Auditorum multitudini collegialitas data non erat. Ideo, neque specialis officialitas.

19. - Hinc, neque Papae perpetui commensales; nam narrat Gomez se legisse in membranaceo *quinterno Cancellariae* « unam fuisse Vice-« Cancellarii et suorum officiariorum mensam semel in die de portioni-« bus Palatii substentari solitam, ad quam nullus, quantaecumque fuis-« set praeeminentiae, conditionis et status commedere audebat sine « speciali licentia Papae. Et quod est magis mirandum, nullus ex offi-« cialibus, ita communiter viventibus, medicinam sumere, aut sangui-« nem minuere poterat absque speciali licentia Vice-Cancellarii... ut « in praedicto membrano libro pervetusto latius enarratur ».[1] Mensa igitur palatii, saltem quotidiana, carebant Auditores eaque caruerunt ad Benedictum XII usque, cum ipse primo eos declarare debuerit familiares suos suosque perpetuos commensales, qui eos voluerat veros et proprios suos et apostolicae sedis officiarios esse. Et revera: « si ricava » - legitur in *Relazione dell'origine, prerogative; ecc.* - « che

[1] *Comment. ad Regul. Cancell.*

« per questo titolo di commensali loro conferito... venisse (loro) da « Palazzo assegnata la parte del pane che anticamente chiamavano « *Panem honoris*, non altrimenti forse che come Familiari del Papa, « per la di lui morte venivano loro dalla Camera pagati gli abiti « negri detti di corruccio, che oggi più non si danno, essendo stati « tolti dalla Bolla di Clemente XII li 2 ottobre 1732 ».[1]

20. – Verum, ex Benedicti XII declaratione profluitne, datam fuisse et recognitam Auditorum coetui collegialitatem? Profecto, non videtur. Etenim insequenti soeculo XV, post extinctum magnum occidentale schisma, sub romanis Pontificibus Eugenio IV, Nicolao V et successoribus usque ad Sixtum IV, totis viribus adnisi sunt ostendere Rotae Auditores, sibi naturam et esse veri et proprii collegii inesse. Et celebre manet, adhuc in suo originali, consilium Ludovici Romani, Auditoris, hac de re.[2]

21. – Attamen Avenione Benedictus XII specialem sedem in apostolico palatio a se extructo, sub cappella, eisdem construxit et attribuit.[3]

22. - Et cum sede propria in palatio receperunt etiam necessarias suppellectiles, inter quas pluteum erat rotulis instructum quibus commode circumagebatur et admovebatur, causarum sustinens *rotulos*, quod ideo *Rota* in palatio vulgo appellatum est.[4] Unde tribunal *Rotam* appellari coeptum est, et Auditores vocati sunt *Auditores Rotae*. Accidit tunc temporis quod et hodie passim fit, ut nempe ex aliqua speciali unius rei denominatione nomen ducatur officii cui res illa est, ceu nunc dicimus, v. g., « *la Consulta* », ut ex nomine palatii significemus Ministerium exterorum in eo sedem habens, et similia. Humilis quidem huius gloriosi nominis *Rotae* origo, non tamen ab origine humanarum omnium magnarum rerum diversa. Ex humili admodum origine ductum, in officiale nomen tribunalis meruit assumi, forsan quia rebus convenire compertum est; causae enim in Auditorum tribunali de turno in turnum deferebantur, et Auditores iudicantes, saltem antiquitus, in circulum seu rotam sedebant.[5]

23. – Porro quod Avenione perfectum non est, nempe declaratio collegialitatis pro coetu Auditorum et praefinitio illorum certi

[1] *Relazione* ecc. pag. 137 in ARCH. ROT. *Privil.* t. II.

[2] ARCH. ROT., *Privilegia,* t. I, « Varia » n. LIV; inter *Consilia* Ludovici, tipis impressa, n. 436.

[3] Vol. II, pag. 27, § V.; Vide BALUT. in *Vitae Paparum. Avenionen.* Vita Benedicti XII.

[4] EHRLE, *Historia bibliothecae rr. Pontif.,* Romae, 1889; pag. 643 et 696.

[5] ARCH. ROT., *Relazione,* ecc. pag. 135.

numeri (quod pluribus iisque gravibus incommodis viam aperiebat) Calistus III et Pius II cogitarunt perficere.[1] Immo, Paulus II attendens « quod multitudo onerosa nihil habet honesti, et quod in « paucis ex multis quiescunt virtutes »,[2] voluerat apostolica constitutione, in perpetuum valitura, Auditorum numerus sancire ne ultra duodenum deinde transcenderet. Sed quamvis eiusdem constitutionis *minuta* iam esset in promptu, Paulus, morte praeventus, rem non perfecit. Ast Sixtus IV, qui primis pontificatus sui diebus tres viros in novos Auditores elegerat, nempe Hieronymum de Porcariis, Iohannem Prioris et Benedictum de Mastinis, nescius probabiliter eorum quae iam antecessores sui paraverant, ut ea cognovit, Motuproprio mensis decembris 1471 volens contra importunas supplicantium preces, ac « minus verum proprium Motum a nobis extorquentibus « opportune providere »,[3] factas nominationes illico cassavit, ac sub dato idus maii 1472 celebrem edidit bullam « Romani Pontificis »[4] qua denique numerus Auditorum ad duodecim redactus fuit et collegium clausum et collegialitas in ipso bullae tenore asserta apertissime.

24. – Verum sixtina lex non mox omnimodam est exsequutionem nacta: nam textibus scatet, eumdem Sixtum non semel novos Auditores assumpsisse, quamvis ita duodenarium taxatum numerum excederet, ut ecce v. g., contigit in Phelino de Sandeis,[5] et idem saepius fecisse Sixti IV immediatos successores Innocentium VIII et Alexandrum VI, frustra contradicentibus Auditoribus. Tandem aliquando sub Iulio II ad unguem praefata lex observari coepit, cui postea ad diem usque 20 septembris 1870 inviolate paritum est.

25. – Haec certi numeri Auditorum praefinitio loca seu officia Rotae ut certis Nationibus fas addicere fuisset, effecit. De istis locis quae *Nationalia* audierunt, sequente capite scribam.

26. – Hoc nunc caput concludenti, mihi liceat ab auctoribus, eorumque sectatoribus, asserentibus Capellanos Auditores successisse antiquis *iudicibus de clero* vel *lateranensibus iudicibus*, aut semper extitisse in romana ecclesia, aut similia, liceat - inquam - petere num vel semel in textibus ante Lucium III iuridica figura Capellanorum nostrorum appareat.

[1] Cf. vol. III, pag. 180, n. 110.
[2] Ibi, pag. 178, n. 108.
[3] Ibi, pag. 180, n. 110.
[4] Ibi, pag. 181 ssq., n. 111.
[5] Ibi, pag. 211, n. 125.

27. - Ex hucusque per decem capita traditis, tum historica indagine, quum iuris prudentia, in tuto collocatum est, iuridicam figuram Capellanorum nostrorum soeculo XII nasci et in suis intrinsecis specialibus elementis efformari coepisse, quae ex sese non stat, sed innititur et completur iuridicis figuris 1° Papae, iudicia perficientis more publici administratoris publicis negociis impediti; 2° Vice-Cancellarii, iudicibus praesidentis iisdemque commissiones distribuentis; 3° Auditoris contradictarum, leges ordinationesque romanae curiae custodientis et contradictiones in rescripta commissionum iudicantis; 4° causarum quae specifico nomine venerunt sacri palatii apostolici; 5° denique figura adsessoris.

28. - Evincunt ne auctores, haec omnia - nullo excepto - concurrere in figuris illorum veterum iudicum? Unum enim ex his si desit, iam alia iuridica figura est, non illa Capellanorum. – Ipsi tradunt, iudices de clero, lateranenses et ceteros quos recensent, delegatos fuisse: ostendunt hos omnes, exurgentibus Capellanis nostris, disparuisse.

29. - Sed quid ideo? Ad summum, quod veteres illi iudices, non secus ac Capellani nostri, ad genus pertinuerunt iudicum delegatorum; quod illi Capellanis nostris tempore praecesserunt; quod, iure romano renato et in auxiliarium iuris canonici assumpto, res cunctae innovatae sunt, et hac eadem rerum omnium innovatione, quod antiquitas astrinxerat deletum est.

30. - Manet igitur conclusio nostra: sacra romana Rota iure communi progenita, soeculo XII initia sumpsit: et cum officiali decreto Lucii III ius Romanorum renatum factum fuerit ius auxiliarium canonici, huic decreto iuridice est praecise Rotae origo addicenda.

CAPUT XI.

De natura tribunalis Rotae.

1. – Posita quam descripsimus iuridica Capellanorum Papae Audirum causarum s. a. palatii figura, et historica efformatione collegialitatis illorum tribunalis, quod serius nomine Rota venit, patet quaenam fuerit huius tribunalis natura.

2. – Cum nulla causa ad eius Auditores pervenerit, nisi per commissionem, totum tribunal commissarium fuit.

3. – Quamvis igitur, ipsi demandata fuerit facultas cognoscendi causas appellationum devolutas ad curiam Papae, tamen tribunal

appellationis effectum non est: nam Innocentius IV non sanxit in concilio lugdunensi, necessario hisce in causis esse appellandum ad sanctam sedem, sed constituit quod si ad ipsam fieret provocatio, haec necessario coram sancta sede prosequi deberet, inhibitis minoribus iudicibus quatenus in iisdem causis utcumque sese immiscerent deinceps, et coactis partibus, contra quas appellabatur, appellantem in curiam romanam sequi.

4. - Hanc suam naturam quotidie Rota affirmavit, sibi commissas causas diiudicans, ceterorum iudicum sententias nunquam exsequens, nisi iustificarentur etiamsi fuissent in iudicatum transactae. [1] Adeo ut, nunquam Rota dubitavit utrum essent infirmandae vel confirmandae ab aliis iudicibus latae sententiae; sed usque, nedum causas eidem commissas in primissima instantia, sed et alias in quibus una vel plures praecesserant sententiae, una eademque ratione tractavit, omnibus concedens tres iudiciorum gradus, de queis infra scribam.

5. – Quinimmo etiam ubi in vim legum anni 1834, a Gregorio XVI celebri « Regolamento legislativo e giudiziario » editarum, Rota effecta fuit ordinarium appellationis tribunal causarum Romae et ecclesiasticae ditionis, etiam tunc – inquam – relicta fuit in pacifica possessione huius sui primigenii caracteris. Sancivit enim Gregorius XVI (ibi, § 1029), tantummodo in causis iam a Rota decisis uti posse Dubii formula: « an sententia rotalis sit confirmanda vel infirmanda ».

6. – Exinde factum fuit quod semel causa introducta in Rota, ab ea deinceps avelli nequiret; exinde profluit maxima illa libertas Rotae in interpretatione iuris qua, v. g. uti quoad terminos iuris (de quibus inferius singillatim agam) eos tantummodo servavit qui *substantiales* dicti fuerunt quique *termini palatii* anthonomastice ideo audierunt, quoad nullitates nullam attendit, nisi esset de tribus, scilicet iurisdictionis, citationis et mandati. [2]

7. – Tantummodo anno 1834 – uti dixi – Rota facta fuit ordinarium tribunal appellationis, pro causis commercialibus supremum, prò causis de queis singillatim scribo in capite *De Rotae competentia*.

8. – Sed quatenus etiam gregorianis legibus illius anni relicta fuit extraordinarium tribunal pro causis totius mundi, in suo antiquo primigenio esse mansit tribunalis commissarii, nihilque (quoad hoc) natura sua immutata est.

[1] Decis. 18, n. 5, part. I; Decis. 474, n. 8, part. II; Decis. 80, n. 9, part. XIV, etc. *Recent.*

[2] Decis. 36, n. 2, part. X; Decis. 416, n. 17, part. XVI, etc. *Recent.*

CAPUT XII.

Quaenam fuerit in curia Auditorum Rotae positio post latam Benedicti XII constitutionem « Cum sicut accepimus ».

1. – Benedicti XII constitutio qua Auditorum qualitas verorum atque specialium apostolicae sedis officialium recognita fuit et sancita, quin efficeret ut Auditores extorres ab apostolica Cancellaria fierent, eos eidem magis magisque devincivit.

2. – Siquidem inviolate servanda mansit Iohannis XXII ordinatio iuramentum praestandi a novis Auditoribus in manus Vice-Cancellarii; insuper, cum officiarii Papae et apostolicae sedis vitam ducerent et mensam participarent cum ipso Vice-Cancellario, in vim praecitatae ordinationis ius acquisierunt Auditores ad vitam et mensam palatii: cuius iuris vestigium ad novissima usque tempora mansit in prandio quod quotannis Vice-Cancellarius eisdem praebuit in natalitio Domini, de quo tastantur *Decis. I, alias 803 de Constit.* in *Antiquis*, et centies *Diaria rotalia;* in nigris vestibus, eisdem Auditoribus datis a Camera apostolica ubi Papa moreretur, et in prandio (novissime numismatibus commutato ab Innocentio XII) a Camera Auditoribus exhibito in fine anni iuridici de mense iulio.

3. – Praeterea Cancellaria tunc, et deinceps per longum temporis lapsum, in gratiae et in iustitiae Cancellariam dispescebatur; haec, uti in bulla « In apostolicae » testatur Martinus V,[1] ter singulis septimanis habebatur in qua litterae super sententiis in romana curia latis exsecutoriae revidebantur, ne exaratae forte prodirent ab stylo Cancellariae difformes; notae de iustitia formabantur, ac ad curiam delatae causae suis Auditoribus distribuebantur per commissionis rescriptum.

4. – Porro ad omnia haec rite ac iure peragenda, in iure doctis et peritis opus erat: et quisnam Auditoribus in curia peritior aut doctior in iure? Ipsos igitur noluit Benedictus XII a Cancellaria divellere cuius membra hinc ab suo initio sederant, sed inibi reliquit ut litteris iustitiae revidendis et signandis incumberent.

5. – Hinc prouti in manibus Vice-Cancellarii, qua omnium iudicum capitis, stylus mansit iuramentum praestandi antequam quilibet novus Auditor muneri suo admovere coepisset manus, ita quidem immu-

[1] Vol. III, pag. 99, § 10.

tatus perseveravit stylus portandi Auditoribus ut eas reviderent et sigillarent, litteras iustitiae: et cum forte his peragendis minus sollicite Auditores incumbere occepissent, Gregorius XI ordinavit « quod « de cetero Auditores causarum palatii apostolici in litteris iustitie « quae per eos sigillari consueverunt, cum littere eis sigillande por- « tabuntur, antequam sigillent, diligenter videant, et demum visas « sigillent, et iuxta sigillum eorum manu propria se eas vidisse sub- « scribant. – Quod si non fecerint, littere ipse per cancellariam non « expediantur – et mandavit, ordinationem huiusmodi in audientia « contradictarum legi et eisdem Auditoribus in rota intimari ». [1]

6. – Ceterum, stylus fuit ad Innocentii VIII usque constitutionem « Finem litibus » (anno 1487) ut, latae ab Auditoribus sententiae expedirentur sub plumbo, seu per apostolicam Cancellariam in forma bullae: hinc Auditorum Rotae nequibat non esse eas revidere, sigillare eisque manu propria subscribere.

7. – Exinde Auditorum Rotae ius et stylus, ad novissima usque tempora servatus, interveniendi per duos aut plures Auditores confectioni regularum Cancellariae quoties novus romanus Pontifex eas confici iussisset. Magis enim quam iustitiae litterae, Cancellariae regulae quae praesertim in materia beneficiali versabantur iusque faciebant, iuris eruditione et peritia egebant Rotae Auditorum, quorum quotidie erat ius in beneficialibus praesertim dicere, ad normam regularum procedendo.

8. – Magis vero magisque apostolicae Cancellariae Auditores Rotae divincivit Martinus V, anno 1418, quum omnimode subiectioni et correctioni Vice-Cancellarii eos subdidit, iis a correctione Camerarii subtractis. [2]

9. – Profecto, Vice-Cancellarii cum nativa positio esset ut omnium iudicum caput existeret, quae recensuimus necessario facta sunt, ne a capite membra corporis disiungerentur.

10. – Quinimmo iustum honestumque fuit eidem capiti eo arctius adhaesisse membra, quo plenius idem caput in ambitu sibi a iure constituto vitam suam vixit. Scilicet postquam cardinales, soeculo XIV sibi munus et nomen Vice-Cancellarii sumpserunt. Tunc enim – uti supra retuli – imminui et sensim sine sensu desciri coepit Auditoris contradictarum in Rotam potestas, quae, veluti iure postliminii, in ipso Vice-Cancellario consolidata est.

[1] Vol. III, pag. 91, § 87.
[2] Ibi, pag. 100-101, § 18.

11. – Finem etiam accepit Camerarii corrigendi Auditores potestas quae eidem Vice-Cancellario tradita fuit; et ita quidem, ad diem usque 20 septembris 1870, Rota unum habuit caput, Vice-Cancellarium, et Camerario non subiecit nisi in quantum ab eo recipere debuit immissionem in matriculam Capellanorum.

CAPUT XIII.

De locis Rotae certis Nationibus concessis seu de Auditoribus Nationalibus.

1. – Generalia romanae curiae et Capellanorum Papae Auditorum causarum s. p. a. tractantium adhuc, animum pulsat quaestio a quonam Capellani Papae Auditores causarum s. p. a. nominarentur.

2. – Porro, de iure unus Papa eos eligere et nominare poterat; siquidem et Capellani erant, scilicet palatii Proceres seu Cubicularii, et causas audiebant *vice Papae viventis*, cuius ideo erant delegati. Ceterum, iure communi cautum est, iudices a solo Principe esse eligendos. Hinc scite Aegidius Bellemera asseruit: « Papa... Capel-« lanos facit ». [1]

3. – Quapropter optime sese gesserunt Rotae Auditores anno 1850 respuentes nominationem Aloysii Serafini subscriptam ab Emis cardinalibus Commissionis Status, non autem a Papa: laesa fuisse – visum est eis - quodammodo iura ac privilegia Rotae cuius Auditores continuo fuerant per ipsiusmet Pontificis nominationem in ordinem suum cooptati: itaque cum iisdem cardinalibus firmiter de re conquaesti sunt; cardinales autem re et facto palam fecerunt quantum iustitiae consona fuisset Rotae querela, iam datae schedulae aliam sufficientes ex qua apparuit, summum Pontificem nominasse praesulem Serafini; et haec schedula publici iuris facta fuit. [2]

4. – Attamen hinc a remotiori Rotae aevo romani Pontifices aliquot ex magnis regibus facultatem fecerunt eligendi ac nominandi unum vel plures Auditores Rotae: ita quidem Hispaniarum rex unum nominavit pro corona Castillae, unum pro corona Aragoniae; rex Romanorum in Germania unum pro suis regnis; unum denique rex Franciae.

[1] Conclus. citat. 610.
[2] *Diarium Camer.* 21 et 25 ian. 1850; Vol. III, pag. 657, n. 561.

5. – Cur autem regibus potius quam episcopis facultas huiusmodi facta fuerit, directis historicis testimoniis mihi exquisitum non est: puto tamen hoc plurimis gravioribusque de causis fuisse factum. Primo, enim, summopere opportunum videri debuit, tribunalis iudiciarias universi christiani orbis contentiones iudicantis undique conquisitos, probos, iurisque peritissimos, suaeque civitatis res quambene perspectas habentes, suisque Principibus benevisos homines in membra assumi; secundo, quia, Papa per suum tribunal suam exercens quotidie supremam iurisdictionem in omnes ecclesias omnesque et singulos christifideles, iure praeditus suas sententias exsequendi ubique, etiam ad id adigendo brachium soeculare, aequum honestumque ducere debuit in sacro romano Imperio (cuius Imperator ipsi obedientiam, fidelitatem, protectionem et advocatiam iurabat, et duo supra memorati reges veluti erant duarum magnarum provinciarum Imperii magni praesides) iisdem Imperatori et regibus ius dare eligendi et nominandi certos pontificalis tribunalis Auditores, ex quo felicior viveret concordia inter utramque potestatem, promptiorque esset latarum sententiarum exsecutio. Nisi inde derivasset ratio huius concessionis, tribus praedictis regibus factae, ratio nulla subesset cur Auditores, electi ac nominati ab ipsis, fuissent penes Papam oratores nati suarum Nationum, quales reipsa fuerunt, quoties Ambassiadores e curia abfuisse contigit.

6. – Quandonam autem pro unoquoque ex tribus his regibus mos eligendi et nominandi Rotae Auditorem – quem Nationalem appellarunt – incoeperit, nescimus: certo certius non ante primum generale concilium lugdunense, cum tunc temporis stabile in romana curia Auditorum officium constitutum nondum fuisset, ceu supra saepius asserui.

7. – Persuasum tamen est, harum Nationum homines quovis tempore inter Capellanos Auditores adlectos fuisse: immo constat regem Hispaniarum iam ante Martinum V suos Auditores nominare consuevisse; secus enim male explicaretur cur ipse a Martino V invocasset dispensationem a triennio lecturae post doctoratum pro Iohanne de Palomar. [1]

8. – Regi Galliae vero nisi concesserit, certe privilegium confirmavit Sixtus IV qui, postquam Auditorum collegium clausisset, eorum numero ad duodecim reducto, quin declarasset inter duodecim semper esse debere et duos hispanos, et unum gallicanum et unum germanum,

[1] Vol. II, pag. 48, n. 272; vol. III, pag. 120, n. 68.

Guilermum de Pereriis numero et collegio Auditorum aggregavit, declarans se « ex certis et rationabilibus causis deliberasse unum virum « idoneum qui de Gallica natione et dominio... Ludovici Regis Franciae « oriundus existeret numero et collegio Auditorum Palatii Apostolici « aggregare » ; ideoque illum nominasse. Cuius cedula nominationis ipsius Sixti manu signata est. [1]

9. – Progressu temporis ab hoc iure gaudendo doctorum collegia et minoris momenti Nationes - temporum adiunctis ita suadentibus - exclusae non sunt. Enimvero Iulius II, eiectis a Bononia Bentivoliis, circa annum 1507 illius civitatis collegio doctorum unum locum assignavit in s. r. Rotae auditorio. [2]

10. – Idem privilegium mediolanensium doctorum collegio Pius IV elargitus est anno circiter 1562, hac tamen ratione ut collegium tria nomina praesentasset Papae ut ex iis Papa in Auditorem Rotae eligeret unum. [3]

11. – Anno 1585 Sixtus V Reipublicae Venetiarum ius tribuit Papae praesentandi quatuor iuris doctores ex veneta ditione quorum unum eligeret Papa in Auditorem Rotae. [4] Primus ita electus fuit celeberrimus Franciscus Mantica cuius delectus Sixtus concessit ut fieret ab Auditoribus. [5]

12. – Ast Clemens XIII anno 1761 constitutione sua « In hoc « gravissimo » privilegium patriae suae ampliavit illud reddens ad formam et amplitudinem privilegii regum Hispaniarum, Galliae et Germaniae: ideo exinde Respublica non amplius ut antea quatuor iuris doctores proponere debuit, sed ex nobilibus civibus vel ex honestis familiis venetae dominationis unum dumtaxat eligere et nominare. [6]

13. – Quod tamen per breve tempus observatum est: nam cum Venetiarum Respublica declarasset, se nolle suum Rotae Auditorem nominare, Pius VII, Brevi diei 18 iunii 1816 « Romani Pontifices » locum Auditoris veneti uni viro provinciae Romandiolae originario, per romanum Pontificem nominando et eligendo, perpetuo concessit, eidem pro congrua in curia substentatione assignata annua pensione scutatorum 2000 romanorum, ab ipsa Romandiolae provincia sol-

[1] Vol. II, pag. 100, n. 114.
[2] Moroni, *Diz.*, v. Uditori di Rota, pag. 223.
[3] *Idem*, l. c. pag. 228; Vol. III, pag. 317, n. 179.
[4] Vol. III, pag. 318-319, n. 183.
[5] Moroni, l. c., pag. 228; Paolo Paruta, *Relazione dell'Ambasciata di Roma l'anno 1595;* Vol. III, pag. 319, 46.
[6] Vol. III, pag. 566, n. 458.

venda.[1] Horum Auditorum primus fuit Aloysius comes Zinanni, ravennas.[2]

14. - Ferrariae unum locum in romana Rota jus habendi tribuit Clemens VIII anno 1597 vel 1598 et primus ferrariensis Auditor fuit Franciscus Sacratus.[3]

15. – Denique et perusinorum doctorum collegio ius ad unum locum Rotae assignavit Urbanus VIII:[4] sed Perusia frequenter anteactis soeculis viros habuit qui dignissime locum in Rota tenuerant, uti v. g, celebres Ubaldos. Verum ius non proprie erat Perusiae, sed Tusciae, tam quae Papae, quam quae Aetruriae magno Duci subiecta erat: ideo Auditorem Papa nominabat ex perusinis semel, semel autem ex florentinis civibus, et utraque nominatio libera erat.[5]

16. - Nonnunquam, denique, Papae gratiose Auditoribus Rotae dederunt ut eligerent novum Auditorem. *Liber iuramenti* casus quibus hoc factum fuit, enumerat sequentibus verbis: « Sm̃us D. N. Sixtus « d. p. Papa V, post assumptionem Illm̃i et Revm̃i d. Card. Aldo« brandini (Hippoliti), Auditoris Rotae ad Cardinalatum, electionem « successoris remisit Rotae et fuit electus d. Franciscus Mantica « legum professor in Universitate Patavina die xv ian. 1586, ex « quatuor a Seren. dominio Venetorum nominatis.

« Idemque observavit post assumptionem Rm̃i d. Cantucii ad « Episcopatum Lauretanum et Rota elegit d. Neapolionem Comitulum « Perusinum.

« Idem observavit f. r. Urbanus VII et postea Sm̃us D. N. Gre« gorius XIV: et per mortem Rpd. de Rubeis fuit nominatus d. Ioan« nes Garcia Millinus et electus a Ssm̃o D. N.; per mortem b. m. « Marcelli de Bubalis fuit nominatus d. Pompeus Arrigonius et uterque « prius fuerat Advocatus Aulae Consistorialis.

« Idem observavit S. D. N. Clemens Papa VIII post obitum Rpd. « Peregrini, et Rota secretis suffragiis elegit Rpd. Coccinum ex qua« tuor a Ser. dominio Veneto nominatis.

« Assumpto autem Rpd. Pamphili ad Cardinalatum, Rota sup« plicavit Ssm̃o pro persona d. I. B. Pamphilii d. Illm̃i Card. ex patre « nepotis, et Ssm̃us statim annuit, et d. Ioannes Baptista in Auditorem « deputavit ».

[1] Vol. III, pag. 626, n. 507.
[2] Vol. II, pag. 282, n. 630.
[3] MORONI, l. c., pag. 230.
[4] *Idem*, l. c., pag. 233.
[5] EMERIX, *Sacrae Rotae Romanae Praxis*. tit. IV, pag. 1.

17. – Auditores Nationales in ceteris omnibus nil differebant a ceteris Auditoribus: uti isti, ita et illi, suam bibliothecam habuerunt – in qua solemne fuit Studium uniuscuiusque congregari – quae tamen propria fuit non Auditoris sed Nationis. In iudiciis perficiendis, nulla prorsus ratio habita unquam est nationalitatis Auditorum, si tamen excipias stlyum istis Nationalibus Auditoribus facilius committendi causas suarum Nationum. Testatur Ioseph Bondini in suo opere « *Del Tribunale della S. R. Rota* (pag. 17): Nè alcuno si pensi mai « che codeste differenze nazionali negli Auditori della sagra Rota pos- « sano intromettere alcuna diversità nella loro maniera di giudicare. « Perciocchè con savissimo provvedimento e degno di somma laude « è statuto e fermo che in qualsivoglia trattazione di cause sieno « tutti mescolatamente considerati e che non si abbia altro di mira « che il turno qual ricorre. Uguale è in loro (tutti) la giurisdizione ». [1]

CAPUT XIV.

Refutantur aliquot ex potioribus erroribus de tribunali Capellanorum Papae, seu s. r. Rota.

1. – Ex expositis adhuc, etsi cuique sollerti lectori perfacile sit quamplura male et errate ab auctoribus scripta fuisse de origine et natura Auditorum causarum s. a. palatii, seu Rotae, inferre, attamen heic, antequam ad particularia tum tribunalis, tum collegii rotalis enarranda suscipiam, nonnulla ex potioribus ad trutinam revocare ex professo utile duco, nedum ad meliorem expositarum probationem, sed et clariorem scribendarum rerum explanationem.

2. – Quin iterum heic refutem opinionem quae vult romanos Pontifices usque usos opera suorum Capellanorum fuisse pro tractandis causis quae apostolico iudicio subiicebantur, et opinionem asseverantium, Capellanos nostros loco successisse iudicum lateranensium, ad trutinam revocem sententiam eorum qui, sese fundantes in bulla canonizationis b. Raymundi de Peñafort, celeberrimi Papae Capellani Decretalium Gregorii IX compilatoris, scripserunt usque romanos Pontifices usos fuisse opera Capellanorum pro videndis causis s. a. pa-

[1] « Ne quis sibi suadeat nationalitatem Auditorum aliquod contulisse discrimen « rationi iudicia perficiendi: quandoquidem sapientissimo ac laude dignissimo con- « silio cautum firmatumque est ut in cuiuslibet causae tractatione nil aliud prae « oculis habeatur nisi ratio turnorum prouti ista ex decurrentia matriculae sese « offerat. Par in ipsis omnibus unaque iurisdictio est ».

latii, quia sicuti (rentur ipsi) non dabatur Auditor qui simul non esset Capellanus, ita nullus unquam Capellanus extitit qui auditor causarum s. a. palatii non esset.

3. – Profecto, quae supra pluries exposui, iam penitus excludunt, Papas ante soeculum XII ad finem vergens, Capellanis suis causas audiendas s. a. palatii commisisse. Quapropter heic expendendum est num revera soeculo XIII, non extitisse Papae Capellanum qui simul non esset Auditor causarum.

4. – Sed quae supersunt illius aevi documenta, ad evidentiam demonstrant quamplurimos fuisse Papae Capellanos penitus ab audiendis causis extorres. Et revera ipse Raymundus de Peñafort, quem Romam detulit et de meliori nota commendavit Gregorio IX Papae, anno 1229, Iohannes, eps. sabinen., legatus Papae ad concilium Illerden.,[1] non praedicatur ab ipso Gregorio « Auditor causarum » sed *poenitentiarius*. Porro, si Raymundus uno eodemque tempore officio functus fuisset et Auditoris causarum, non autem dumtaxat poenitentiarii, nonne Gregorius eum appellatione auditoris causarum potius appellasset, cum facilius iurisconsultum ostendat et conclamet officium iudicis externi fori, quam iudicis interni fori, praesertim quum leges publico studio mittebantur quibus universi iubebantur uti debere « in iudiciis et in scholis? ».[2]

5. – Eo vel magis quod in gradu hyerarchiae poenitentiarii non praecedebant Auditoribus causarum,[3] et etiam tunc temporis officia romanae curiae ita inter sese distincta constituerant iam Papae, ut certe officiales qui rebus interni fori incumbebant, scilicet poenitentiarii, nullimode confunderentur cum ceteris officialibus huic vel illo alio officio operam dantibus.

6. – Sed documenta illius tempestatis evolventi satius abunde constabit Capellanos Papae non raro fuisse notarios quin tamen praedicentur Auditores causarum s. a. palatii, ut ecce v. g. sub Honorio III magister Guido qui per suas manus dans Papae bullas, se signat: « Papae Capellanus et notarius ».[4] Item Capellani, etsi subdiaconi, in Cancellaria apostolica munere fungi correctorum litterarum apostolicarum, perhibentur, ut ecce sub Innocentio III, Petrus Marcus. Denique, ne ululas Athenas ferre videar cum hodie penes eruditos firma quidem certitudine haec constent, Capellanos fuisse nonnunquam

[1] MANSI, *Concil.* vol. XXII, anno 1229, Concil. Ilerden.
[2] Epistol. Greg. IX ad Studium Bononien. in Compilat. *Decretalium*.
[3] Cfr. Vol. III, pag. 79, n. 52.
[4] Cfr. POTTHAST, l. c. in fine Regest. Honorii III.

etiam Auditores causarum reverendae Camerae, ut ecce anno 1288 Hugulinus,[1] et Commensales, et tot alios qui nullimode rebus iudiciariis in palatio Papae sese immiscebant, centies unumquemque illius soeculi Pontificum Regestrum probat. Immo eodem soeculo adeo Cappellani dignitas et officium, ab audiendi causas officio et dignitate erant distincta, ut qui ob novum commissum munus ab officio audiendi causas cessabant, in dignitate tamen officio et nomine Capellani perseverabant. Exemplo sit Speculator, qui ex Auditore causarum palatii creatus et missus in Rectorem Romandiolae et Massae Trabariae, etsi a Pontifice non amplius vocetur Auditor causarum, vocatur tamen *Capellanus*.[2]

8. – Ita ut notarii qui, insequenti soeculo XIV consistorii acta scribentes adnotarunt quinam unicuique consistorio interfuissent, sedulo distinguant Capellanos Auditores causarum s. a. palatii ab aliis Capellanis, ut ecce sub Iohanne XXII egit notarius in actis consistorii diei 3 octobris 1335, enumerans, cardinales, *magistros hostiarios, et Capellanos apostolicos commensales;*[3] et sub Clemente VI, in actis consistorii diei 16 ian. 1344, recitatis nominibus cardinalium, patriarcharum, episcoporum et notariorum, recenseat Capellanos Auditores, his verbis: « Discreti viri, domini Wilermus de Noviuto, Iohannes de « Blaudicaco, Amanerus de Moca, B. de novo dopno, Petrus de « Allamandis, Bernardus Hugonis de Cardalliaco, *sacri Palatii Audi-* « *tores* ». Quibus ita recensitis et dilucide definitis, pergit idem notarius, scribens: « C. de Pusterla, Petrus Vilaris, etc. ... *Magistri, domini* « *Papae Capellani* ».[4] Unde mirum non est si in decretali qua Benedictus XII enumerat officiales romanae curiae quorum beneficia si vacent in curia reservat apostolicae sedi, post Camerarium, Vicecancellarium et notarios, indicet Auditorem contradictarum et Auditores causarum s. a. palatii, et deinde ceteros omnes officiales tum Cancellariae tum Poenitentiariae apostolicae et denique « commensales, « familiares *et quoslibet alios Capellanos* ».[5]

9. – Ne ista exempla vi probandi destituta dicas, utpote aetate posteriori desumpta. Nam in documentis quae ex Regestro Gregorii IX exscripsi et *sub n. 24* tertii mei voluminis collegi, oculis insilit tempore Gregorii IX, vivente eodem b. Raymundo, Capellanos extitisse

[1] ARCH. VAT, Armad. XIII, caps. XI, n. 7.

[2] *Regestr.* Honorii IV, anno I, n. 56, die 22 iun. 1285: « *Magistro Gulielmo Durandi Decano Ecclesiae Carnoten. Rectori Romandiolae, Capellano nostro,* etc. ».

[3] ARCH. VAT., Armad. XV, caps. XI, n. 7, fol. 2.

[4] *Ibi,* l. c., fol. 111,

[5] Cfr. vol. III, pag. 79, n. 52.

qui non erant Auditores causarum. Ceterum et quonam pacto tunc adesse poterant Capellani Auditores, quum adhuc Auditoris officium, deficiente lege papali foro causas necessario addicente, neque in palatio, neque in personis stabile factum fuerat?

10. – Undenam autem et quomodo irrepserit in bulla canonizationis b. Raymundi historicus error, admittens, tempore Gregorii IX idem esse Capellanum Papae ac tempore Clementis VIII erat Auditor causarum s. a. palatii, seu Rotae, non difficile puto explicari. Nam Clemens VIII (Hyppolitus Aldobrandini) Rotae Auditor fuerat, electus a Pio V, an. 1569, et a Sixto V primum datarius, dein, an. 1585, in collegium cardinalium cooptatus. Tanto amore tribunal Rotae se prosequi, Pontifex dum esset, profitebatur, ut die 8 febr. 1592 quo Auditores collegialiter « iverunt ad deosculandum pedes Suae Sanc- « titatis » eis Clemens dixerit, « se quidem eorum extitisse Collegam, « ideoque futurum beneficentissimum, nunc vero evasisse eorum Prin- « cipem, et ideo curaturum ut eos ubique et eorum honorem tueretur « et defenderet, nihilque magis sibi curae futurum, quam huius Col- « legii decus unde Sedis Apostolicae potissimum dignitas in Orbe « terrarum elucebat, *cupereque se, ut omnes intelligerent, tam se aesti-* « *maturum honorem ipsorum ut qui eos tangeret, pupillam oculi sui esset* « *offensurus* ».[1] Ac ita gloriabatur se olim Auditorem fuisse, ut nedum sineret se ab Auditoribus vocari *Collegam*, sed si citari contigerit aliquam ex decisionibus coram se olim captam, libenter sufferret hanc non inscribi « coram Hyppolito Aldobrandino » ut erat moris, sed absolute *Coram Clemente VIII.*[2] Porro, die quo in Pontificem Clemens electus est, in *Diario* suo Franciscus Poenia, hyspanus, Rotae Auditor, inter alia adnotabat: « Communi consensu vulgi receptum erat Romae, « nullum unquam Rotae Auditorem fuisse electum in Papam: quod, « num verum esset, incertum est mihi; licet putem, aliquot Rotae « Auditores ex Cardinalibus fuisse creatos Papas, et inter alios, Inno- « centium IV, *quem Capellanum fuisse memoriae proditum est: sunt* « *autem et dicuntur Auditores Rotae Papae Capellani* ».[3] Poenia a curia doctissimus habebatur: et viri doctissimi, et (quo magis est) Auditoris Rotae, opinioni eccur curia *tunc* fidem denegasset coecam? Inde – uti opinor – cum inter causas canonizationis iam maturas

[1] Vol. II, pag. 124.

[2] Ex antiquioribus Decisionibus quae in Arch. rotal. asservantur, typis impressis inter volantes, una adest inscripta « Coram Clemente VIII »: alias similiter inscriptas videre est in *Collect. Recent.*

[3] Vol. II, l. c.

illa da constanti et laudabili curiae stylo esset concludenda quae regnanti Pontifici evaderet gratior, nulla aptior visa est, causa b. Raymundi « quem Capellanum fuisse memoriae proditum est. Sunt enim « et dicuntur Auditores Rotae, Papae Capellani! ». Et bullae canonizationis extensores, iurantes in verbo magistri Poeniae, textui bullae, decepti, falsam inseruerunt assertionem.

11. – Adnotare insuper non praetermittam, inexacte prorsus uti basim iuridicae naturae Auditorum causarum s. a. palatii eorumque iurisdictionis, assumptum fuisse temporis lapsum quo ipsi sese proclamarunt Auditores generales domini Papae et in causis appellationum processerunt in vim mandati generalis sine aliqua speciali commissione. Uti superius vidimus, exceptio fuit, quae quidem nunquam postea repetita est. Immo huiusmodi exceptio non sese extendit ad omnes causas quot Papa Auditoribus committeret, sed tantummodo ad *causas* devolutas. Neque ceteras non devolutas attingebat exceptio: unde haec tam parvi fuit momenti, ut brevi mortua fuisset et in historia Auditorum mansisset ceu quamplures aliae immutationes, irrelevans episodium, nisi Speculator de eo tuba tam alte cecinisset, Auditorumque vanitas eo processisset ut sibi asseruissent Auditorum generalium Papae cognomen. Fuit namque semper, uno excepto illius temporis periodo et pro causis appellationum dumtaxat, una eademque iurisdictio Auditorum, nempe: delegata, semperque ideo ipsi delegati iudicis natura amiciti.

12. – Hoc quidem neque minuit neque eorum dignitatis praetium splendoremque auget: si enim omnis delegatus a Principe supremum inter iudices obtinet locum, ita ut omnis delegatus ab alio dicatur pedaneus,[1] Capellani Papae Auditores causarum s. a. palatii, easdem audientes causas quas per se ipse Papa audire debuisset, eidem Papae in iudicandis causis adsidentes, eiusdem Papae sententias promulgantes, supremi inter supremos iudices collocati sunt. Attamen ex huiusmodi eorum iurisdictionis natura et qualitate tot promanarunt styli singulares et Auditorum nostrorum exclusive proprii, ut necesse sit hanc prae oculis semper habere, ne, cum sermo occurret de iis, inexacte et contra historicam veritatem loquamur.

13. – De huiusmodi propriis Auditorum stylis, prout per vices occasio se dabit, singillatim disseram. Ast in praesentiarum duo non esse silentio praetereunda videntur, scilicet 1° quod ex delegata Auditorum iurisdictionis natura factum fuit ut quamplures ab eis

[1] *Specul.*, libr. I, *De iud. deleg.*, n. 1 et 2, in proëmio.

editae decisiones Pontificum Regestris inseri indeque in Decretalium libros describi potuerint : sententiae enim erant Papae, Principis nempe iurisdictionis habentis, proindeque, etsi in certa causa latae, ius facientes et per se omnes ligantes ; [1]

14. – 2° quod defuncto Pontifice regnante, omnis Auditorum iurisdictio expirabat, etiam in causis in quibus res amplius integra non erat. Unde factum fuit, ut usque ad Pium IX, quoties novus Papa electus fuisset, toties senior inter Auditores, ut plurimum post illius coronationem, nonnunquam ante ipsam coronationem, ad pedes Pontificis sese conferret, veniam petiturus Rotam aperiendi. [2] Huius iuris istiusque styli vis a nonnullis cardinalibus invocabatur contra sententiam Speculatoris, asserentis Auditores ordinaria pollere iurisdictione saltem in audiendo et procedendo, uti ipse Speculator narrat : [3] quod quidem denotat semper, usque ab eorum initio, Auditorum iurisdictionem habitam fuisse tantummodo delegatam.

15. – Ast profecto, vacante apostolica sede, Camerarius, Marascalcus et Auditor Camerae, poterant suam iurisdictionem exercere, quia ordinarii, uti definierat Hostien. « tempore vacationis post obitum « domini Clementis Pp. IV » : [4] unde *pari ratione* intulit Speculator ordinarios fuisse et Auditores. [5] Verum, cardinales eidem obsistentes, non inepte animadvertebant « praemissos tunc, de causis audiisse « auctoritate Collegii (cardinalium) et non sua : Auditores autem « palatii qui vice Papae viventis causas audiunt, eo mortuo, etiam « coeptas audire non possunt ». [6]

[1] GOMEZ, *In Proëm. ad Reg. Canc.*, fol. 13.
[2] *Diaria Rotalia,* passim.
[3] *Specul., de off. Ordin.,* § 1, n. 3.
[4] Idem, ibi.
[5] Ibi.
[6] Ibi

SPECIALIA.

Electio novi Auditoris eiusque Novitiatus.

CAPUT. XV.

De requisitis in eligendo in Capellanum Auditorem causarum s. p. a.

1. – Profecto, pondus iura dicendi iustitiamque administrandi christifidelibus vice Papae summam scientiam, probitatem, prudentiamque in viris requirebat quibus illud portare committebatur: hinc sui muneris partes ex integro Pontifices non adimplevissent, nisi sibi et aliis eligentibus non imposuissent legem, ne in Auditores causarum palatii viri eligerentur qui talibus qualitatibus non praecellerent. Tanti enim officii magnitudo et excellentia uti per se inidoneos viros a se repellebat, ita istos (quorum semper infinitus numerus fuit in mundo et in appetendis maioribus et difficilioribus officiis petulantia importuna et calliditas arrogans) ad se ciebat splendore dignitatis et honoris: ideo summopere admitendum erat, ne unquam ad tales ineptos perveniret.

2. – Documentorum penuria hodie scire datum non est utrum usque ab initio scripta lege Pontifices exquisierint certa scientiae, probitatis, prudentiae et reddituum sufficientiae adiuncta in eligendis in Auditores causarum palatii: sicut historice hodie probari nequit utrum facta virorum electione, istius exsecutionem iis praesidiis munierint Pontifices quibus postea munita fuit ope scriptae legis.

3. – Verum si attendatur Pontificum firma constantia qua in omnibus procedere consueverunt fundamentis iuris communis innisi, iubentis non oportere iudicum nomina habere « maxime legum inerudi- « torum deinde neque causarum experimentum habentium » [1] ac praesertim pertinax vigilque studium quo praecellentiam dignitatis officiorum curiae suae adlaborarunt usque honestiori decorari obsequio ministrorum, facile coniici licet, eos saltem consuetudine fecisse quae postea praecepto scriptae legis acta sunt.

4. – Quinimmo, hoc profecto ostendunt paucissima illorum temporum quae adhuc manent documenta. Siquidem iam fere ab initio Petrum de Colle medio reperimus cuius quanta fuerit doctrina et dexteritas iam

[1] Novell. LXXXII, in praefat.

satis innuunt et plures ab eo latae sententiae, et amplissimae legationes quibus functus est; [1] Gulielmum Durandi, cuius laus est non tantum in *Speculo*, sed et in ceteris eius operibus; [2] et, serius, Oldradum de Ponte, [3] Bonifacium de Vitalinis, [4] Petrum de Sortenacho, [5] Thomam Fastolf, [6] Aegidium Bellemera, [7] totque alios de quibus in II huius operi volumine scribo: magnae quidem prudentiae, iurisque eruditionis viros omnes. Ex istis igitur electionibus optime colligi potest, reipsa ita consuetudine sese gessisse Pontifices ut serius scripta lege agendum fore decretum est.

5. – Utcumque: anno 1418 sub die 1 sept. constitutio prodiit « In apostolicae dignitatis » qua Martinus V lege, ut reor, veterum consuetudinum confirmatoria, quibus qualitatibus decorari necessario deberet electurus in Auditorem causarum palatii, et quaenam solemnitates inviolate observandae in posterum forent in istius admissione statuit. Igitur ipse ordinavit quod:

« *a*) *nullus* deinceps *causarum palatii apostolici in Auditorem* « *recipiatur, nisi doctor fuerit iuris famosus et post doctoratum ab eo* « *receptum, per triennium ad minus legerit in eodem;*

« *b*) *sitque commendatus de vita ac morum honestate aliisque vir-* « *tutibus, ac ab omni munere sint mundae manus eius;*

« *c*) *et bonum habeat testimonium;*

« *d*) *habeatque ad minus sive in beneficiis, sive in bonis tempora-* « *libus, 200 florenos auri de Camera annuatim in portatis, de quibus* « *valeat in dicta Curia ipse substentari* ».

6. – Hac igitur lege condita, necessario eligendus in Auditorem iuris doctorem famosum esse debebat ac in publica studiorum Universitate in iure legisse erat ei necesse. Quo circa factum est ut, uno vel alio deficiente, electus Auditor a Pontifice eligente dispensationem super defectu petere debuisset. Ita quidem peregit rex Aragoniae, rogans Martinum ut admitteretur Iohannes de Palomar ad officium Auditoratus, non obstante quod post doctoratum non *legerit per triennium:* [8] ita supplicat pro dispensatione super triennio lecturae in publico studio Iohannes Didaci de Coca: [9] ita Petrus Corserii, qui

[1] Vol. II, pag 8, n. 14.
[2] Ibi, pag. 13, n. 50.
[3] Ibi, pag. 26, n. 129.
[4] Ibi, pag. 32, n. 177.
[5] Ibi, pag. 32, n. 181.
[6] Ibi, pag. 26, n. 127.
[7] Ibi, pag. 34, n. 190.
[8] Ibi, pag. 48, n. 272.
[9] Ibi, pag. 53, n. 291.

petiit se dispensari super pluribus, nempe *a*) quod legit per 6 annos in studio generali, sed antequam doctor fuisset renuntiatus; *b*) quod titulus doctoratus ei Bononiae concessus fuit « per ministerium d. « Vice-Cancellarii, non tamen sub Cancellario studii generalis »; [1] ita sub Nicolao V, super infecto triennio lecturae in studio generali Bernardus Rovira, [2] Agapitus Cincii de Rusticis; [3] et Stephanus de Paperonibus dispensationem petit eo quia creatus in iure doctor iste fuerat non in studio generali sed a cardinale Antonio tit. S. Marcelli per oraculum vivae vocis Martini V, Papae: [4] et ita porro.

7. – Sed quamvis Martinus V, non iusserit ut utriusque iuris laurea decorarentur eligendi in Auditores causarum palatii, si quidem vel ipse in eadem lege distinguit *legistam a canonista*, attamen et quia practice perdifficile erat semper viros invenire qui vel una pollentes laurea, in studio tamen publico per triennium legissent ac fama gauderent doctoris famosi, et quia, mutatis hominum moribus, non amplius necesse fuit Auditoribus causas audiendas committere cum distinctione an deberent terminari secundum doctrinam iuris canonici vel civilis, factum est ut in desuetudinem iussum huiusmodi brevi sensim sine sensu abierit.

8. – Et revera Eugenius IV, immediatus Martini V successor, *super triennio lecturae* dispensat Iohannem Antonium de Sancto Vito, Franciscum Crivelli, Petrum de Caveis Rubeis, Petrum Corserii, Iohannem Didaci de Coca; [5] idem egit Nicolaus V, qui immediate post Eugenium sedem apostolicam tenuit. Restiterunt Pontificibus Auditores Rotae, pressius inhaerentes legi martinianae; sed Pontifices viriliter voluerunt a se electos esse admittendos etsi carerent praefato adiuncto. Acris lucta et diuturna, a qua tamen Auditores qui quotannis kalendis octobribus observantiam legis martinianae iurabant, victi ex integro non exierunt, cum obtinuissent ut nisi litera, spiritus tamen latae iurataeque legis observaretur. Hinc factum est quod in eligendo in Auditorem requiri coeptum sit, saltem lauream et gradum doctoralem in iure utroque. Porro iam sub Sixto IV frequentior fit electio virorum qui utriusque iuris laurea et gradu doctorali pollebant: frequentissime conspicitur sub Innocentio VIII et ceteris subsequentibus Pontificibus; [6] usque dum sub

[1] Vol. II, pag. 51, n. 284.
[2] Ibi, pag. 58, n. 304.
[3] Ibi, pag. 57, n. 302.
[4] Ibi, pag. 58, n. 303.
[5] Ibi, nn. 276, 277, 278, 284, 291.
[6] Ibi, pag. 66, ssq.

Iulio II omnes Auditores praedicantur iuris utriusque doctores, nec in « *Admissiones* » reperiuntur amplius preces ad impetrandam dispensationem a lege Martini V. Quin immo e textu constitutionis Martini V qui legitur in *Libro Constitutionis antiquo* in archivio Rotae, quemque quotannis in Rotae apertura legi solemne fuit, clausula lecturae per triennium in publico studio expuncta est, et lex hisce verbis concepta denique mansit, nempe: « Nullus deinceps causarum Palatii « Apostolici in Auditorem recipiatur, nisi Doctor fuerit iuris famosus, « sitque commendatus etc. » ceu loco citato idem textus habet.

9. – Attamen, in tenore Motusproprii concessionis Auditoratus clausula derogatoria, quam primo Nicolaus V coepit inserere in eodem tenore Motusproprii concessionis Auditoratus, nempe: « Constitutio- « nibus et consuetudinibus Rotae quibuscumque non obstantibus » [1] cum clara intentione dispensandi per eam a lege martiniana, vel nonnunquam apertius cum declaratione dispensationis, uti in Mandato de recipiendo Theodoro de Lellis, [2] nempe: « Non obstantibus « constitutionibus et ordinationibus apostolicis, illis praesertim quibus « caveri dicitur quod admittendi in Auditores Rotae debeant post « doctoratum per triennium in aliqua legisse Universitate » habitualiter et necessario inserta semper fuit in eodem Motusproprii tenore, ceu videre est in libro « *Admissiones* ».

10. – In exigenda autem laurea in utroque iure rigorose quidem processum est: enimvero anno 1685 cum examinatus fuerit processus inquisitionis Iosephi Molines et cum in eo apparuerit « ipsum graduatum fuisse in *solo iure Canonico* » Auditores domino Emerix, Decani vices supplenti, « dixerunt ut illi insinuaret ut susci- « peret doctoratum utriusque iuris in almae Urbis Universitate et « postea ad ulteriora procederetur ». Emerix qui haec narrat in suo Diario addit: « Licet enim ex Costitutione Martini V in §: *si vero* « *per informationem* ... olim sufficere videretur doctoratus in altero « iure, nihilominus quia hodie omnes expeditiones Rotales quae « decernuntur etiam extra Curiam, relaxantur de mandato Auditoris « cui directa est commissio, cum titulo doctoris utriusque iuris, et « Conclusiones quas noviter admittendi publice defendunt in Cancel- « laria Apost. cum eodem titulo imprimuntur, et *Commissiones indif-* « *ferenter diriguntur singulis Auditoribus, nulla facta distinctione an* « *causae debeant terminari secundum doctrinam iuris Canonici vel civi-*

[1] ARCH. ROT., *Admissiones*, Nicol. V, n. 11.
[2] Ibi, l. c. Nicol. V, n. 9.

« *lis, prout antiquitus fiebat, ut insinuat citat. Decis. 84, (de rescript.* « *in antiq.),* domini censuerunt *stylum modernum non esse immutan-* « *dum sine speciali mandato Sanctissimi* ».

11. – Hisce de causis etiam sub Pio IX anno 1852 Gasto e Comitibus de Ségur qui in solo iure civili doctor erat, electus iam in Auditorem Rotae lauream doctoratus iuris utriusque consequi debuit.[1] Dixi consulto: *etiam sub Pio IX.* Nam polyticis perturbationibus factum est ut hinc a pontificatu Pii VI titulus doctoratus nonnunquam datus fuerit per Breve Pontificis neo electis in Auditores Rotae qui accademico titulo et gradu doctorali carebant. Nam Franciscus Xaverius de Salm, anno 1780, Matthias comes de Strasoldo anno 1784, ambo nominati ab Imperatore Austriaco, per Breve doctores renunciati sunt.[2] Pius IX novissimis annis ante 1870 per Breve doctores renuntiavit Aloysium Flir, Henricum de Bellegarde, Carolum Lavigerie, Carolum Place et Aloysium Isoard.[3]

12. – Hisce tamen non obstantibus summi valoris viri in Rota usque fuerunt ut ecce Geminianus de Prato, Abbas Panormitanus, Ludovicus Romanus, Antonius de Milano, Phelinus Sandeus, Antonius Corsetti, et serius (soeculo XVI), Andreas de Basignana, Mercurius Vipera et Iacobus Simonetta sub Iulio II, Ludovicus Gomez sub Clemente VII, Iacobus Puteus sub Paulo III, Seraphinus Olivarius Rezzalius sub Pio IV, Franciscus Mantica sub Sixto V, Ioannes Garcia Millinus sub Gregorio XIV, Ioannes Baptista Coccinus sub Clemente VIII et tot alii quos praetereo ne sim infinitus, quorum omnium nomina et opera apprime probant iure meritoque scripsisse Vestrium[4] « in hoc Auditorio cuncta ad doctrinam, prudentiam inte- « gritatem ac Sanctitatem attinentia inesse ... ab his Auditoribus ob « summam eorum iuris peritiam, insigne iudicium, publicam aucto- « ritatem, incredibilemque gravitatem quod in controversiis deciditur, « tamquam ex oraculo dictum in omne aevum creditur... », et Benedictum XIV[5] asseruisse, existimationis opinionem praeclaram erga insigne Auditorum Rotae collegium « ab ipsa adolescentia sua ... « conceptam, postquam sedulam utr. iuris studiis operam dedisset « sub disciplina cl. m. Alexandri causarum s. p. a. Auditoris ... « Caprara, per plures annos, praestito apud idem Collegium sacra-

[1] Vol. II, pag. 317-318, n. 667.
[2] Ibi, pag. 265, n. 608; pag. 266, n. 611.
[3] Ibi, n. 676, 677, 678, 680, 682, pag 362, ssq.
[4] Libr. II, c. 18, annot.
[5] *Bullar.,* Ben., XIV, t. I, n. LXXXIV. « Praeclara debitae », 10 apr. 1743.

« mento », in se usque invaluisse ita « ut conspicuam ipsorum Cap-
« pellanorum muneris dignitatem, eorumque egregiam in admini-
« stranda iustitia *sapientiam*, et *integritatem*, ea, qua decebat, vene-
« ratione semper perspexerit ».

CAPUT XVI.

De vitae honestate et sufficentia reddituum eligendi in Auditorem Rotae.

1. - Adiuncto scientiae decrevit Martinus sociandum esse a novo Auditore adiunctum integritatis ac honestatis vitae, morumque: ipse enim dixerat iam iustitiam in iudicio contradictorio *pure* esse administrandam. Hinc lege cavit electum in Auditorem commendatum esse debere de vita, morum honestate, aliisque virtutibus; haecque non sub modio, sed super candelabrum posita; unde praecepit ipsum habere debuisse bonum testimonium. « Doctrinae enim » scribit Lotter,[1] « si accedat morum honestas et suavitas, iam omnis pertubatio animi « cessabit, qua nihil deterius in ferendo iudicio: unde Samii Pyta-
« gorae vetus symbolum: *Iudici, vel magstratui cor non edendum*;
« idest, nullis animi perturbationibus subiiciendum, ita ut inimici
« aeque ac amici decurrant partes, ut scite exponit *Campan. in opus.*
« *de regen. magister. fol. 3* ».

2. - Si rigorose usque paritum est martiniane legi de doctrina in neo electo Auditore, rigorosissime profecto legi obtemperatum fuit semper et sine exceptione de morum ac vitae honestate; ita ut, testibus Gomesio,[2] Lotterio[3] et cardinali De Luca,[4] tribunal et collegium rotale semper a se repulerint electos in Auditores qui, quamvis praecellerent doctrina, aliquem tamen paterentur defectum quoad vitae vel morum honestatem, vel quoad bonam famam.

3. - Ex multis quae afferri possent exemplis, heic unum afferam in quo, etsi superata a pugna Auditores non cessissent, clariori tamen lumine eorum in obsecundando martinianae legi affulget constantia. Mandatum ad Auditoratum habuerat a Sisto IV Franciscus Brevi, patavinus, quem omicidii reum vel complicem, superbum ac pessimo vitio contaminatum esse testes, rite excussi et iurati, trade-

[1] *De re benef.*, l. I, apparat. n. 134 ssq.
[2] GOMEZ, *Ad reg. de trien*, q. 2, col. 2, vers. *et quod regula ista.*
[3] L. c.
[4] *Theatr.*, t. 15, p. II, *Relat. R, Cur. for. disc. XXXII, n. 28.*

bant. Viriliter, Roderigo Borgia, tunc temporis Vice-Cancellario, eumdem Franciscum pondere auctoritatis suae adiuvanti, restiterunt Auditores, contra eum ad Papam appellantes, et excomunicationes ab eo fulminatas parvi facientes. Papa tamen cum in dato mandato firmus, quamvis *informatus*, permansisset, Auditores, viva humilitate, cervices flexerunt, Franciscum Brevium in suum consortium et collegium recipientes.[1]

4. - Praecipue requisita fuit in eligendo in Auditorem *legitimitas natalium*;[2] et iure quidem meritoque: nam « licet saepissime illegi- « timi natales aliquorum virtuti minime obstiterint... tamen... lex de « illis male suspicatur, praesumitque ».[3] Et ideo « a sacris Canoni- « bus ad decorem Ecclesiarum et in desiccationem illegitimorum nata- « lium, tam sancte quam provide, inhibitum demonstratur quod ille- « gitime nati, absque dispensatione canonica ad... dignitates, per- « sonatus et officia... inhabiles habeantur ».[4]

5. - Maxima diligentia, invicta animi fortitudine Auditores usque invigilarunt adnisique sunt, ne unquam Rotae collegium et tribunal spuriorum labe contaminarentur. Recolit Gomez[5] institutum huiusmodi repellendi bastardos « *in nostro sacro Auditorio Rotae inviola-* « *biliter servatum fuisse* », et ex Nicolao Ubaldi, olim Rotae Auditore, refert, Philippum Tristani de Deciis qui mandatum ad Auditoratum habuerat ab Innocentio VIII, loco exclusum fuisse. Idem contigisse credo Iohanni de Candaco, electo ab Eugenio IV,[6] de quo legimus non probasse inter alia « se natum fuisse ex legitimis nuptiis ». Et denique etiam sub Leone XII, soeculo XIX, admodum laboriosa fuit admissio cuiusdam electi Auditoris de quo publice et voce et scriptis conclamitabatur in curia ex adulterino concubitu fuisse natum.

6. - Voluit denique Martinus eligendum in Auditorem non solum scientia et vitae puritate emicare, sed etiam tantum in bonis habere,

[1] Vol. II, pag. 70, n. 335; et Vol. III, pag. 203, n. 124.

[2] De Luca, *Relat. Rom. Cur. disc. 32, n. 29;* Lotter; *de Re benef. l. 1, q. I, apparat. n. 135 ssq.*

[3] Lotter, ibi.

[4] Greg. XI, *Constit.* « *Etsi a sacris* », 11 nov. 1374 (XX *Bullar. Rom.* edit. Taur. pag. 576). Huic Canonum dispositioni semper inhaesit S. R. Rota quae reprobans aequiparationem a nonnullis factam inter oblatum curiae Principis soecularis (qui ingrediens curiam efficiebatur legitimus) et ingredientem in religionem, tenuit, ingredientem in religionem ob vitae sanctimoniam in statu monachali purum reddi et dignum ut serviat Altissimo in ordine sacerdotali: attamen maculam in eo non abstergi ad effectum consequendi temporalia (*Recent. Decis. 73, nn. 6 et ssq. part. XVIII, t. I.*

[5] Loco prox. citat.

[6] Vol. II, pag. 74, n. 343.

quantum ei sufficeret ut in romana curia pro dignitate ordinis, congrue ac digne valeret substentari: ideo lex de 200 florenis qui eligendo in Auditorem provenire poterant vel ex fructibus patrimonialibus, vel ex ecclesiasticis beneficiis, pensionibus etc.

7. - Huic etiam martiniano praecepto semper satisfactum est: immediate et per aliquot tempora post ipsum Martinum, litteram illius observando ac ei pressius inhaerendo; alterum enim huius operis volumen si evolvas, invenies, complures electos Auditores petiisse secum dispensari a 200 florenis, uti, v. g., nn. 278, 283, 299, 302, etc.; serius autem ad novissimas usque tempestates, ob temporum vicissitudines, obque mutatos populorum mores ac variatum monetae valorem, illius spiritum servando; prae oculis semper praecipue habito, quod sufficientia reddituum tanta esset, ut nunquam Auditor egeret litigantium pecunia et ideo nunquam tentaretur ad iustitiam dandam venus.

8. – Unde stylus exortus est, Auditores Rotae nonnisi ex amplioribus nobilitate sanguinis et fortunae vi familiis seligere, quem stylum usque religiosissime servatum nulla scripta lege inniti compertum est; ita ut, quum quis cui nobilitas natalium deficeret in Auditorem Rotae eligeretur, vel nobilis creabatur a Papa,[1] vel certe nulla super hoc defectu dispensatio petebatur, uti accidit, v. g., cum Rpd. Ioanne de Petro, ceu fusius narro in vol. II, pag. 307, n. 658.

CAPUT XVII.

De nominatione Capellani Auditoris seu de Motuproprio.

1. - Quum - uti saepius retuli - nullus dari potuisset s. a. p. Auditor quin insimul Papae Capellanus fuisset, utrum una vel bina nominatione in creatione novi Auditoris usi fuerint romani Pontifices inquirere operae praetium est.

2. - Profecto in ipsis sacri tribunalis exordiis et postea usque fere ad soeculum XV quanam ratione quoad hoc se gesserint Papae historicis genuinis documentis neque firmari neque coniectura assequi potest.

3. - Siquidem soeculo XIII. et forte per primam medietatem soeculi XIV, quando maximi facta fuit Capellani dignitas ad quam Papae effusissima largitate utriusque çleri homines assumere consueve-

[1] Vol. II, pag. 294, n. 645.

runt, aeque fieri poterat quod quis, vel existens Capellanus deputaretur Auditor, vel uno eodemque tempore et Capellanus et Auditor crearetur.

4. - Quos ego textus novi nil certi colligendum suppeditarunt. Nec mirum: « capella enim Papae *de iure* scripturam non require« bat »;[1] non raro ideo electio in Capellanum viva dumtaxat voce a Papa perficiebatur.

5. - Profecto Capellanos Papa faciens, non sub « bullam, sed « dando eos recipi per Camerarium, « Camerarius », eis receptis per « dationem cappae et rocheti et birreti, eos in matricula inscribi facere « debebat inter alios ».[2]

6. - Ast, saltem soeculo XIV, inscriptionis in matricula Camerae non admodum satagendi videtur mos inolevisse: re sane vera, Gregorius XI anno VII pontificatus sui iussit « quod de cetero, littere « apostolice quorumcumque sedis apostolice Capellanorum, antequam « de registro restituerentur partibus, mitterentur per registratorem « domino Camerario... ut nomina et cognomina singulorum scribi « valerent in libris apostolice camere »;[3] et coram Auditoribus dubitatum est utrum « Capellanus papae deberet probare per bul« lam se receptum fuisse ad Capellaniam »;[4] cui dubio Aegidius Bellemera, referens praxim palatii, respondit, receptionem esse probandam per insciptionem in matricula Camerae, vel docendo de impedimento, « quo impediente, de dicta inscriptione fidem facere non pos« set » Capellanus.[5]

7. - Sed serius, uno eodemque tempore quemque assumi consuevit in Capellanum Papae et Auditorem s. a. p. causarum. Una enim cedula nominationis usi sunt Papae ex qua constaret sese talem in Capellanum et causarum Auditorem elegisse.

8. - Exarabatur cedula per officiarios Cancellariae ab electo, eaque regnanti Pontifici porrigebatur signanda in calce: et Papa eidem signaturam suam apponebat verbo: « *Placet* », addita initiali litera sui nominis, v. g. *E* seu *Eneas*, *I* seu *Iulianus*, etc.

9. - Imo, cum ab observantia apostolicarum constitutionum Rotae recedere tentari occeptum est, nempe sub fine soeculi XVII, ordinatum fuit ut antequam cedula collationis Auditoratus, Papae prae-

[1] BELLEMERA, Conclus. 610. De probationibus.
[2] Idem, l. c.
[3] Cf. vol. III, pag. 89 et ssq., § 90, n. 56.
[4] BELLEMERA, citat. Conclus. 610.
[5] Idem, l. c.

sentaretur, electus in Auditorem illius tenorem ostenderet Rotae Decano, cuius erat invigilare ne clausula « *servatis servandis* » ab ipso abfuisset. [1]

10. - Huiusmodi cedula, *chirographum* Pontificis appellata est: penes autem Auditores nostros, magis specifice *Motusproprii* nomine venit, nedum quia a verbis « *Motuproprio* » exordiebatur, sed praecipue quia liberam et liberalem Papae concessionem referebat. Concessio enim Auditoratus tam libera ac gratiosa voluntate Pontificis dari usque visa est, ut anthonomastice vocaretur *gratia Pontificis*. [2]

11. - Qualis fuerit Motusproprii tenor et forma, documenta quae publici iuris facio sub nn. 93, 114, 136, 169, 170, etc. mei tertii voluminis ostendunt. Heic indigitare sufficiat Motumproprium in papiro describi consuevisse, nisi Auditoratus concessio fieret per resignationem: quo in casu dabatur in forma bullae in pergamena, uti v. g. contigit in electione Iacobi de Matthiis-Emerix et aliorum.

12. - Illius tenor concessionem gratiae referebat, assumptionis scilicet electi in Capellanum et in s. p. a. causarum Auditorem.

13. - Ex qua duplici electione, duplex electo obligatio progignebatur; una videlicet erga apostolicam Cameram, vi cuius ipse cedulam Motusproprii in eadem Camera ostendere adigebatur ut in Capellanorum numero recipi posset per dationem cappae et birreti et rocheti ac inter alios in matricula inscribi fieret; altera erga Vice-Cancellarium in cuius manibus iuramentum praestandum erat ceteraque perficienda, de quibus et scripsi supra et mox fusius scripturus ero.

14. - Et reipsa in more positum fuit ut cedula Motusproprii concessionis Auditoratus et in Camera et in Cancellaria praesentaretur ab electis Auditoribus, quos et a Camerario in Capellanos per dationem cappae, rocheti et birreti recipi solemne fuit, et a Vice-Cancellario et Auditoribus in Auditores.

15. - Verum, ad tradita a Bonifacio de Vitalinis qui notarius apostolicae sedis cum esset, Auditoribus Rotae nihilominus scriptus fuit, soeculo XIV (quo facillime quis et collegio prothonotarium et Auditorum Rotae simul membrum esse poterat) iidem notarii si Capellani Auditores fierent, iurare in Camera *de iure* non teneri rati sunt. Scribit enim Bonifacius se, utpote notarium, non iurasse « quia

[1] ANSALDUS, Praephat. ad Decisiones.; Ct. vol. III, pag. 458, n. 381.
[2] Idem, ibi, l. c.; vol. III, ibi, l. c.

« Notarius est solus officialis qui non iurat, dum ceteri omnes iurare « debent » ipso incluso Vice-Cancellario. Et alte conqueritur, multos ex notariis qui fuerant in Capellanos et Auditores electi, iurasse in Camera, parvi pendentes ita dignitatem collegii. [1]

16. – Et, puto, optimo iure ita sentiisse Bonifacium; notarii enim apostolicae sedis, figuram iuridicam antiquorum imperialium tribunorum gesserunt qui a secretis Imperatoris fuerunt: quapropter Camerario, qui in curia Papae officio imperialis Praepositi Cubiculariorum fungebatur, eos dedecebat subdi. Deinde non immerito Bonifacius et ceteri notarii qui non iurarunt, renuerunt coram eo iuramentum praestare.

17. – Sed immerito prorsus thesim Bonifacii, exclusive in favorem prothonotariorum militantem, in medium protulit et Auditoribus Rotae non prothonotariis applicare conatus est soeculo XVII Petrus Otthoboni, dimicans contra clericos Camerae sibi praecedentiam super Auditoribus vindicantes, [2] longaevam illam controversiam fovens quae per soeculum et ultra exarsit quamque ipse romanus Pontifex compescere ordinatione sua, ne ulteriora venirent scandala, coactus fuit. Praetendebant Auditores Rotae uni Decano ius competere novo Auditori rochettum imponere, ius Camerarii negantes, idque appellantes usurpationem; Camera, e contra, eo processit ut sibi vindicaret non tantum ius Auditores in Capellanos recipiendi et inter Capellanos inscribendi, sed absolute eos immittendi in possessionem ipsius auditoratus. Iusti rectique fines citra, utraque pars concesserat, et optime Pontifex decrevit res eo in statu esse servandas in quo iure et plurium soeculorum observantia fuerant collocatae. [3] Ita quidem mos recipiendi a Camerario rochettum eoque coram iurandi, ad Rotae usque novissimum Auditorem, ante ann. 1870 electum, servatus est.

18. – Camera autem testimonium emissi iuramenti Rotae tradebat. [4]

19. – Quomodo autem ceoremonia huiusmodi novissimis Rotae temporibus evolveretur, colligitur ex citato « *Regolamento pel noviziato « degli Uditori della S. R. Rota* »: [5] « La mattina di mercoledì Mon-

[1] Vol. III, pag. 359, n. 223.

[2] ARCH. ROT., *Diaria;* Vol. III, pag. 359, n. 223; pag. 369, n. 236; pag. 443-444, n. 351; pag. 444, n. 353, etc.

[3] ARCH. ROT., *Diaria.*

[4] Vol. III, pag. 131, n. 77; pag. 136, n. 83.

[5] Ibi, pag. 662 et ssq., n. 566, pag. 680: hoc *Regolamento* res usque ad 20 sept. 1870 moderatae sunt.

« signor Novizio si porterà dall'Emo Sig. Cardinale Camerlengo di « S. R. Chiesa e lo pregherà acciò si degni dargli il Rocchetto nel « prossimo venerdì, e se mai in detto giorno non vi sarà Camera, « allora Mons. Novizio pregherà il sullodato Porporato affinchè si com- « piaccia farla intimare... Il venerdì, o il lunedì, come si è detto, « secondo l'ora dell'intimo dato dall'Emo Sig. Card. Camerlengo, « si andrà in Camera, oppure al palazzo di detto Emo, e si tratterrà « fino a che non si è radunata la Camera; la quale radunatasi, ed « introdotto Mons. Novizio gli sarà messo il Rocchetto e cappa (che « Mons. novizio farà trovare ivi preparata). Quindi presterà il giu- « ramento. Terminato tutto ciò passerà in Rota accompagnato dal « Notaro, il quale farà fede al sagro Tribunale che Mons. Novizio « ha prestato giuramento nelle debite forme. Appena giunto in Rota « sarà dal Bidello introdotto nella Camera della giudicatura, accom- « pagnato... dal Notaro il quale dopo che avrà fatto fede che « Mons. Novizio ha prestato il giuramento, se ne partirà.... N. B. Se « il giuramento si prestasse in casa dell'Emo Camerlengo... allora « Mons. Novizio servirà di carrozza il Notaro, tanto per accedere al « Palazzo suddetto, quanto per andare a fare la relazione al Tribu- « nale.,.. Propine che si pagano la mattina che prende il Rocchetto: « Alla sala etc. ». In totum scutata 28, 30.[1]

20. - Num usque ita res gestae fuerint, mihi ex documentis quae novi non constat: ast sub Nicolao V, anno 1447, Camerarius in scriptis testimonium reddidit de iuramento in forma Camerae coram se praestito ab Ludovico de Ludovisiis.[2]

21. - Profecto inscriptio inter Capellanos in matricula Camerae ad id tantum non erat ut reipsa de huius vel illius vera electione in Capellanum, deque Capellanorum numero constaret. Iure enim civili cautum erat, ne ambitioni officiorum ordines pervertendi ordinumque fastigia ab indignis adipiscendi linqueretur occasio, matriculam esse, eaque procedente ad altiora homines evecturos fore. Ac insuper Papa, pontificii aerarii exigentia expostulante, Capellanis non omnibus statuerat stipendia praebere: hinc isti in Capellanos *de numero* et in *supranumerarios* distingui consueverunt: illi, quibus stipendia annua solvebantur, et erant inter ceteros seniores, numeroque certo praefiniti: isti, vero, quibus nullum competebat stipendium, ad quod percipiendum nonnisi antianitate admittebantur quum aliquem locum Capellanorum *de numero* vacare contigisset.

[1] Vol. III, pag. 662 et ssq., n. 566, in fine.
[2] Ibi, pag. 131, n. 77.

22. -- Ad haec duo, credo, Auditores nostros primis Auditorum temporibus in matricula Camerae fuisse inscriptos: soeculo XV, et posterioribus soeculis, tantummodo ad stipendium percipiendum: nam cum tunc simul eodemque tempore et Cappellani fierent et Auditores causarum s. p. a., una eademque erat eis antianitas, et ideo illius si ratio in promotionibus haberetur (quod tamen documentis non scatet) Auditoris potius quam Capellani antianitas considerabatur, quippe quia nobilius erat Auditoris officio Capellani.

23. – Sed quidquid fuerit de effectu matriculae cameralis quoad promotiones Auditorum nostrorum, hoc certum est, quidquid stipendii impertiti fuerunt Papae Auditoribus Rotae hoc usque per Camerarium impertitos fuisse. Deinde eis Camerarius prandium in aedibus residentiae papalis intra octedium a solemniis ss. AA. Petri et Pauli praebuit ad annum usque 1694, quo Innocentius XII « quodammodo « in reintegrationem prandii ablati fecit Auditoribus consignari duo « numismata, alterum aureum, alterum argenteum quae domi unius- « cuiusque fuerunt delata », [1] quaeque postea quotannis eis praeberi non fuit praetermissum. Huiusmodi prandium, antequam a Benedicto XII Auditores perpetui commensales renunciati essent, fuerit necne eis praebitum, documentis quae sum rimatus non edoceor: ast adiunctum hoc mihi tanti esse ponderis visum non est, ut de illo ulteriores perficerem indagines, aliisque non linquerem illud adamussim definiendi voluptatem.

24. – Item Camerarius annuum stipendium Auditoribus numerabat, ab Innocentio VI in scutatis 3000 annuis [2] definitum, et postea a Gregorio XIV, anno 1591 auctum ad annua scutata 6600. [3] Et penes unum ex substitutis A. C. sportulae et ceteri proventus tribunalis s. Rotae deponendi erant (prouti Rota statuit); quapropter ille appellatione veniebat *Depositario sacrae Rotae* (de quo saepius in *Diariis* fit mentio), a quo certis anni temporibus depositarum pecuniarum distributio Auditoribus fiebat. [4]

25. – Denique testatur Gomez, [5] antiquitus Camerarium fuisse unum iudicem Auditorum, illumque solum Auditores excommunicare potuisse « ut sunt - ait ipse - de hoc penes me plures Cancellariae « antiquae tam Gregorii XI quam Benedicti XII (?): quae omnia postea

[1] Arch. Rot. *Liber S. Rotae, 2,* pag. 9.
[2] Moroni, Diz. v. *Uditori di Rota*, pag. 229, col. I.
[3] Vol. II, Gregor. XIV, pag. 119.
[4] Arch. Rot. *Liber S. Rotae, 4*, pag. 389.
[5] *Proëm. ad Regul. Cancell.* char. 3.

« fuerunt per Innocentium et Sixtum immutata ». Ast puto haec omnia fuisse immutata a Martino V, qui anno 1418 statuit correctionem Auditorum esse per Vice-Cancellarium faciendam. [1] Nisi tamen iussa Martini exsecutioni demandata illico non fuerint, quod mirum quidem haud esset.

26. – Hae Auditores inter et apost. Cameram consuetudines intercesserunt, quas heic consulto volui in unum collectas exponere, ne inferius ordo narrationis perturbetur. Et ideo non animadvertere praetereram, anno 1850, cum, attentis illorum turbolentorum temporum adiunctis, Pius IX « in sequela delle sue sovrane disposizioni emanate « per organo dell'Emo Vice-Cancelliere di S. Chiesa col dispaccio « dell'8 febbraio 1847 » plura innovaverit eorum quae a Novizio Auditore peragenda erant antequam ad auditoratum admitteretur, nil fuisse immutatum « quanto alla concessione e ricevimento del Rocchetto ». [2]

27. – Verum eo redeuntes a quo digressi sumus, in vim Motus-proprii concessionis Auditoratus novi electi Auditores Vice-Cancellario subdebantur, nedum quia coram eo iurare debebant ad formam statutorum Iohannis XXII, nedum quia ab ipso utpote omnium iudicum capite dependebant, sed, post a Martino V latas constitutiones anni 1418 et 1424, ab eo immitti in possessionem officii Auditoratus et, si casus ferret, corrigi debebant.

28. – Profecto quum praefatae Martini V constitutiones antiquissima iuris sui Auditores in officium immittendi in eosque poenis animadvertendi possessione Camerarius spoliabatur, concessum ius Vice-Cancellario sine lucta exsequi non potuisse videtur: revera, Gomez, rem perfecisse Sixtum IV et Innocentium VIII testatur.

29. – Persuasum tamen est post Martinum V Papas consuevisse Vice-Cancellario mandare et committere exsecutionem Motusproprii concessionis Auditoratus, ita ut eidem onus incumberet consortio et collegio Auditorum noviter electos aggregandi et recipi faciendi, [3] facta eidem Vice-Cancellario facultate poenis animadvertendi in Auditores si Papae mandato irrationabiliter restitissent. [4]

30. – Ast, forte ob excitatas innumeras luctas ab Roderigo Borgia per id longissimi temporis quo Vice-Cancellarium egit (de queis vestigia in documentis manent) sensim sine sensu factum fuit ut cumulativa effecta fuerit facultas Vice-Cancellarii cum Decano et Audito-

[1] Cfr. vol. III, pag. 98, ssq., n. 61.
[2] Ibi, pag. 658, n. 562.
[3] Ibi, pag. 136, n. 82; pag. 162, n. 93, etc.
[4] Ibi, l. c.

ribus Rotae: proindeque hinc a soeculo XVI non uni Vice-Cancellario, sed et Rotae Decano ac Auditoribus committebatur exsecutio Motusproprii: quod postea usque servatum est, ceu Motusproprii qui in archivio Rotae in processibus Auditorum servantur liquido comprobant.

31. – Haec quas huc usque retuli Motusproprii concessionis Auditoratus notae praecipuae fuerunt, saltem hinc a pontificatu Martini V. Attamen postquam praefinitum mansit Adiutorum numerus et nullus amplius ultra duodecimum Auditor admissus est, textui Motusproprii inseri coeptum est in quem locum praecise quis admitteretur et cuinam successor existeret. Non raro insuper Papae delectati sunt specialium aliquorum in honorem electi redundantium memini;[1] semper vero clausulam « *servatis servandis* » inibi insertam voluerunt.[2] Erecto autem a s. m. Pio V collegio Ghislerio per aliquot annos post, Motusproprii tenori clausulae insertae sunt privilegia eidem a Pio V concessa praeservantes.[3]

CAPUT XVIII.

De Novitiatu electi Auditoris.

1. – Electo per Motuproprium Capellano causarum s. p. a. Auditore, ne martiniana lex de adiunctis, necessario requirendis in eligendo – ceu omnium meliorum legum ut plurimum contigere solet – in multis mortua maneret litera, Martinus V in eadem sua constitutione eam validioribus munivit praesidiis, statuens:

2. – *a*) « quodque, postquam fuerit concessum per Papam ali-
« quem in Auditorem causarum dicti palatii admitti, antequam ulte-
« rius ad ipsius admissionem procedatur, Decanus Auditorum prae-
« dictorum de praemissis facere teneatur inquisitionem diligentem,
« et quidquid per eam repererit, fideliter referat Vice-cancellario
« praedicto, qui hoc similiter Papae exponere teneatur; quod, si
« aliquid de praemissis defuerit, ad ipsius admissionem minime pro-
« cedatur, nisi aliud mandaret Papa antedictus.

b) « Si vero per informationem huiusmodi, ipsum constiterit famo-
« sum doctorem, aliaque praemissa fore vera, idem Vice-cancellarius
« vocatis quatuor ex dictis Auditoribus, si canonistam, decretalem,
« si vero legista fuerit, legem, quam infra unius mensis spatium a

[1] Vol. II, n. 388, pag. 93.
[2] Vol. III, pag. 458, n. 381.
[3] Ibi, pag. 309, n. 170.

« die sibi assignata computandum in dicti Vice-cancellarii aut Lo-
« cumtenentis praesentia (et ad hoc vocatis omnibus dictae sedis
« Notariis, et praedictis Auditoribus et Consistorialibus Advocatis
« tunc in eadem Curia praesentibus, invitatis ad id etiam Praelatis
« et aliis famosis et litteratis viris qui tunc in eadem Curia extite-
« rint) repetere teneatur, et singulos qui arguere voluerint, idem
« repetens audire teneatur; quodque quatuor ultimi ex Auditoribus,
« quatuor ultimi ex Advocatis praedictis, tunc praesentes, arguere
« sint adstricti. Quod si idem repetens in huiusmodi repetitione taliter
« se habuerit, quod sit merito commendatus, dictus Vice-cancellarius
« secundum relationem maioris partis Notariorum, et Auditorum ac
« Advocatorum praedictorum ad eius admissionem in Auditorem
« ulterius procedat; si vero, secundum relationem praedictam, reper-
« tus fuerit diminutae scientiae, vel iudicii, relatione super hoc per
« dictum Vice-cancellarium Papae facta, ab huiusmodi admissione
« repellatur ».

3. – Quanti fuerint momenti, quantaque religione iussa huiusmodi exsecutioni demandata fuerint, lector noscat ex docta praefatione quam Rpd. Ansaldus de Ansaldis suis decisionibus, praelo impressis, praeposuit. Hanc ego ad verbum heic excriptam volo (suppressis tamen quae pressius ad rem non faciunt); nedum quia difficile decisiones Ansaldi haberi possunt, sed praecipue quia doctissimus Auditor omnia legibus inniti ostendit, omniaque legibus et iuribus illustrat.

4. – Et ne quid ad rerum plenam cognitionem deficiat, meum erit in notis huc illuc, ea addere vel animadvertere quae Ansaldus vel omisit vel minus exacte retulit, addens in fine quaenam mutationes et quando narratis rebus inductae sint.

5. – Verba igitur cedamus Ansaldo: « 21. Cum ... succedit nominatio vel collatio huius Officii Auditoratus, Candidatus illico in primis humillime in gratiarum actionem deosculatur Pedes Sanctissimi pro tempore Regnantis, deindeque beneficentiam Papae in sui creatione, seu electionem reportatam obsequenter, ac personaliter denunciat singulis Auditoribus in Curia existentibus eorum Domum accedendo, a quibus benigne excipitur, et pro prima vice prolixius associatur, retenta tamen per eosdem Auditores superioritate loci tam in incedendo, quam in sedendo, nisi noviter electus fuerit Praelatus, quia tunc recipitur a dexteris, ut etiam observavit Card. De Luca, *in eodem disc.* 32.

6. – « Hoc medio tempore, sive paulo post subsignationem Motusproprii factam a Papa, candidatus invisit cunctos S. R. E.

Cardinales in Urbe degentes, tamquam primarios Senatores et Consiliarios eiusdem Papae; eisdemque pariter exponit Pontificiam in sui creatione largitatem, eodem modo, quo practicant assumpti ad Episcopatus. Potissime autem accedit ad palatium D. Cardinalis pro tempore Vice-Cancellarii, coram quo ex praescripto memoratae Bullae Sixti IV [1] utrumque examen, ut praemisimus, subeundum est, et hic in calce eiusdem Motusproprii notat diem sibi factae praesentationis. [2]

7. – « Insistitur deinceps ac pariformiter personaliter apud singulos Auditores, quibus oculariter ostenditur et circumfertur supradictus Motusproprius Sanctissimi, [3] ad hoc, ut in sequenti Rota [4] recognoscere dignentur ac exsecutioni demandare eumdem Motum-

[1] Nempe: *Romani Pontificis,* anni 1472. Sed antea hoc praeceperat Martinus V' in bulla superius citata *In apostolicae,* anni 1418.

[2] In Rota vulgo appellabatur: *la presentata,* Vice-Cancellarii datae et subscriptionis appositio (*Diaria*).

[3] Ostensio Motusproprii singulis Auditoribus fieri debebat a Novitio personaliter: huic stylo ita adhaesit Rota, ut anno 1690, quo « die 21 maii denunciatus fuit « Auditor Rotae Ferrarien. Aeneas Pius a Sabaudia », cum iste podagra impeditus, « in Rota habita die 29 eiusdem mensis insteterit mediante organo Rm̃i Decani ut « admitteretur Motusproprius etiamsi illum in die Informationis non circumtulisset « aliis Auditoribus, ... Rota credidit non fuisse sufficientem exhibitionem ... factam « a Rm̃o Decano » ; et Motusproprius non admisit nisi postquam Pius per suum a Studiis Adiutorem illum ostenderat unicuique ex Auditoribus. Cavallerinius qui haec in suo *Diario* adnotat, animadvertit (sub die 5 iunii illius anni) Rotam ita egisse « non solum ad servandum stylum, sed etiam ne Rm̃us Decanus aliquod « ius supra caeteros sibi arrogasset ».

[4] Visitatio Auditoribus peragenda erat diebus rotalibus: generatim mos iste sancte servatus est; sed sub fine soeculi xvii, quando iam periodus decadentiae etiam Rotae advenire occeperat, a rigore huius styli recessum est. Narrat enim Cavallerinius in suo *Diario* sub dato mense novembri 1689: « In admissione mei « et Rpd. Prioli, Auditoris Veneti, temperatus est rigorosus stylus visitandi Audi« tores Rotae in illis praecisis diebus in quibus fit Informatio, et faciendi disputa« tiones, tam publicas, quam privatas, talibus determinatis temporibus, prout man« datur in nostra *Instructione* ». (Hanc videas in vol. III, sub n. 381, pag. 458 ssq.). Quinimmo insequenti soeculo xviii, et praecise anno 1764, Rotae Auditores qui undique certa indicia videbant non longinquae ruinae in quam vetus rerum ordo ruiturus brevi foret, decreverunt novos Auditores dispensare ab instantiis, si quando ipse infirmitate laboraret et infirmitate durante. *Humanum esse* noverunt, *novum electum et candidatum ab iis instantiis liberare quae personales non essent.* - Decretum latum fuit sub die 10 dec. et est insequentis tenoris, videlicet: « Cum « hisce ultimis temporibus non infrequenter acciderit novos electos Auditores impe« diri adversa valetudine, ne actus necessarios conficiant, cogique ut veniam implo« rent, Domini censuerunt ut iidem donec convalescant, liberari possint, petita « venia, ab iis instantiis quae personales non sunt. Quoad eas vero quae coram « fieri debent indigentque eorum praesentia, differri debeant ad tempus omnino « recuperatae sanitatis. Huiusmodi esse relationes ad Summum Pontificem, Rece« ptiones thesium a Card. Vice-Cancellario, earum exhibitionem in pleno tribunali, « experimentum earum defensionis apud tertium ex postremis Auditoribus, utras« que disputationes habendas et publice in Aula Magna Cancellariae et privatim,

proprium; specialiter autem supplicatur Decano, ut illi placeat ipsum Motumproprium exhibere in Rota, qua terminata expostulatur oraculum ab eodem Decano circa admissionem sive exsecutionem praefati Motusproprii, et accepto exoptato affirmativo responso, electus audire solet quod incedat ad grates rependendas singulis Auditoribus.[1]

8. – « Et quoniam Rota, quae antiquitus coadunabatur ter in hebdomada, coepit ... tantummodo bis celebrari de ordine Clementis VII ....., [2] incontinenti Candidatus ante subsequentem coadunationem Rotae penes singulos Auditores exorat, ut eligantur sive mittantur bini Auditores pro facienda relatione Sanctitati Suae super admissione, sive exsecutione (caeteroquin semper de Iure, ea, qua par est, veneratione debita erga Motusproprios et mandata Supremi Principis), cumque regulariter praeeligi assueverint duo novissimi Auditores, accepto pariter responso a D. Decano super illorum praeelectione, repetitur officium gratiarum cum omnibus Auditoribus, et hac occasione auscultat a praedictis binis deputatis qua die, qua hora libeat accersere Pontificis Audientiam, eademque stabilita, cum propria quadriga seu curru accedit ad aedes novissimi Auditoris et deinde ad penultimum, et in proprio pariformiter curru, aliis praedictorum Auditorum concomitantibus, ad Vaticanum vel Quirinale Palatium iter assumitur, congruente pariter quod novitius sive admittendus exhibeat hanc officiositatem servata schala honorificentiae ab ultimo ad penultimum, ut decet in omnibus ritibus et praecedentiis ...

« praestationem iuramenti, oris clausuram eiusque aperitionem. Ut autem hac de « re ferri certa lex posset, sequens decretum edendum subscribendumque existi- « marunt. Datum ... hac die 10 dec. 1761 » (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 650-651). Puto per errorem in decreti tenore verbum *sequens* positum fuisse, loco vocis: *praesens*.

[1] Praesentatione Motusproprii, Decano facta, Auditorum matriculae veluti inscriptio fiebat, ita ut a die praesentationis Motusproprii dimetita usque fuerit uniuscuiusque Auditoris antianitas et solutae fuerint controversiae super antianitate si quando contigerit duos simul novos Auditores recipi. Ita, v. g., « in Rota diei « veneris 9 iunii 1724 (qua) fuerunt exhibiti processus iam compilati Rpd. Gentilotti « et Rpd. Cornelii ... actum fuit de vociferata inter praedictos Candidatos (seu Novi- « tios) futura contentione super praecedentia, ex eo causam sumente, quod etsi « d. Gentilottus Motumproprium longe prius praesentaverit, cum tamen superventa « Sede vacante (conclave Benedicti XIII) evenerit quod processus utriusque con- « temporanee fuerit terminatus, iam inde fiet, quod d. Cornelius aliquas functiones « pro admissione prius terminabit, quia idem tamquam Praelatus non debet insu- « mere tempus pro defensione causae in Rota, prout fieri debet a d. Gentilotto; sed « quidquid de iure dicendum foret, Domini dixerunt, praecedentiam quocumque « casu deberi eidem Gentilotto ex praxi et stylo nostri Auditorii, qui in his prae- « cisis terminis inolevit, iuxta exempla inferius registranda, quemque ideo firmiter « decet esse mansurum » (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 264-265).

[2] Vol. III, pag. 264, n. 151.

9. – « Diximus *ad Vaticanum seu Quirinale Palatium*, nam utrobique pro temporum diversitate solent commorari Pontifices ...

10. – « Praetereundum quoque hac occasione non est, quod, dum praefati bini Auditores, deputati, a Praefecto Cubiculi Sanctitatis Suae introducuntur in Aulam interiorem, ut soli adeant Pontificem pro facienda solita relatione, novitius seu candidatus remanet in Aula magis exteriori, vulgo *Anticamera*, ad instar eorum, quae per Senatum Romanum practicabantur cum Tribunis, qui licet ad alios effectus adstarent, quando per eundem Senatum publica negocia seu leges disserebantur, Curiam tamen non intrabant, sed in illius vestibulo Senatus expectabant oracula.

11. – « Redit postmodum, facta iam relatione Sanctissimo, idem candidatus vel cum praedictis binis Auditoribus, vel unusquisque seorsim abit, prout voluntas vel necessitas eorundem duorum Auditorum insinuat. Pro sequenti vero Rota novitius, accedendo iterum ad domum Auditorum, deprecatur eos qui allocuti sunt Papam ut Collegio referant responsum sive placitum Principis, reliquos vero interpellat ut dignentur, pro faciliori progressu ad ulteriora, huiusmodi relationem audire in proxima successive Rota, et dein a Decano accepta favorabili responsione, versus singulos Auditores iteratur actio gratiarum; ad quem effectum semper seligitur dies, qua Auditores auscultant oretenus patronos et advocatos causarum, haecque regulariter solet esse dies *Mercurii* vel *Sabbathi*, cum non expediat publicae utilitati, ut in aliis horis vel diebus a necessaria quiete vel a studio imminente distrahantur ...

12. – « Revertitur, post praemissa, noviter electus ad domum singulorum Auditorum pro ineunda instantia efformationis Processus praescripti a Constitutionibus apostolicis, et annuente petitis Auditorio, nova rursus subintrat obligatio gratiarum actionis. Inchoatur itaque Processus, inter cetera exquirens testimonium quod electus, ultra eximiam morum integritatem ac honestatem natalium, fruatur... annuo redditu florenorum bis centum auri de Camera, quae de tempore editae primae Constitutionis sive illius saeculi magis pauperis vel magis frugalis aliunde suppetere videbantur congruae substentationi, ad instar legum Solonis, qui contentabatur censu consimili, teste Aristotile... nec non Plutarco ...; ut ita effugiatur illud tale quale periculum in recta administratione iustitiae, quod in pauperibus iudicibus animadverterunt Tiraquell. ..., Borell. ..., Mastrill. ..., Carol. Petra ... et in specie Lotter ...

13. – « Rursus iustificari debet Clericatus, [1] ac etiam solemnis Doctoratus in aliqua publica et famosa Universitate conquisitus, eo modo quo exigitur in Episcopis promovendis, quapropter non satis est sese fuisse ab aliqua Universitate Licentiatum, etsi forsan ad alios effectus haberi consueverit pro aequipollenti ...

14. – « Terminus compilationi huiusce Processus statutus, est trium mensium, intra quem non desinunt interpolatim infra decem et quindecim dies candidati frequentare seu invisere singulos Auditores, idemque terminus extitit necessario stabilitus, quia cum plures, ut diximus, assumantur ad officium Auditoratus de provinciis ultramontanis, operae pretium erat, ut dilatio ac tempus verisimile ad parandas exhibendasque iustificationes benigne concederetur ...

15. – « Excipiuntur ab hoc termino Sacrae Consistorialis Aulae advocati, nam ubi eorum aliquis ad hoc officium elevetur, satis est spatium duorum mensium pro constructione Processus : cum etenim ii antequam in eorum cathalogo adscribantur, transeant sub alio processu, nedum acilius habent in promptu plerasque iustificationes, sed tanquam alias pro praedicto munere adprobati, minori videntur indigere discussione ...

16. – « Huiusmodi itaque termino defluxo, noviter electus singulos Auditores invisit pro efflagitanda clausura eiusdem Processus, eaque subsequuta, grates ante Rotam successivam, ut supra, rependit, iterumque postmodum instat pro relatione facienda Summo Pontifici eligendisque ad hunc effectum Commissariis qui deinceps in altera Rota deputantur, et solent esse iidem novissimus et penultimus, reddendo sub eadem deinceps formula actiones gratiarum, quodque practicatur circa caeremonialia in primo accessu ad Sanctissimum practicatur quoque in hoc secundo : inutilis autem non est, immo substantialissima haec relatio Principi facienda, non solum quia decet semper atque oportet eumdem Principem informare eiusque approbationem requirere in creatione tantorum officialium S. Sedis, sed etiam quia quandoque, licet de raro, evenire potest quod vitium aliquod in electo reperiatur aut circa morum vel generis honestatem, aut circa praecisa natalia; cum enim omnino liceat, et ad hunc effectum fabricetur processus, disceptare de electione ad magistratum facta per Principem ...

[1] Clericatus aperta iustificatio, moribus inducta est, non autem Martini V lege, cuius tenorem supra audivimus et legere est in III huius mei operis volumine, pag. 99, § 14. Quandonam vero mos incoeperit satis non constat. Siquidem aperta clericatus probatio non scatet ex antiquioribus processibus in archivio rotali asservatis, cum illi tantummodo constent dictis testium; si quid igitur eliceret quis ex , male prorsus et sine fundamento concluderet.

17. - « Casus de facto non semel praebuit, quod alias oportuerit, detecta macula natalium praecipue circa legitimitatem, certiorem efficere Papam, ut ad normam Constitutionum ac Iuris... dignetur abiicere electum, sicuti usque de tempore Pauli II in quodam accidisse et similiter in persona Philippi Decii, caeteroquin doctissimi, testatur Sarnen... et usque ad resistendum ea, qua par erat, constantia ac reverentia admissioni volitae per Sixtum IV de persona cuiusdam Antonii de Parma, deinceps ob id reprobati demonstrat Lotter..., Theodos..., Card. De Luca ... [1]

18. – « Expleta igitur relatione, rursus accedendo ad aedes singulorum Auditorum exorat novitius, ut velint audire relationem praefatorum Deputatorum in sequenti Rota; qua postmodum completa aliove non obsistente, gratiarum repetitio renovatur, deindeque pariter in succedente alia Rota eodem modo rogantur singuli ut eis destinare libeat diem subeundae publicae disputationis in Palatio Cancellariae cum praeventiva punctorum assignatione; sed prius mos est iniungendi quod, ubi electus non sit Praelatus aut Sacrae Consistorialis Aulae advocatus, subeat alicuius causae patrocinium, quae ei per Decanum pro tempore assignatur ... [2]

19. – « Et quidem laudabiliter hoc observatur, cum non foret honestum aliquem exponi publicis disputationibus qui Fori practicae, in quo debet iudicare, non foret ullo modo compos, vel saltem oretenus et

[1] Huius facti vestigium nullum reperii in libro *Admissiones*. De Philippo Tristani de Deciis aliquid innuit copia simplex dati illi Motusproprii quae non sub Sixto IV, sed sub Innocentio VIII, recte in *Admissiones* posita fuit: recte, inquam, cum in ipsa cedula fassus fuerit Philippus: « Haec est copia mandati quod signa- « tum fuit ab Innocentio VIII die 2 octobris 1486, et ita signatum mihi illud tradidit « Ascanius Cardinalis dum exiret de Palatio, Romae ». Manet autem uber probatio constantiae qua Auditores restiterunt Sixto IV contra admissionem Francisci Brevi, de quo testes processus reum plurium fuisse attestati sunt. Sed de hoc scribo in altero huius operis volumine, n. 335, pag. 70-71, et documenta in lucem edo in vol. III sub n. 124, pag. 203 et sqq.

[2] Innumeris testimoniis res firmari posset, cum centies in *Diariis* adnotatum reperiatur, hunc vel illum Novitium tamquam advocatum Rotam informasse. Sed ad operis ornamentum heic exscribam e *Diario* Celsi adnotationem informationis factae a Taia, Novitio. « In hac Rota (5 oct. 1557) instetit d. Taius ut sibi assignaretur « punctus, ac quia solitum electorum est quod si non sunt Praelati vel exercuerunt « Advocatum, debeat Auditor, de novo electus, scribere et informare in aliqua « causa, ideo facta omni diligentia, quia non aderant causae proponendae, fuit « resolutum quod proponeretur aliqua causa iam proposita et resoluta absque eo « quod id notificaretur eidem Taio ». - « Die veneris 12 octobr. 1657... Fuit in hac « Rota proposita causa *Placentina - Bonorum* coram Rpd. Cerro, ad hoc ut in illa « scriberet et informaret d. Taius, prout fecit; nec ipse scivit quod causa alias fuerit « proposita et quod propositio esset fictitia ». - Haec fictitia propositio saepius *Diariis* refertur contigisse in hoc novitiatus Auditorum adiuncto.

in scriptis informando non ostenderet capacitatem practice iudicandi ; ex simplici namque Doctoratu non infertur ad effectivam doctrinam ... ; et ideo ex modo patrocinandi melius praecognoscitur activitas iudicandi ...

20. - « Quindecim dierum circiter intervallum de stylo requiritur et consumitur in huiusmodi experimentali patrocinio ...

21. - « Perfecto huiusmodi experimento patrocinii, assignatur dies habendae disputationis in Palatio Cancellariae et seligitur regulariter ille *Martis* aut alter, qui non existat affectus rotalibus occupationibus, et in Rota iniungitur Auditori penultimo ut punctum (quod est circa aliquem *Textum Canonicum*) assignet novitio, [1] curando semper ut ab ipsa die assignationis ad illam disputationis currat spatium integri mensis, ut ita facilius idem novitius qui plures etiam interim (ut mox dicemus) servare compellitur solemnitates et ritus, fruatur sufficienti intervallo pro subeundo hoc quodammodo athletico certamine ... [2]

22. - « Verum assignatio praefati puncti non fit a penultimo Auditore alibi quam coram D. Cardinali Vice-Cancellario; proindeque explorata prius hora magis opportuna ipsi D. Cardinali, ad eius aedes accedit novitius una cum novissimo ac penultimo Auditore, adhibita etiam caeremonia quae practicatur in accessu ad Summum Pontificem; consuevit autem praedictus D. Cardinalis solus ab initio ad Audientiam recipere binos Auditores, manente candidato in aula exteriore sive antecubiculo, ast post brevem alloquutionem iubet

[1] Revera CELSUS in suo *Diario* refert, sub die veneris 22 martii 1651: « In dicta « Rota fuit stabilita decretalis pro d. Zarate; sed cum pacto quod illi non deberet « notificari ».

[2] Heic ANSALDUS rem admodum exaggerat; suo enim tempore prophanis certamen athleticum videri poterat, non item profecto Rotae Auditoribus. Revera quum Ansaldus haec scribebat, iam erat hinc a longissimo tempore positum in more quod adnotabat in suo *Diario* CELSUS sub die 12 oct. 1657, inquiens: « Instetit « Taius ut decretalis sibi assignaretur in punctis, et ideo ad dictum effectum fue« runt electi duo ultimi Auditores... ut adirent Card. Cancellar., *licet talis accessus « sit pro forma, quia iam idem Auditor electus selegerat textum in cap. novit. « de iudic. ut fieri solet* ». - Equidem inducta praxis neque intentioni martinianae legis conveniens erat, cuius potius erat ludibrium, neque eamdem praxim insistebat soeculi XV et XVI quibus in Rotae Auditoribus seligendis et acceptandis attendebatur maxime eorum iuris eruditio, et remissive nobilitas natalium vel coniunctio sanguinis cum Papa regnante. Ast illis soeculis Rotae doctrina resplenduit Ludovici Romani, Panormitani, Phelini, Corsetti, Simonettae, Cassadori, Gomesii, Putei, Manticae, etc. (cfr. vol. II, pag. 39-40 et 81); insequentibus soeculis celsiorum gentium nominis splendore laetata quidem est, sed ultro posteritati attestari debuit se magna ex parte a Studiis Adiutorum doctrina fuisse substentatam (vol. II, n. 491, pag. 168-169) non autem Auditorum, quorum complures *per Breve* ex *gratia Papae* renunciati sunt doctores in iure utroque (vol. II, n. 592, pag. 255; n. 601, pag. 261; nn. 603, 604, pag. 262; n. 608, pag. 265; n. 611, pag. 266; n. 617, pag. 269-270, etc.).

D. Cardinalis introduci ipsum candidatum, qui flexis genibus super pulvinari coram eodem D. Cardinali binisque Auditoribus considentibus, recipit punctum a penultimo indicatum in Codice *Epistolarum Decretalium*, quae cura ipsius novitii ab eius domesticis afferuntur ad aedes D. Cardinalis, sed postea porriguntur illius Praefecto Cubiculo, qui eas exhibet candidato genuflexo, ut supra, deindeque functio terminatur cum brevi sessione etiam eiusdem candidati praecedenter deosculantis manus Eminentissimi, nec non benigna huius erga omnes associatione...

23. – « Post haec noviter electus invisendo Auditores illis denunciat punctum sibi destinatum, et ab eo decem successive depromit conclusiones contra communem prudentium opinionem easque personaliter et obsequenter exhibet in Rota; Auditores vero illas alicui dein ex ipsis delegant recognoscendas, factaque reductione ad septem, hae typis cuduntur, [1] sicque impressae humillime prius per novitium offeruntur Sanctissimo D. Nostro, indeque distribuuntur ultra Auditores etiam DD. S. R. E. Cardinalibus et demum Praelatis, advocatis, causarum patronis aliisque ad libitum eiusdem candidati: officialis denique seu minister tribunalis, vulgo *bidello*, curat ut a cursoribus eiusdem Sanctissimi D. Nostri huiusmodi conclusiones affigantur, nedum ad valvas DD. S. R. E. Cardinalium ac Auditorum, sed et in locis in quibus exponuntur Constitutiones et Proclamata Principis eiusque officialium ». [2]

[1] Sub die 17 mart. 1651 Celsus in suo *Diario* adnotavit: « In fine (Rotae) « d. Franciscus Zarate fuit admissus ad praesentandum suas conclusiones. Illi « d. Decanus respondit nonnulla verba. Post haec exivit, et inter Auditores fue« runt examinatae conclusiones illius et quia patiebantur difficultates, aliquot tan« tum ex illis fuerunt approbatae, reliquae vero reiectae, et fuit iniunctum mihi ut « deberem illas accomodare. Deinde iterum fuit ille admissus, et d. Decanus dixit « illi quod deberet adire me Angelum Celsum. Finita Rota omnes cum Rocchettis « iverunt ad S. Petrum ». – Inscribebantur theses, seu conclusiones, ex auctoritate eñi Vice-Cancellarii: ita ut anno 1763 cum locum habere debuissent publicae disputationes dominorum De Very, Giraud et Pergen, dubietas aliqua enata est quo titulo decorari debuisset Vice-Cancellarius quem agebat Dux Di Jork, nedum cardinalis sed et sanguine Princeps. Et Secretaria Status, Rotae Decano curante, theses inscribi voluit hisce verbis: « Ex auctoritate Celsissimi et Eñi Principis – « Henrici Benedicti – Episcopi Tusculani – S. R. E. Cardinalis et Vice-Cancellarii » (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 637).

[2] Quaenam fuerint Auditoris Studii hisce in adiunctis, vide in cap. XXI, 8, insequente. Heic addendum est, Clementem XIV anno 1770 iussisse, Auditores noviter electos debere aliquo temporis spatio ante publicas disputationes sibi constituere quod vocatum fuit Studium, nomina et cognomina Adiutoris et duorum Secretorum cum probationibus requisitorum Adiutoris Studii exhibendo Rotae Decano et collegio, uti narro in cap. XXI, 2, insequente. Num etiam antea opera Adiutoris in his usi fuerint Auditores, uti post latam Clementis XIV legem, mihi ex documentis exquisitum non est.

CAPUT XIX.

De disputationibus publicis et privatis.

1. – Prosequitur ibi Ansaldus: « Advento itaque publicae disputationis die, in Magna Cancellariae Aula cum honorabili interventu totius ferme Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium, concursu Praelatorum, necnon curialium, aliorumque, [1] candidatus indutus peculiari veste, quam nuncupant *Mantellone*, brevem praemittit orationem, in qua solet aliqua de semetipso circa studia anteacta vel gesta munera modeste disserere, laudes rependere Pontifici creatori ac etiam, si sit indigena, proprii Regis vel Principis [2]...; deindeque punctus explicatur substinenturque argumentationes trium ultimorum Rotae Auditorum et novissimi Advocati Consistorialis, qui super septima seu finali conclusione argumentatur, resque non caret operosa amaritudine, nam de stylo bina adversus quamlibet conclusionem efformantur per arguentes obiecta per viam syllogismi vel entymematis, et novitius debet omnia quatuor argumenta ordinate nullave mora interposita repetere cum *legibus* sive *textibus* allegatis atque dissolvere: solus autem senior ex tribus Auditoribus solutioni replicando, rursus

[1] Auditores Nationales non raro invitabant Ambassiatores suae nationis quibus in aula Cancellariae distincta et conspicua sedes parabatur, uti factum fuisse in publicis disputationibus Francisci de Retz, galli, anno 1828, adnotat in *Libro S. Rotae,* 4, Decanus, sub die 24 aprilis (pag. 252). Ast non edocet idem *Liber* per quemnam tunc temporis invitarentur. Nam cardinales invitabantur a Secretaria Status vel ab advocatis consistorialibus qui eos accedentes recipiebant et comitabantur, dum inconcusso usu Auditores Rotae solam in dicta functione praestabant patientiam (*Liber S. R.,* 2, pag. 324-325). - Petrus Otthobonus, Vice-Cancellarius. « conquerebatur de alienatione Auditorum Rotae ab ipsomet qui tamquam eorum « capite, si necessitudine coniuncti essent, futurum ut Rota multum compendii « fuisset acceptura, et quamplurima praeiudicia pariter ei irrogata essent ante- « versa; subdens praeterea, non leve huiusmodi ablienationis argumentum et « occasionem suppeditasse quod domini Auditores dedignarentur die qua novi « Auditores publicas propugnant conclusiones, cum primum omnia ad initium « sunt parata mittere aliquem de gremio ad eum invitandum et annunciandum « ad aulam magnam » (l. c.). Cardinali Auditores morem gerere abnuerunt, nolentes « mittere unum de gremio tamquam cursorem aut Bidellum ad officium prae- « dictum explendum » (ibi, l. c.).

[2] Otthobonus et Celsus adnotant in respective proprio *Diario* d. de Zarate adeo longas habuisse orationem et disputationes, ut ex adstantibus quamplures aulam deseruissent, et novissimus Auditor, oppletus confusione, argumentorum fuisset oblitus. (Cfr. *vol. III, pag. 380, n. 257*).

quatuor quoad primam et secundam conclusionem replicationes exorditur, quae pariter modo de quo supra repetendae veniunt et conflictandae: solutisque demum cunctis argumentis excitatis ab omnibus oppositoribus, functio cum brevissima gratiarum redditione terminatur, et deinceps sequenti die novae grates aguntur Auditoribus, et prout temporis angustia impartitur eiusdem gratitudinis officium rependitur DD. Cardinalibus ac aliquibus maioris praeeminentiae Praelatis, iuxta illam officiositatem qua abundant magnae civitates et Curiae...

2. – « Nec hic cessat labor candidati, nam iterum accedit ad aedes Auditorum illos ut eligant Commissarios pro facienda Papae relatione super anteactis disputationibus, replicato postmodum usu gratiarum; sequitur vero deputatio, accessus ad Principem, relatio in pleno Auditorio circa Audientiam habitam a Sanctissimo, cum nusquam suo loco intermissis officiis gratiarum. Hisque peractis, insistit electus pro statuenda die examinis secreti, a quo ... nemo, quantumvis plusquam notorie doctissimus, dispensatur, adeo ut memoria habeatur quod Faelinus,[1] qui per viginti annos cum omnium admiratione legerat Canones in publicis gymnasiis, de quibus postea tam praeclara reliquit Commentaria, nedum fuerit coactus huiusmodi examen subire, ut ipsemet refert..., sed et satisfacere usque ad sexaginta argumenta, quae excitavit ex opposito alter non minus famigeratus Canonista, tunc temporis Rotae Auditor, nempe Io. Antonius a S. Gregorio, communiter appellatus *Praepositus*...

3. – « Mos igitur est, quod dies destinandus pro hoc examine secreto intersecetur ab altera die publicae disputationis per intervallum quindecim dierum, istudque pariter examen secretum habetur in Palatio Cancellariae coram saepius laudato D. Cardinali Vice-Cancellario, et ad hunc effectum practicatur ad unguem super assignatione novi puncti quod fuit superius insinuatum respectu alterius puncti publicarum disputationum, adventoque tandem die eiusdem secreti examinis, electus eodem modo brevem habet orationem, explicat punctum, geritque alia quae explevit in eisdem publicis disputationibus, addito hoc solum (et istud Me in rei veritate summopere deterruit), quod singuli Auditores Rocchetto et Cappa magna superinduti, gerente interim electo eamdem *del Mantellone*, ad eorum libitum gradatim, scilicet a novissimo usque ad Reverendissimum Decanum, interrogant, arguunt contra candidatum, qui ita ex abrupto respondere compulsus undecim sciscitantibus sive arguentibus, de

[1] Sandeus, electus a Sixto IV. Cfr. vol. II, pag. 71, n. 339: cfr. etiam pag. 69, n. 331 eiusdem vol. II.

novo praebet specimen asperius propriae capacitatis et doctrinae, ad instar illius iterati experimenti de quo collaudant in antiquis Episcopum Capuanum ...

4. – « Meminimus *usque ad Decanum*, quia antiquior nostri Ordinis novissimo quidem loco interrogat electum, format argumenta ; sed novitius, facta solum interrogationis vel argumentorum repetitione, inquit se ob reverentiam tanti Viri a responsione abstinere. Dignatus est etiam meo tempore D. Cardinalis Vice-Cancellarius, nempe Eminentissimus Otthobonus, quandoque in ultimo functionis propria quaesita sive argumenta proponere candidato, sed is pariter obsequii causa et ea, qua decet, reverentia silet, posteaque discedens ab examine, colliguntur vota, ut plurimum approbativa, per manus novissimi Auditoris, ipsemetque D. Cardinalis Vice-Cancellarius primus est in ponendo suffragium in urna, qua postea revoluta, pronunciat approbationem ac tintinnabulum pulsando praecipit vocari Cancellariae custodem seu notarium, per cuius organum huiusmodi approbationem denunciat electo, qui Aulam rursus introeundo, nova brevissima oratione gratias rependit, amplexatur humiliter eumdem D. Cardinalem ac singulos Auditores, indeque emissa professione Fidei, iurat observare Constitutiones Tribunalis et signanter legit ultimam Sa. Mem. Urbani VIII super observatione secreti ...

5. – « Ab huiusmodi itaque momento substantialiter videtur electus effici Auditor, licet emolumenta sive stipendia Principis non capiat, nisi a die, quo legitur inscriptus in libro Cancellariae ... et ob id statim induit habitum Praelatitium coloris violacei, necnon sericum pilei cingulum eiusdem coloris, quae ad potissimum effectum administrationis iustitiae et exantlandi officium Papalis Cappellaniae requiruntur, ut mox dicemus.

6. – « In sequenti siquidem Rota deberet assumi illa linea, alba et externa vestis, quae communiter appellatur *il Rocchetto*, de manibus Reverendissimi Decani, una cum cappa, prout de iure comprobat Bonifacius de Vitalinis ... et conclamat Coccin. ..., sed nescitur qua ratione usus vel abusus irrepserit, quod D. Cardinalis Camerarius (serio tamen protestante Tribunali) tribuit ipse huiusmodi rocchettum in plena Camera, quando, sicuti cessarunt aliae formalitates, de quibus copulative per anteacta tempora innuit Gomex ..., debuisset et haec dationis rocchetti penitus cessare ; potissime cum antiquissimum hoc indultum gestandi rocchettum fuerit adeo amplificatum a Sa. me. Innocentio X eiusdem nostri Ordinis prius Auditore, ut vix haber. possit in toto Mundo Catholico coaequale privilegium ...

7. – « Verum in eadem sequenti Rota, post causas, in Aulam Rotalem introducitur electus, ibique flexis genibus repetit iuramentum, legitque signanter praefatam Bullam Sa. me. Urbani VIII, posteaque sedet ubi praecipit Decanus, qui ipsum admonendo sive adhortando brevibus verbis illi claudit os, sive silentium imponit, ad instar eorum quae sub Pythagorae tyrocinio erudite habentur annotata per Laert ..., et tunc secure incipit perfrui fructibus suorum Beneficiorum etiam residentialium, cum singulariter Auditores Rotae ab onere residentiae authoritate Pontificia sunt dispensati, ut habetur in praenominata Constitut. 13 Clementis VII et declaravit Rot. coram Sa. me. Alex. VIII eximio ipsius Rotae Auditore, atque ita servatur in praxi.

8. – « Praefata autem impositio silentii sive oris clausura practicatur ... ad effectum, ut interim novus electus adhuc revera Auditor tantum addiscat modum quo causae ac negocia proponuntur in Tribunali, qua maturitate examinentur, quave tandem doctrina ac iustitia resolvantur ...

9. – « Et quamvis non ita facile, iam effecti Rotae Auditores, velut semper in arduis occupatissimi, tempus absumant in officiositatibus inutilibus ac in associationibus et in Aulis ...

10. – « nihilominus quia adhuc novus Auditor habet os clausum, neque se negociis immiscet, hinc (nisi aliud D. Decano placuerit) illum in reditu finita Rota associare consuevit, quod et adimplet tam in itinere quam in reditu pro Rota subsequente, in qua idem novus Auditor, sedens cum cappa et rocchetto in Tribunali, impositum sibi silentium observat. In alia demum decurrente Rota practicatur hoc ipsum, excepto quod terminata causarum discussione, rursus D. Decanus breviter perorat et aperit os candidato, ut in posterum votum proferre valeat pronunciando finaliter illa verba: *Esto Auditor*. Successive tandem vel immediate, vel in horis pomeridianis una cum binis novissimis Auditoribus pro prima vice intromittitur, ope Praefecti Cubiculo Sanctitatis suae, ad Summi Pontificis Audientiam, sub ea peculiari circumstantia quod in vestibulo primae Aulae tam ipse quam bini Auditores illum introducentes induunt rocchettum et cappam magnam, et per reliqua cubicula sic induti transeuntes, Pontificiae exhibentur praesentiae, orantibus iisdem geminis Auditoribus ad hoc, ut Papa paternum ac principale placitum ac Benedictionem impartiatur ipsi novo Auditori pro illius in Cappellis servitio ... [1]

[1] Finita Rota qua os novo Auditori apertum erat, « ipso Auditore » dimisso, « (ceteri) omnes induti Rocchetto domum illius ibant ad obeunda consueta visita- « tionis officia ». (*Liber S. Rotae,* 2, pag. 272, et alibi saepius).

11. – « Hucusque progrediuntur solemnitates et ritus observandi per noviter creatum sive electum Auditorem, qui etiam post omnia haec, vel in die quoque aperitionis oris, mediante iam generali Commissione subrogatoria in locum antecessoris manu Sanctissimi signata, causas reassumit, propriumque nomen scribit in libro Rotae...; ab inde autem in nihilo, ut diximus, differt a caeteris Auditoribus, excepta praecedentia et sede, quam occupat novissimam ».

12. – Haec tradit Ansaldus in sua praefatione: haecque usque ad amussim gesta sunt, maximo Auditorum dispendio et labore: nam quot regalia, quot iura, quot taxae fuissent illis solvendae, fere nobis hodie incredibile videtur.[1]

13. – Attamen anno 1850 summus Pontifex iussit novitiatum novi Auditoris eo modo peragendum fore deinceps quo anno 1848 egerat Theodulphus Mertel: temporum vicissitudines ita faciendum expostularunt. Praecepit itaque Papa quod omnia fierent prouti antea solemne fuerat usque ad complementum processus seu inquisitionis. Hac peracta, seu clauso processu, Novitius Auditor accipiet e manu Vice-Cancellarii iuris canonici punctum ac super eo brevem exarabit tractatum quem scriptis consignabit. Deinde congregato penes eumdem Vice-Cancellarium rotali collegio, coram hoc leget Novitius tractatum suum.[2]

14. – Sartum voluit tectumque stylum invisendi studium novi Auditoris, die quo hic renunciatus fuisset Auditor in Rota celebri formula: *Esto Auditor:* suppressit tamen « tutte le spese pei regali, « per le mancie ed altro, conservate soltanto quelle spese che secondo « l'ultimo stato, risultante dall'ammissione di Mgr. Mertel, furono « fatte da lui ».[3]

CAPUT XX.

De Studii Adiutore et de Secretis seu de rotalibus Studiis.

1. – Verum, quos tanto temporis, laboris et pecuniarum dispendio ab electo Auditore ponendi actus descripsimus, non tot sunt quot revera ab eo requirebantur ut perfectus evaderet Rotae Auditor.

2. – Siquidem, anno 1770, Clemens XIV, constitutione sua « Cum primum »,[4] praecepit « ut qui nuper fuere vel erunt in posterum

[1] ARCH. ROT., *Diarium Origo*; cfr. vol. III, pag. 662 ssq. n. 566: *Regolamento* etc.
[2] Vol. III, pag. 658, n. 562, §§ 3 et 4.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, pag. 598, n. 471.

« in Rotae Auditores electi, quique iam de sua quisque electione « pontificium Motumproprium Auditorio exhibuerint, aliquo tempore « priusquam publicas disputationes, seu conclusiones, habuerint, tra- « dere omnino teneantur ipsius Auditorii Decano notulam in qua « nomen et cognomen et patria inscribatur illius quem novus quisque « Auditor asciverit atque aptum et idoneum censuerit ad implendam « operam et munus sui in Studio Adiutoris, una cum authenticis pro- « bationibus infrascriptarum qualitatum et requisitorum quibus ille « praeditus esse debeat ».

3. – Sapientissime quidem censuit ipse, fine pensato ad quem in Rota Studii Adiutor adfuerat et adfuturus foret, ad sacri « Tribu- « nalis decus et ornamentum non tuendum modo sed etiam amplifi- « candum, maxime conferre Hominum Egregiorum delectum qui « laboribus ac studiis suis opem conferebant et auxilium iudicibus « optimis in multiplicium ac gravissimarum causarum examine et « definitione ». Ideo sanxit, hos hisce pollere qualitatibus debere, nempe:

4. – *a*) natalium honestate; *b*) aetate non minore annis 30; *c*) doctoratu in archigymnasio Sapientiae Urbis suscepto; *d*) studio iuris, expleto in eadem alma Urbe 8 saltem annorum spatio vel apud aliquem ex Rotae Auditoribus in Secreti (ut vocabant) officio ac munere, vel apud Urbis iudices ordinarios aut celebriores advocatos.

5. – Haec requisita, ordinavit Clemens, a Decano Rotae, vix ac eidem schedula exhibita fuisset, « summa diligentia ac rigore expen- « denda, ut deinde referret in pleno Auditorio; cui integra fecit « potestatem et arbitrium admittendi praesentatum ut supra, vel « etiam eum repellendi, quatenus ita in Domino censuisset, omni « sublata ab eius iudicio recurrendi ac reclamandi facultate ».

6. – Quae omnia esse servanda nedum pro legitima admissione novi in studiis Adiutoris, sed toties quoties alter in locum iam admissi foret forte ab unoquoque ex Auditoribus assumendus et subrogandus, pariter inibi constituit.

7. - Et Auditoribus indulsit ut in studii societatem seligerent et admitterent duos tantummodo iuvenes, sub *Secreti* nomine, « in maius « quoddam studii ac laboris levamen ». Hos noluit praefatae legi de qualitatibus probandis subiectos esse, sed Auditores commonuit ac vehementer hortatus est, optimos seligere et admittere, utiles tum sibi, tum illis, tum denique publico bono, praeditos et illos, quantum fieri posset, natalium, aetatis ac morum doctrinaeque praerogativis.

8. Post latam hanc constitutionem nil Rotae solemnius fuit quam illius praecepto ad amussim parere: quisque revera novus Auditor, vix ac sua inquisitio esset expleta, ante publicas disputationes, Decano et collegio Rotae notulam referentem nomina electi Adiutoris, et Secretorum una cum probationibus requisitorum Adiutoris exhibuit: Rota vero ad admissionem Adiutoris nunquam processit, nisi antea studiosissime iisdem requisitis ad trutinam revocatis, et tandem in plenario suo coetu electione confirmata.[1]

9. – Electo autem et adprobato Adiutori studii nulla nominationis cedula tradebatur. Et merito; nam, uti animadvertebat Bellemera: « Cappella Papae de iure scripturam non requirit ». Neque ratio subesse visa est sapientissimis viris qui studio rerum incubuerunt per praefatam Clementis XIV constitutionem praecipiendarum, cur iuris communis dispositio immutaretur nova legis providentia quae impar videbatur, et erat reipsa, res in melius convertere.[2]

10. – Talis igitur per novissimum Rotae soeculum (1770-1870) et lex et ab ea inductus stylus quoad Adiutorem Studii et Secretos. Antea vero quid iuris, quid moris fuit?

11. – Cum unicuique in publicis administrationibus constituto – studiorum labore id merente – sociandi sibi consiliorum participes iure communi libertas fiat;[3] cum qui advocati causarum constituti sunt, possint, eodem iure, unicuique Magistratui in iudiciis adsidere, dummodo tamen uno eodemque tempore advocatione ne utantur ac curam Magistratus arripiant, iisdem tamen facta potestate ad munus advocationis revertendi post consiliarii sollicitudinem depositam et eamdem sollicitudinem iterum assumendi,[4] facile animo hauritur, Capellanos Papae Auditores causarum palatii apostolici hinc ab suis exordiis facultate usos fuisse sociandi sibi in iudiciis consiliorum participes.

12. – Nati una simul cum renascente iure communi, praecise per id temporis quo ubique, sed praesertim in Italia – ceu Speculator testatur[5] – uti iudices opera consuescebant Adsessorum, summopere sacratissimarum Legum omnibus praeceptis facessendis intenti, nequibant huiusmodi facultate non uti, causas gravissimas et multiplices audientes vice Papae.

[1] Vol. III, pag. 651-652, n. 549; pag. 689, n. 579.
[2] ARCH. ROT., *Privilegia,* vol. II, n. 5.
[3] *Codex,* lib. I, tit. LI, l. 1. *studiorum labor.*
[4] *Codex,* lib. I, tit. LI, l. 14 *nemo ex his.*
[5] *Speculum,* part. I, *De Adsessore.*

13. – Directo quidem et certo testimonio hoc non probatur: sed constat, hinc ab initio Capellanos Auditores in eo maxime adnisos fuisse ut ad unguem iuris regulis sese in omnibus, etiam minimis, aptarent; in probatis est iam ex tunc eos iisdem in adiunctis fuisse versatos quibus et novissimis tempestatibus Auditores quos certe novimus suum studii Adiutorem habuisse; persuasum est, originem huius rotalis instituti nullo historico testimonio - hodie saltem - ostendi; denique, quum in vetustioribus textibus qui nunc manent, studii Adiutores memorare contingit, eorum, prouti cuiusvis alius rotalis antiquioris instituti, memoratur. Ratio ergo non subest, cur ex primaevis Capellanorum Auditorum temporibus origo Adiutorum studii non repetatur.[1]

14. – Profecto Capellani Papae, quorum proprie iudicem agere non erat sed tantummodo Auditorem, quique nonnisi speciali commissione, toties singillatim danda quoties in iudices assumerentur, iudices efficiebantur, sibi nudo vocabulo Adsessorem constituere nequibant: eo vel magis quod et ipsi, sive Papae sive Auditori Ponenti consilia praebendo, in causis adsidebant. Fas verum eis erat in auxilium virum sibi eligere cuius iuris prudentia sibi utilis vel necessaria visa fuisset in causis considerandis et expendendis. Hic proinde cum nulla speciali iuris positione in iudiciis potiretur et dumtaxat opera sua operam Auditoris perfectiorem efficeret, studii Adiutor neque speciali mentione in sententiarum tenore exprimi poterat, neque aliunde nisi ex ipsa familiaritatis consuetudine et singulari uniuscuiusque Auditoris necessitate erat ab unoquoque Auditore emendicandus et seligendus.

15. – Hinc, sicut in tenore sententiarum quae a Capellanis Auditoribus datae fuerunt soeculis XIII et XIV Adiutoris studii nullum vestigium invenies (nisi forte in illis verbis: *Nobiscum plena deliberatione praehabita*, quae revera cum consulto inib inserta fuerint et, iuxta Speculatoris praeceptum, specialem iudicis actum designent, plurali numero expressa *Nobiscum* - ceteris omnibus singulari numero positis - videntur innuere non unum Auditorem sed Auditorem cum suo Adiutore plene deliberasse), ita ad soeculum usque XVII potius

[1] Bondini, l. c., scite animadvertit, rotalium Studiorum initia « risalire a tempi, « per verità, non a noi molto vicini », utpote quod, attenta iudicandarum multitudine et gravite causarum « non si può credere ... fossersi gli Uditori voluti dimorare « soli in tanta diversità e dubbiezza di materie » (pag. 27). Et concludit, rotalia Studia ea inter accenseri, de queis « la ragione ed il buon senso chiariscono quali « dovevano essere *ab antiquo*, cioè poco o nulla differenziantisi dalle più vicine e « cognite », (*l. c., pag. 28*).

Familiaris quam Studii Adiutor vocatus est.[1] Et hoc nomine significatus, Studii Adiutor iam apparet in textibus de anno 1253 in persona Alexandri de Anagnia « familiaris magistri Adenulfi », adstantis prolationi et lecturae sententiae ab eodem magistro pronunciatae.[2]

15. – Testantur revera lectissimi Rotae Auditores qui constitutionis supra citatae Clementis XIV schematis studio incubuerunt, usque antea fuisse « *da più secoli* ... in pieno arbitrio e libertà degli « Uditori di deputare per tale officio qualsivoglia persona, senza « farne parola nè col Decano, nè col Tribunale »: hocque vocant merito: « chiarissimo diritto d'indipendenza ... arbitrio naturale e com- « mune » cui, proinde, nequibat « imporre servitù che ne tolga del « tutto il possesso »: naturale et commune arbitrium cui non aliunde erat regula, nisi « dall'affetto, dalla famigliarità, fiducia et talvolta « dal bisogno ».[3]

16. – Hisce igitur regulis selectus, Adiutor nequibat non appellari Auditoris Familiaris: erat enim reipsa. Ideo cum Pius IV constit. « In throno iustitiae » inhibuisset quominus Auditores Rotae causas suorum Familiarium cognoscerent in Rota,[4] de causis legem tulit Adiutorum studii. Et revera *Diariis* scimus, die 27 ianuarii 1644 Verospium, Rotae Auditorem, exiisse de Rota dum proponebatur causa *Reatina-Fideicommissi coram Carillo inter Cappellettos*, « eo « quia Benedictus Cappellettus illi in studiis inserviebat: et Domini « dixerunt quod idem fecerat b. m. Coccinus Decanus dum tracta- « batur causa Francisci Cimini qui fuit eiusdem Coccini Adiutor « studii ». Idem facere volebat anno 1646 Ghislerius, in causa *Romana seu Albinganen.-Bonorum pro illis de Pascha*, quia in illa interesse habebat Ioannes Franciscus Pasqua, illius a studiis Adiutor. Ast, cum Ioannes Franciscus « non esset amplius studii Adiutor, « nec domo Ghislerii maneret, Domini dixerunt quod absque scru- « pulo poterat votare ». Et in rotali decreto anni 1641 Rota iussit

[1] Vocem « *Familiaris* » Adiutorem Studii praecipue significasse in curia ambigi nequit, prout quamlucide ostenderunt Auditores Rotae anno 1761, a Clemente XIII petentes ut dignaretur definire utrum voce: Familiaris, adhuc intelligi deberent solummodo Adiutor et secreti: « dell'uso de' latticini nei giorni vietati e « delle carni ... per gli Uditori e loro Familiari, sembra possa confermarsi. Sta « bensì a riflettere se la Stà. di Nro. Sig.e in tale occasione voglia dichiarare *che « per i famigliari, ancora s'intendono solo gli Aiutanti di studio e secreti* » (ARCH. ROT., *Liber S. Rotae*, 2, pag. 534).

[2] Vol. III, pag. 26, in fine.

[3] ARCH. ROT., *Privilegia*, vol. II, n. 5.

[4] Vol. III, pag. 297 ssq., n. 165, § 9.

« Familiares Dominorum ... qui serviebant in studiis » Auditorum vota secreto servare.[1]

17. – Decretum hoc firmitate apostolicae sanctionis roboravit anno 1643 Urbanus VIII celebriori suo Brevi: « Exponi nobis » illius anni. Adiutores studiorum ipse in tenore vocavit proprio hoc nomine: deinceps, brevi appellatio « Familiaris » desiit: mansit vero alia: « Adiutores studii », aut « studiorum », vel etiam (raro tamen) « Coa- « diutores in studiis ».

18. – Verum, semper, tum per soecula quibus Adiutor studii ab uno Auditore electus fuit, quum per soeculum quo electus ab Auditore approbari debuit a rotali collegio et tribunali - Familiaris appellatus vel Adiutor aut Coadiutor - habitus est tamquam verus et proprius officialis Papae et sedis apostolicae. Hoc non ambiguis verbis autumarunt Auditores qui schema constitutionis Clementis XIV exararunt, in dedecus tribunalis et curiae agnoscentes redundare quidquid minus recte vel male gessissent anteactis temporibus Adiutores studiorum, ita ut bono publico providendum esse rati sint, Adiutorum delectum libero unius Auditoris arbitrio subtrahendo, eumque approbationi sacri tribunalis vinciendo.

19. – Hocque disertissime Clemens XIV in suae constitutionis tenore firmavit, Adiutores studii vocans: « Nostro et Sanctae huius « Sedis obsequio addictos » et ideo solemniter suo suorumque successorum nomine spondens, « curaturos fore Romanos Pontifices eorum « commoda, honorem, et progressus ».

20. – Adeo ut, anno 1858, cardinali Antonelli, a Secretis Status Pii IX, etiam a Decano et tribunali Rotae sciscitanti quid esset a Papae Gubernio in melius quoad ordinationem Rotae nova lege decernendum, Decanus, universi tribunalis nomine et mandato, reposuerit, auferendam esse tandem aliquando studii Adiutoris officio « la precarietà che fu sempre propria di detto officio », Adiutoribus « concedendo il diritto di ottare, dopo un esercizio almeno decen- « nale, al posto di Giudici togati nel Tribunale Civile di Roma o a « quello di Giudici nei Tribunali di Appello nelle Provincie, con che « peraltro che avesse a computarsi il predetto esercizio Rotale all'ef- « fetto della Giubbilazione ».[2] Quae quidem lege cauta sunt, quam

[1] Arch. Rot., *Liber Iuramenti,* pag. 68-69.

[2] Vol. III, pag. 692-693, n. 588. - *Liber S. R. 4,* sub die *6 iuni 1856* adnotat: « Administer ab Internis status nunciavit S. Auditorio sese elegisse in Iudicem « penes Tribunal Forolivii Advocatum Lanciani, olim electum in Adiutorem a « Studiis R. P. D. de Ségur ».

et Italicum Gubernium post diem 20 septembris 1870 reveritum est, omnibus Adiutoribus Studiorum Rotalium officium Consiliariorum Curtis Appellationis exhibens.[1]

21. – Eodem autem, ac Adiutores studii, Secreti Rotae iure moderati in multis fuerunt. Nam et ipsi assumi potuerunt iuris communis venia iudicibus facta sibi sociandi in iudiciis consiliorum participes quos mallent: ipsi quoque anno 1770 a Clemente XIV declarati fuerunt Papae et sanctae sedis obsequio addictos.[2]

22. – Verum, quum numero et pondere minora fuissent ipsis munia commissa in Rota, sicut anno 1770 Clemens XIV nullam pro eorumdem admissione legem ferre voluit, ita anno 1858 in eorum favorem Decanus Rotae non ius petiit esse concedendum, sed tantummodo Gubernii declarationem, « che ove il servizio (praestitum in Rota) « fosse lodevole e non minore di anni 5, formerebbe loro titolo per « esser nominati nelle vacanze a Giudici Uditori del Tribunale Civile « di Roma, o a quelli di prima istanza nelle Provincie, come ha « spesso di già praticato la Superiorità ».[3]

23. – Documentis non edocemur utrum ante annum 1759 quo Clemens XIII, constitutione « Etsi iustitia », iussit ac respective prohibuit quominus Auditores « de cetero ... pro causis in eodem audi- « torio pendentibus considerandis et expendendis, ultra tres personas « debitis ac requisitis qualitatibus instructas ac secreti lege de more « adstrictas, comprehenso in numero huiusmodi etiam Studii Adiu- « tore, aliquem alium ad id adhibeant vel admittant »,[4] tres vel plures fuerint unicuique Auditori Secreti; hoc tamen persuasum est: post latam Clementis XIII legem et post eiusdem legis confirmationem factam a Clemente XIV anno 1770,[5] regulariter duos tantum Secretos ab unoquoque Auditore assumi consuevit, exceptis tamen Auditoribus Nationalibus, quibus saltem per soeculum XIX facile indulgere consuevit Papa tres Secretos habere, et Revmo Decano cui, saltem per aliquot annos, consuetudine (quam Pius IX oretenus

[1] Haec saepius mihi testati sunt lectissimi viri, qui oculares rerum fuerunt testes et Rotae erant tunc temporis secreti, nempe: Constantinus Contini Riccardi, Philippus Pacelli, Laurentius Franceschini.

[2] Vol. III, pag. 606, § 14.

[3] Ibi, pag. 692-693, n. 588. Unum afferre lubet testimonium praxeos cuius Rota meminit hoc loco: *Liber S. R. 4*, pag. 610, sub « Die 6 maii (1857) » adnotat: « Aloisius Tongiorgi admissus est uti Secretus R. P. D. mei Rodriguez in locum « Advocati Casimiri Guglielmotti, qui merito nominatus fuit Iudex Auditor provi- « sorius in Tribunali primae instantiae Urbis ».

[4] Vol. III, pag. 572 ssq., n. 467.

[5] Ibi, pag. 598 ssq., n. 471, § 10.

cum Bofondio Decano damnavit) tres item Secretos habere permissum fuit.[1]

24. – Adiutor Studii et Secreti, studium cuiuslibet Auditoris conflabant, et quum Sixti IV constitutione anni 1472 ad duodecim tantummodo reductus fuerit numerus Rotae Auditorum, ideo a die quo rigorose praefatae constitutioni factum est satis, duodecim fuerunt Studia Rotae.

25. – Quantum vero haec Studia rectae iustitiae administrationi in Rota contulerint, quantaque iis eidem gloria parta fuerit, uno, prae tot quot afferre possem, exemplo ostendam. Obiit anno 1686 Antonius Albergati, Rotae Decanus, de cuius obitu postquam memoriam fecisset Iacobus Emerix in suo *Diario*, scripsit: « *Fuit vir* « *parvae capacitatis*, magnaeque bonitatis, *et summae in deligendis* « *Adiutoribus Studii felicitatis, ut luculenter demonstrabunt eius De-* « *cisiones, quinque diversis Adiuvantibus editae spatio 36 annorum* « *quibus in Rota sedit, si quando praelo committerentur* ».[2]

CAPUT XXI.

De Adiutoris Studii officio, iuridica figura, muniis, iuribus ac privilegiis. - Et de officio Secretorum.

1. – Quambene Clemens XIII in praecitata constitutione sua anni 1759 finem descripsit ad quem Adiutor Studii et Secreti in Rota assumpti fuerunt, scilicet: « pro causis in eodem Auditorio « pendentibus, considerandis et expendendis ». Quomodo hic finis attingeretur, dixit anno 1770 Clemens XIV inquiens, homines egregios « laboribus ac studiis suis opem contulisse et auxilium iudici- « bus ... in causarum ... examine et definitione ».

2. – Hinc practice Adiutoris studii officium ita constitutum mansit, ut illius esset: « 1° tenere udienza per il suo Prelato tre volte in set- « timana nella propria abitazione, cioè lunedì, mercoledì e venerdì; « 2° concordare il dubbio nelle cause quando le parti vi convenis- « sero, in caso diverso rimettere le parti stesse alla decisione del

[1] Arch. Rot., *Liber S. R. 4*, pag. 356-357; vol. III, pag. 650, n. 547.

[2] Ibi, *Extract. Diarii Emerix*, fol. 196, n. 391. - Bondini, l. c., pag. 26, cui praeceteris scriptoribus nota fuerunt rotalium studiorum labores et merita, optime adnotavit: « In questo tribunale della Rota, con particolare laude sua, grado così « rilevante occupano i studî, che non solo non se ne potrebbe far senza, ma si « taglierebbe a metà la storia di lui e la si disconoscerebbe, non parlandone, o « facendolo per modi subiti... come per alcuno s'è fatto ».

« s. Tribunale; 3° destinare la proposizione delle cause; 4° rispon-« dere e decretare gli atti ordinatorii; 5° tenere informazione sul « merito delle cause stesse » ; 6° votum in causis cum Auditore effor-mare ac redigere scripto; « 7° stendere le Decisioni; 8° esaminare « le minute delle sentenze; 9° tassare e liquidare le spese ». Ita in « *Pratica e procedura del Tribunale della S. R. Rota* ».

3. – Adiutoris officium stabile in personis non fuit: sed quum vel mutua Auditorem inter et Adiutorem fiducia evanesceret, vel quum morte aut promotione Auditor Rotae valediceret, vel ipse Adiutor sibi melius consulere putasset officio Rotae sese abdicando, officium idem in persona expirabat: manebat tamen in Rota, quippe quod vel Auditor alium Adiutorem, vel novus Auditor novum Adiutorem assumebat.

4. – Soeculo XIX, Emmanuel Muzzarelli, Rotae Auditor, Rotae proposuit ut novi Auditores lege compellerentur in suos Studii Adiutores assumere eos qui Auditori promoto, vel fato functo, in studiis inservierant. Sed merito Rota considerans officium Adiutoris esse summopere fiduciarium, Emmanueli non gessit morem.[1] - Ast non raro factum est ut Adiutores ab unius Auditoris Studio ad aliud transmigrassent, uti e. g., accidit anno 1853 quo « Advocatus Philippus Di « Legge, iam Adiutor a studiis R. P. D. La Grua » fuit a s. tribunali admissus in Adiutorem R. P. D. Rodriguez (*Liber S. R. 4*, pag. 525).

5. – Ex queis omnibus qualis fuerit iuridica figura Adiutoris Studii, liquido patet: fuit prorsus iuridica figura Adsessoris; nam Paulus in his fere causis consistere dixit officium Adsessoris, nempe: « in cogni-« tionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis », eoque « iuris studiosos partibus suis fungi ».[2] Cardinalis De Luca Studii Adiutores Rotae appellavit quasi iudices.[3]

6. – Idem tamen non diceretur bene de iuridica figura Secreti. Huius enim nil aliud fuit quam sub vigilantia Adiutoris causarum quas illi tradebat Adiutor restrictum concinnare, ac in iis votum suum Adiutori et Auditori scripto et voce pandere: praeterea *Diarium* rotale redigere. Et fuerunt reipsa Secreti, prout eos definit *Pratica e Procedura rotale*, « giovani laureati ... iniziati per l'Avvocatura, i « quali godevano, dopo qualche anno di esercizio, il privilegio di « essere ascritti nell'albo degli Avvocati senza esame ».[4]

[1] ARCH. ROT., *Liber S. Rotae 4*, pag. 290.

[2] *Pandect.*, lib. I, tit. XXII, n. 1.

[3] Relatio Rom. Curiae, Disc. XXXI.

[4] Cfr. vol. III, pag. 685, n. 571. - *Liber S. Rotae 4*, sub die 20 novembris 1843 adnotat: « Dominus Carolus Martelli, qui erat a secretis bo. me. De Retz petiit « inter advocatos recenseri, et cum per tres annos in Rota studendis causis ope-

7. – Verum cum tam Adiutoris quam Secreti officiorum ratio in eo consisteret ut officio suo fungendo aptior Auditor Rotae evaderet, congrue statutum fuit ut iam inde Adiutoris et Secretorum praesentia pateret a die quo electus Auditor ea acta ponere debebat quibus manifesta fieret sua iuris scientia et prudentia.

8. – Deinde factum est ut, electi Auditoris novitiatu durante, Adiutoris a studiis esset, almae Urbis archigymnasii « Sapientiae » (nisi fuisset praelatus *di mantelletta*) rectori coram tradere folium conclusionum sui Praelati ut iisdem subscriberet: facta a Praelato certa conclusionum tipis impressarum distributione, aliquot earundem conclusionum exemplaria singulis singulorum Auditorum Studiis, celebrioribus Urbis advocatis et procuratoribus de collegio distribuere: quatuor vel quinque diebus ante Auditoris publicas disputationes, argumenta deferre tum tribus Auditoribus qui argumentaturi forent, tum advocatis consistorialibus. Una simul cum Auditore et primo Secreto conveniendum illi erat in apostolicam Cancellariam biduo ante publicas disputationes; die autem disputationum ipse et duo Secreti, talaribus vestibus induti, usque comites sese Auditori disputanti dare tenebantur. [1]

9. – Eadem de causa, Adiutoribus duorum novissimorum Auditorum qui equitaturi erant die quo Rota quotannis aperiebatur, commissum fuit munus ad solemnitatem invitandi Pontificis anticameram (quam vocant) cardinalem a Secretis Status et Papae magistrum domus, item omnes cardinales, Principes, Duces, Ambassiadores, Praelatos *di fiocchetto*, Marchiones *di baldacchino;* ac die solemnis aperitionis, deauratos currus Auditorum equitantium, curribus sequi uno pedibus comitante famulo. [2]

10. – Animo non difficulter hauritur quot ac quaenam alia munia Adiutoribus committi solemne fuisse praeter superius enarrata. In rotalibus *Diariis* haec aperte non adnotata fuerunt; sed posita familiaritate et fiducia, dato fine ad quem Adiutor et Secreti assumpti fuerunt in Rota romana, persuasum est, iisdem ea omnia peragenda consuevisse tradi quae sacrum tribunal concernerent vel Rotae Auditorum collegium, quaeque tamen Auditores per se non egissent. Et revera perpauca quae mihi obvia facta sunt harum rerum monimenta in textibus archivii, hoc probare videntur invicte. Anno

« ram dedisset, admissus est absque experimento, haud secus ac si R. P. D. De « Retz, apud quem erat, vixisset ».

[1] Vol. III, pag. 662 et ssq., n. 566.

[2] Ibi, pag. 659 ssq., n. 565.

enim 1445 Iohannes Didaci de Coca, thesaurarius Auditorum et capellae Rotae, thesaurariae computa describit in libris rationum per manus sui Familiaris:[1] anno 1657, Alexandro VII ex Tusculo, quo morabatur, ab Rotae Auditoribus petenti num possent resecari tot coeremoniae et visitationes quae adhibebantur in admissione novi Auditoris, Rota negativam sententiam suam dedit, quam tamen magistro ceremoniarum, quo Papa usus fuerat ad Rotam interrogandam, pandidit transmittens domini Verospii Coadiutorem in Studiis ad civitatem tusculanam.[2] Et ita porro.

11. – Iura vero quibus fruiti sunt Adiutores Studiorum Rotae singillatim, nullo in textu (quantum sciam ego) descripta reperiuntur. In *Libro S. Rotae* 2, sub titulo « Memorie a Sua Santità per parte « del Tribunale della Rota, circa la Confermatoria del *Motuproprio*, « segnato il dì 30 sett. 1759 » (*pag. 521 et ssq.*) nonnulla enumerantur privilegia, Adiutoribus concessa. Revera pagina 534 legitur: « Il decimosesto (privilegio) dell'uso dei Latticinii nei giorni vietati e « delle carni ancora *de utriusque Medici consilio* per gli Uditori e « loro Famigliari sembra possa confermarsi. Sta bensì a riflettere « se la Santità di N. S. in tale occasione voglia dichiarare che per « i Famigliari, *ancora* s'intendono *solo* gli Aiutanti di Studio e Se- « creti... ».[3] Et inferius (pag. 539): « VI L'Oratorio privato nella « propria abitazione per essi, Aiutanti di Studio e Secreti... E pari- « menti la Indulgenza delle Stazioni nell'Oratorio privato recitando « le Litanie e preci solite, per tutti quelli che sono per godere del- « l'Oratorio ».

12. – Persuasum est, ipsis nullum certum menstruum stipendium pensum fuisse. Familiares et fiduciarii cum essent suorum Auditorum, ab eo forte aliquam sui laboris mercedem in ipso familiaritatis secreto recepisse admodum verisimile est. Ast publice et palam iure communi etiam quoad stipendium moderati fuerunt, quatenus nempe - veluti Adsessores - ab litigantibus pro impensa opera remunerarentur modice: hinc stylus fuit, ut Adiutori daretur parva pecuniae summa pro extensione Decisionis in qualibet causa. In hac exigenda non raro Adiutores excesserunt modum: ideo lege Rota et Pontifices statuerunt ne ultra scutata tres pro qualibet Decisione Adiutori solverentur. Verum, facile animadversum fuit praetaxatam summam aequitati contraire ubi Decisionis extensio laboriosior fuisset: hinc iis in

[1] Cf. vol. III, pag. 130, n. 76.
[2] ARCH. ROT., *Diarium Celsi*, die 11 et 14 maii 1657.

adiunctis ius datum Adiutoribus fuit exigendi usque ad scutata 30.[1] Attamen, facto, vel litigantium munificentia, vel Adiutorum secreta industria, iisdem pro extensis Decisionibus lauta obvenire consuescerunt lucra (prouti saepius ab ore accepi b. m. Contini Riccardi qui fuit in veteri Rota Secretus et in nova Auditor meritissimus, et Laurentii Franceschini, qui et ipse per complures annos Rotae fuerat Secretus) quamvis in *Edicto* cardinalis Gamberini, anno 1834, lege cautum fuisset extensori pro extensione Decisionis cuiusvis ius non competere nisi ad 10 scutata.[2]

13. – Profecto Auditores, quibus semper cordi fuit summopere longe a se venalitatis suspicionem repellere, haec agnoverunt; deinde, sicut ab Clemente XI impetrarunt Decisionum emolumenta ad tres scutata taxanda esse; ita - anno 1770 - a Clemente XIV legem ad 30 scuta praefatam taxam evehentem, ac insimul libero Auditorum arbitrio electionem Adiutorum subtrahentem, ut ad munus Adiutoris admitti in posterum non possent, nisi « persone onorate e « discrete ».

14. – Quae tamen ut allicerentur operam suam in munere Adiutoris Rotae libenter exhibere, Pontifici suaserunt Auditores antiquam Imperatoris legem innovare, statuentem, esse laudibus ornandos et honorificentia sua honorandos iudicum consiliorum participes. Quod Clemens XIV volenti animo gessit, in haec verba prosiliens: « Alacri « igitur animo pergant Iuvenes, Virique selectissimi in iis quae sui « sunt muneris diligentissimam navare operam. Noverint enim quod « Nos paterno semper amore eos prosequemur, et tamquam Nostro « ac Sanctae huius Sedis obsequio addictos, eorum commoda, honores « et progressus pro opportunitatibus diligentissime curabimus: ac in « conferendis dignitatibus, muneribus et officiis Canonum Legumque « peritiam requirentibus, ipsos praesertim ob assiduam et lauda- « bilem exercitationem, ut magis aptos et idoneos, ceteris quantum « Nobis integrum erit, amantissime praeferemus; atque id ipsum « non dubitamus praestituros esse Romanos Pontifices successores « Nostros: non secus enim ac Nos intelligent, quantum ad virtutis « incrementum ac Reipublicae utilitatem pertineat ornare laudibus et « praemiis afficere Viros inter Legum studia assidue versatos, doctos « et eruditos et ad publica gerenda munera prae caeteris aptissime « excultos atque institutos ».

[1] Cfr. vol. III, pag. 598 et ssq., n. 471, § 13.
[2] *Editto*, etc., § 525, 1.

15. – Tam solemniter facta pollicitatio sanctissime servata est praesertim a Pio VII qui e rotalibus Studiis innumeros ad altiora romanae curiae officia evexit et Adiutores et Secretos: inter illos - ne ceteros omnes memorem, – Antonium Dominicum Gamberini; inter istos Franciscum Falzacappa, Antonium Pallotta, qui, omnes sacra purpura decorati, deinde fuerunt.[1]

16. – Ast tum ante Clementem XIV, quum post Pium VII Adiutores Studiorum Rotae et Secreti saepius ad altiora munera obeunda assumpti fuerunt. Ita quidem Ioannes Pamphilius qui in studiis inservierat Hyeronimo patruo suo, Rotae Auditori, inter consistoriales advocatos prius adlectus, deinde in Rotae Auditorem - ipsa Rota eum a Papa expostulante - assumptus, postea cardinalis et denique Papa Innocentius X;[2] ita, Lucas Antonius Della Gatta Adiutor Studii, anno 1721, promotus ad episcopatum bituntinum;[3] ita Theodulphus Mertel, in Rota Adiutor Studii in Auditorem electus, deinde in Ministrum iustitiae et denique in cardinalem;[4] ita Ignatius Alberghini, Studii Adiutor et ipse, qui postea fuit Rotae Auditor[5] et alii quamplurimi, ut ecce Franciscus Iustus et Ferrari qui ambo ex Adiutoribus Studii Rotae in Auditores neapolitanae Nunciaturae assumpti fuerunt soeculo XVII.[6] Ita, ex Secretis, Prosper Lambertinus (celeberrimus Prosper) qui obiit Papa Benedictus XIV;[7] et praeter Franciscum Falzacappa et Antonium Pallotta quos supra memoravi, Comes de Strasoldo qui fuit electus in Rotae Auditorem, et Bofondius et ipse prius in Rotae Auditorem electus, postea e Rotae decanatu ad sacram purpuram elatus.[8]

17. – Equidem mirum videri posset, raro Adiutores Studiorum promotos fuisse ad Rotae Auditoratum, nisi constaret complura loca

[1] Anno 1844 cum adv. Carolus Martelli, Secretus olim R. P. D. De Retz et tunc R. P. D. Avellà, electus fuisset in iudicem in tribunali urbevetano, eminentissimus ab internis negociis rem Decano Rotae significabat his verbis: « Il sot- « toscritto Card. Segret. di Stato per gli affari interni si fa un pregio di renderne « consapevole Mons. Decano di esso S. Tribunale per sua norma e per dargli un « nuovo argomento de' riguardi che si usano dal Governo agli addetti al ripetuto « S. Tribunale » (*Liber S. Rotae,* 4, pag. 380). Eodem anno Aloysius Gagliardi, olim a secretis R. P. D. Baglioni nominatus fuit iudex auditor in tribunali Auditoris Camerae (*L. S. Rotae,* 4, l. c.).

[2] Vol. II, pag. 164 ssq., Innoc. X.

[3] Vol. III, pag. 477, n. 404.

[4] Vol. II, n. 663, pag. 314.

[5] Vol. II, n. 653, pag. 305.

[6] ARCH. ROT., *Diarium Emerix.*

[7] Vol. III, pag. 518, n. 419.

[8] Vol. II, n. 639, pag. 287.

Rotae liberae nominationis Papae non fuisse, ac nisi persuasum esset, ut plurimum Adiutores Studiorum clericali militiae non fuisse adscriptos. Nam Auditoribus usque visum est melius esse inter laicos non autem inter Clericos, suos in studiis Coadiutores sibimet seligere et assumere; adeo ut quum praepararetur materia constitutionis Clementis XIV, cardinalis Fantuzzi, olim Rotae Auditor, et Rotae Auditores Ratta et Riminaldi convenerint, inter requisita, nova lege in eligendo novo Studii Adiutore expostulanda, esse debere quod non esset Sacerdos: « che non sia Sacerdote ».[1] Quod tamen constitutionis tenori insertum non fuit.

18. – Laici igitur Studiorum Adiutores vel ad advocatiam redibant post munus Rotae dimissum, vel pergebant in suo munere a novo Auditore assumpti ubi primus, vel morte vel promotione Rotam reliquisset, prouti saepissime contigit novissimis Rotae temporibus.

19. – Adeo ut fuerint qui in exercitio sui muneris Adiutoris Studii fato functi sint: uti, e. g., advocatus Dilegge anno 1857: et cum hic gentem suam reliquisset « nell'indigenza », quamvis « per « lunghi anni » laudabiliter in officio suo fuisset versatus, Adiutores « lamentando la precaria loro condizione », penes Auditores insteterunt ut a Pontificis Gubernio impetrarent « qualche provvedimento « che li assicurasse della loro sorte avvenire ». Exinde Rotae ad cardinalem Antonelli propositio ut iisdem Adiutoribus ius concederetur optandi locum Iudicis togati - uti in praecedente capite retuli - et consequens lata serius lex cui - veluti ad ironiam - rerum vicissitudo non sanctam sedem sed Italicum Gubernium dedit exsecutorem.

20. – Attamen Rotae tribunal et collegium magno semper in praetio habuit suos Studii Adiutores; ita ut sicut anno 1673 Iacobus Emerix, Auditor, magno gaudio et solatio afficiebatur quia sancta sedes in pristinum revocans antiquam frequentissimamque praxim utendi in Nunciaturis Adiutorum Studii opera, ad Auditorem Nunciaturae neapolitanae assumebat Franciscum Iustum, eiusdem Emerix Studii Adiutorem;[2] ita anno 1831 non ultimum accusationum caput in agendi rationem Rpd. Celestini Rota fuisse rata est « eumdem Prae- « sulem nullo unquam in pretio habuisse suos a Studiis Adiutores ».[3]

21. – Hos Rota contra omnes semper tuita est: adeo quidem ut anno 1649 non permiserit ut Coadiutor in Studiis domini Verospii citationi Fisci responderet, conquaesta cum iudice citante « de

[1] Arch. Rot., *Privilegia,* vol II, n. 5.
[2] Ibi, *Diarium Emerix.*
[3] Ibi, *Diarium De Cursiis.*

« simili audacia ».[1] Et cum accidit ut quis ex Adiutoribus de crimine accusatus in criminale iudicium raptus fuerit, Auditores, re ad Papam delata, ab ipso petierunt obtinueruntque « ut formiter per « iudicem criminalem *cum assistentia duorum Auditorum* veritas esset « in claris scriptis registranda ».[2]

22. – Ac insuper Clementi XIV suaserunt ut citata sua constitutione iuberet rotalia Studia et Adiutorum praesertim personae sub vigilantia et correctione ponerentur Decani et duorum seniorum Auditorum, quibus tamen facultas non esset ad dimissionem Adiutoris procedendi, nisi prius Papa de re plene informato, « ut iudi- « cium, suprema nostra auctoritate munitum, procedat exactius et « tutius exsequi valeat ».

23. – Denique, suis Studiis Rota praecedentiam usque recognovit - ut par erat - contra quoscumque. Quinimmo inter ipsa Studia praecedentiae ius servari voluit, ita ut unicuique Studio ius praecedendi competeret quo fruebatur proprius Auditor. Scatet hoc quamliquido ex adnotatione quam Cosmas De Cursiis, Auditor, sub die 11 aprilis 1825 suo *Diario* inseruit, referens ordinem quo a s. tribunali, occasione iubilaei, publica poenitentiae processio peracta fuit. Scribit ipse: « Anteibant ceteris omnibus undecim decuriones « famulorum uniuscuiusque ex Patribus s. Auditorii, quinque antea et « sex postea; - sequebantur primi, tres ex Patribus in quorum medio « aderat Rm̃us Decanus, gestans crucem, et alii duo gestantes fanales « cereos. Pares deinde ibant reliqui ex Patribus, induti pallio, a quo- « rum latere erant capellani: - dein veniebant Adiutores a Studiis « una cum Secretis cum nigra toga, iuxta primatum et gradum « omnium Auditorum: - deinde notarii s. tribunalis - et, post eos, « ceteri famuli Auditorum pergebant, - ac demum vehicula et rhaedae « tam Auditorum, quam eorum qui a Studiis sunt ».

24. – Hinc a die quo, in exsecutionem legis latae a Clemente XI, Rota iuramenti celebrari occepit, ius legendi urbanam constitutionem

[1] ARCH. ROT., *Diarium Ottoboni*.

[2] Ibi; – *Liber S. Rotae*, 4, sub die 7 iulii 1854 (pag. 552-553) narrat ob quamdam causam eñum cardinalem Vicarium Urbis inter et viduam Paoluzzi, ab s. tribunali contra eñum virum iudicatam, quidam advocatum Faricelli, auditorem cardinalis Vicarii, iniurias protulisse in advocatum De Romanis, Adiutorem Studii domini De Ségur, Ponentis, et in s. tribunal. « Sacrum Tribunal commisit « R. P. D. de Ségur rem omnem de qua agitur notam facere Eño Card Vicario, « ut idem, causa cognita, perpensisque gravissimis facti circumstantiis, in praedi- « ctum Auditorem suum animadvertat illumque cogat - *a fare una riparazione « ed una scusa al S. Tribunale* - ac deinde idem Praesul huiusce rei exitum S. Audi- « torio notum faciat ».

de secreto servando datum est studio Decani.[1] Quapropter ubi illa die Adiutor abesset, primus Secretus (uti contigit anno 1745),[2] et, etiam hoc absente, constitutionem alter Decani Secretus legebat.[3] Quod si isti tres abessent, tunc eam legit Studium praesens antiquioris Auditoris.

25. – Haec igitur privilegia, munia, iura, hoc officium Auditoris a Studiis. Secretos quod attinet, vix est quod superius relatis addatur. Ubi, inferius, de rotalibus causarum iudiciis disseram, suis locis aptius quanam ratione in Studiis causae ab Adiutore tractarentur, explanabo.

26. – Interim, ad ornamentum simul et complementum huius capitis, sequantur,

CAPUT XXII,

aliquot a Studiis Adiutorum nomina, per ordinem alphabeticum disposita.

Alberghini Ignatius - obiit Rotae Auditor et Decanus Emeritus (vol. II, n. 653, pag. 305; vol. III, n. 541, pag. 647, et n. 590, pag. 695).

Alessandri Iosephi – antea Secretus, obiit, adhuc existens a Studiis, anno 1859 (*Liber S. Rotae*, 4, pag. 388, et 638).

Alexander de Anagnia – (vol. III, pag. 26 in fine).

Baccelli Camillus – (vol. II, n. 645, pag. 295; *Liber S. R.*, 4, pag. 529).

Baldeschi (*de Ubaldis*) Alexander – (*Liber S. R.*, 2, pag. 212).

Bartolini Marianus – Rotae Auditor (vol. II, n. 354, pag. 79).

Befani Ioannes – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 449 et 597). - Auditor prius silentis Rotae, obiit emeritus in hodierna Rota.

Biondi – (*Diar. camer.*, die 18 nov. 1785).

Boccafogli Aloysius – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, paginis 649-650)

Buti Caesar – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 614).

Cappelletti Benedictus – (*Diarium Emerix*).

Capranica ex Marchionibus Pius – antea Secretus (vol. III, n. 550, pag. 652, nota 2).

Centomani Caietanus – (vol. II, n. 571, pag. 240).

[1] Vol. III, pag. 463, n. 384.
[2] *Liber S. Rotae*, 2, pag. 392.
[3] Ibi, pag. 403, 404.

CERIONI PETRUS – (*Liber S. R.*, 4, pag. 252-253; vol. III, n. 518, pag. 633).

CIMINI FRANCISCUS - (*Diarium Emerix*).

DE DOMINICIS ENRICUS – *Liber S. R.*, 4, pag. 390).

DELLA GATTA LUCAS ANTONIUS – promotus in episcopum bituntinum (vol. III, n. 404, pag. 477).

DE MATTIIS EMERIX IACOBUS – Rotae Auditor, obiit Decanus. (vol. II, n. 506, pag. 183-184).

DE ROMANIS FELIX (*Liber S. R.*, 4, pag. 552-553 et 575).

DES JARDINS FELIX – (vol. III, n. 554, pag. 654).

DI LEGGE PHILIPPUS – obiit existens a Studiis (*Liber S. R.*, 4, pag. 614-615).

FABBRINI LUDOVICUS – (*Liber S. R.*, 2, pag. 407).

FERRARI – Auditor Nunciaturae (*Diarium Emerix*).

FERRARELLI NICOLAUS – (*Diar. camer.*, ann. 1809-1814-1815).

FINI MARIUS – (vol. II, n. 462, pag. 139).

FORTI PAULUS – (*Liber S. R.*, 2, pag. 330).

FRANCISCUS A BALNEOFANENSI – (vol. II, n. 482, pag. 159).

FURIOZZI FABRITIUS – Assessor S. Officii, obiit cardinalis (vol. III, n. 516, pag. 631).

GAMBERINI DOMINICUS ANTONIUS – Auditor Rotae: obiit cardinalis (vol. II, n. 636, pag, 285-286).

GASPERINI IOSEPH – sacerdos; antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 638).

GIANSANTI – Auditor cardinalis Pacca (vol. III, n. 524, pag. 636-637).

GIUSTI FRANCISCUS – Auditor Nunciaturae (*Diarium Emerix*).

GUGLIELMOTTI BLASIUS – (*Liber S. R.*, 4, pag. 639).

HERIONI CAESAR – (vol. II, n. 580, p. 245).

LANCIANI CAESAR – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 575 et 596); promotus « in Iudicem penes tribunal Forolivii » (Ibi, pag. 596).

LANDÒ CORIOLANUS – (*Liber S. R.*, 4, pag. 643).

LAURI GREGORIUS – (vol. II, n. 611, pag. 267).

LEONORI FRANCISCUS – (*Liber S. R.*, 4 pag. 596; vol. III, n. 577, pag. 688).

MANZONI DOMINICUS MARIA – (vol. III, n. 506, pag. 625).

MASSANI – (*Liber S. R.*, 4, pag. 360-361).

MATTEI LANFRANCUS – (vol. II, n. 558, pag. 227).

MATULIANI POMPEUS – (vol. II, n. 492, pag. 170).

MELCHIOR – (vol. III, pag. 191).

Mertel Theodulphus - Rotae Auditor, obiit cardinalis (vol. II, n. 663, pag. 314).

Morichini Angelus – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 372).

Neroni Felix – (*Diar. camer.*, ann. 1808 ssq.).

Pamphili Ioannes Baptista – Adv. concist.; Rotae Auditor; cardinalis; obiit Papa sub nomine Innocentio X (vol. II, pag. 164 ssq.).

Pasqua Franciscus – (*Diarium Otthoboni*).

Ricci Ioannes Baptista – (vol. II, n. 510, pag, 187).

Ricci . . . . . (*Liber S. R.*, 4, pag. 583). Ob votum, in causa « *Modanese di Parricidio* » quod « elucubratissimum exaravit » dono Rota ei dedit « quattro medaglie riposte in un astuccio con sopra « impressa l'arma della Rota » (Ibi, l. c.).

Sacripanti Ioseph – (vol. II, n. 494, pag. 172).

Salvatori Nicolaus – (vol. II, n. 635. pag. 285).

Santambrogio Aloysius – (*Liber S. R.*, 4, pag. 643).

Santambrogio Ioannes – antea Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 643).

Santelli Ioannes Baptista – (*Liber S. R.*, 4, pag. 530).

Scaramucci octavius – (*Liber S. R.*, 4, pag. 353; vol. III, n. 549, pag. 651), adscriptus fuit inter advocatos concistoriales (Conti. *Elenco dei Defensores*, Roma 1905, pag. 52).

Sirelli Petrus – promotus in a literis scribendis apud card. a Secretis Status (*Liber S. R.*, 4, pag. 372).

Taia Hieronimus – (vol. II, n. 545, pag. 218).

Tomassetti Franciscus – (*Liber S. R.*, 4, pag. 459 et 515).

Vera Iulius – olim Secretus (*Liber S. R.*, 4, pag. 515 et 615).

Volpi-Manni Paulus – (*Liber S. R.*, 4, p. 635). Cum « per « mezzo della Segret. dei Memoriali » data fuerit Rotae facultas « eumdem approbandi, etiamsi practico legum studio per octo con- « tinuos annos post expletum iuris in Universitate studium Advo- « catus ipse non incubuerit, quemadmodum iussum est in Constit. « s. m. Clementis XIV, censuit tribunal expressam supradictae Con- « stitutioni requiri derogationem. Quam obtinuit Advocatus per « rescriptum diei 1 Decembris, obsignatum ex audientia Ssm̃i ab « Rm̃o P. D. qui praeest negociis Status internis » (*Liber S. R.*, 4, l. c.).

CAPUT XXIII.

De s. r. Rotae notariis.

1. – Lege caverat in generali concilio Innocentius III « ut tam « in ordinario iudicio, quam in extraordinario, iudex semper adhibeat « aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros devotos « qui fideliter universa iudicii acta conscribant ». [1]

2. – Hinc, cum praesertim in ipso Papae palatio huic legi satisfactum fuisse sit merito praesumendum, cumque alias constet ipsum Innocentium III officia Cancellariae suae ad amussim fuisse moderatum, Capellanos Papae Auditores causarum suos notarios, seu tabelliones, iam ex tunc habuisse, in dubium non videtur posse revocari.

3. – Ceterum, qui Regestris Innocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Clementis IV, Gregorii X [2] etc. tenores sententiarum, a Capellanis Auditoribus latarum, inserti reperiuntur, totidem eisdem Auditoribus notarios fuisse comprobant manifeste.

4. – Adeo ut, Iohannes XXII in prima Rotae constitutione « Ratio iuris » nedum notarios memoret, sed et multa eos, eorumque officia spectantia, statuat.

5. – Humiliora profecto necessariis istis tribunalis officialibus munera in iudiciis causarum concredita fuerunt qui scribere et actitare in causis rogabantur, eis, pro impensa opera, mercede solvenda: sed ideo in ipsos, sollicitiores curas romani Pontifices conferre adnisi sunt, ut, dum ad optime ministerium suum tribunali praestandum, notarii congrui lucri spe adigerentur, et, ipsis fideliter laborantibus, debitae mercedis exhibitio non denegaretur, simul sanguinem non eliceret nimietas emungentium. Hinc multa illa et varia de notariis Rotae eorumque officiis Pontificum constitutionum congeries quae ad compendium poni nequit, sed singillatim edisserenda est, prout per tempora eaedem constitutiones editae fuerunt.

6. – Ne inductionibus potius satagere videamur quam historiae, quae notariorum fuerint soeculo XIII praetereamus inquirere. Perpauca enim, quae de ipsis ex genuinis historicis testimoniis erui fas est, ipse lector ex documentis quae in III huius mei operis volumine edo sub numeris 32, 33, 34, 37, 38, 42, 43 etc. colliget.

[1] *Decretal. Greg. IX*, lib. II, tit. XIX, c. 11, *de probat.*
[2] Vol. III, a pag. 22 ad pag. 61.

7. – Soeculo XIV Iohannes XXII, probabillime quae longa iam non scripta consuetudine erant inducta in scriptam legem redigens, constitutione sua « Ratio iuris » statuit ut quolibet Auditor « notarios intel- « ligentes, fideles et honestos habeat, ita quod quatuor notariorum « numerum non excedat ».[1] Poterat igitur Auditor tot notarios quot volebat habere, dummodo quatuor non excederet. Eorum quotnam reipsa unusquisque Auditor consueverit habere, documentis non edoceor.

8. – Verum quatuor vel minus fuerint, « *tam de iure, quam de* « *consuetudine*, unusquisque Auditor palatii sibi habebat idoneos nota- « rios eligere ».[2] - Nihilominus consuetudine obtinuerat ut Vice-Cancellarius posset « dum creabatur novus Auditor ... et usque dum « Auditor esset novus et noviter factus », noviter creato Auditori, « etiam per modum subrogationis » alium notarium praesentare. Et cum Vice-Cancellarius hoc consuetudinarium privilegium « ius iniquum « alteri praeiudicans et obvians iuri communi », extendere plus aequo voluisset, Auditores eidem viriliter restitisse videntur.[3]

9. – Ast Auditores in proprium notarium assumere nequibant qui alterius Auditoris notarius fuisset.[4]

10. – Et electi ab Auditoribus notarii scribere in causis prohibebantur, « nisi prius, per Vice-Cancellarium, vel alium de eius spe- « ciali mandato, de litteratura ac scriptura sufficienti ad notariatus « officium exercendum examinati » fuissent.[5]

11. – Non solum, sed de vita et conversatione ipsorum fuisset a Vice-Cancellario informatio recepta - ac fuissent ab eodem Vice-Cancellario approbati.[6]

12. – Denique tenebantur iuramentum in manu Vice-Cancellarii praestare in forma, quam tradit ipse Iohannes XXII in eadem constitutione « Ratio iuris ».[7]

13. – Admissi ad exercitium officii, prohibebantur notarii 1) quovis modo ac ratione procurare ut sibi causae committerentur scribendae;[8] 2) procuratores vel promotores esse in causis quae coram respective proprio Auditore agitabantur vel agitari contigisset;[9] 3) scribere in

[1] Const. *Ratio iuris*, § 11; Cfr. vol. III, pag. 72.
[2] Aegidius Bellemera. *Conclus. 625.*
[3] Idem, l. c.
[4] Constit. *Ratio iuris*, §§ 11 et 21.
[5] Ibi, l. c., § 17.
[6] Ibi, l. c.
[7] Ibi, l. c. et § 18.
[8] Ibi, §§ 18 et 19.
[9] Ibi, §§ 18 et 23.

causis, « si alterius partium illarum in Audientia litterarum Contra- « dictarum, vel in palatio apostolico, seu romana curia, procuratores « vel promotores negotiorum seu pensionarii quoquomodo fuerint, vel « existant ». [1]

14. – Tenebantur autem « notarii per se, *et non per alios*, in « causis scribere »; [2] item omnes actus iudiciarios clare distincte et « substantialiter in *Manuali* seu *Memoriali* in Auditoris causae in « qua scribebant praesentia, et partium si expectare voluissent, con- « scribere »; [3] item praedictos omnes iudiciarios actus « necnon instru- « menta et omnia alia et singula in causis producta, ubi requisiti ab « Auditoribus vel partibus fuissent, in *Registrum* fideliter redigere, « vel redigi facere »; [4] Registrum cum originalibus et Manuali auscultare, ut quae errate vel omissa forte fuissent corrigerentur, antequam Auditori illud exhibuissent; [5] denique copias vel in publicam formam vel in simplicem scripturam redigere, quas cum originalibus auscultare debebant notarii antequam eas partibus - Auditoribus praecipientibus - tradidissent; [6] et ab Auditoribus vel a partibus requisiti, in Registro causarum in quibus unusquisque notarius scribebat, eorum quisque « omnes sententias diffinitivas et interlocutorias, ac « inhibitiones, necnon intimationes et appellationes verbo vel in scri- « ptis emissas, ex integro de verbo ad verbum conscribere ». [7]

15. – Acta causarum, habita in partibus, Registro non erant inserenda, nisi ad petitionem partium, sed a notariis diligenter conservanda. [8]

16. – Debebant notarii omnem modestiam et honestatem in omnibus observare, [9] concubinam non tenere, [10] officiumque suum scribendi fideliter et sollicite exercere. [11]

17. – Ubi, testes in curia praesentes in punctis arduis non essent ab ipso Auditore causae examinandi, eorum examinationes peragi poterant per notarios. [12]

[1] Constit. *Ratio iuris*, § 23.
[2] Ibi, § 11.
[3] Ibi, §§ 18 et 24.
[4] Ibi, l. c.
[5] Ibi, § 24.
[6] Ibi, l. c.
[7] Ibi, l. c
[8] Ibi, l. c.
[9] Ibi, § 20.
[10] Ibi, § 22.
[11] Ibi, §§ 16 et 18.
[12] Ibi, §§ 15 et 31.

18. – Iurabant denique notarii « secreta causae secrete tenere « et praesertim consilia Auditorum et sententiam, donec ipsa non « fuisset prolata ». [1]

19. – Hae, per summa capita heic relatae, leges moderatae sunt notariorum electionem, admissionem et munia per soeculum XIV; eisdem notariis in suorum laborum mercedem certa pecuniaria iura, a litigatoribus solvenda, tributa fuerunt in eadem constitutione Iohannis XXII « Ratio iuris », prout legere est in eiusdem tenore in vol. III, sub §§ 25 et sequentibus. pag. 75 ssq.

20. – Illa heic, ne actum agam, non refero; sed animadvertam, notarios in duplum fuisse puniendos ubi aliquid ultra summas in constitutione statutas exigerent et reciperent. [2]

21. – In causis vero in quibus ob paupertatem, quae Auditori visa fuisset notabilis, litigantes redimere nequivissent suae causae acta, notarii ab Auditoribus compelli poterant ad restituendum gratis huiusmodi actorum copiam parti solvere nequeunti. [3]

22. – Memorat Iohannes XXII in eadem sua constitutione *petia Registri:* hoc nomine significavit Iohannes foliolos pergamenae certae et moderatae dimensionis ex quorum pluribus, acu et filo insimul per longum unitis, longa fascia conflabatur quae, commodi ergo, in rotulum complicabatur. Hae fasciae Registrum causarum continebant, in rotulum complicatae deferebantur ad aulam tribunalis et in Rota disponebantur: unde auditorio s. a. palatii, Rotae nomen fuisse manutentum quod aliunde eidem obvenerat. facilius teneo. Porro ad conscribendum Registrum, *petia* esse adhibenda statutum fuit, ut facilius fraudes evitarentur et una simul notariorum pariter ac litigantium tuerentur iura: nam quot lineae describi possent in unaquaque petia consuetudine scribarum definitum erat; neque tam longae ipsae erant, ut labor notarii scribentis statutam mercedem excederet.

23. – Soeculo XV, Martinus V, bulla « In apostolicae », [4] anno 1418 praefatis Iohannis XXII statutis et ordinationibus sequentia addidit, vel prout sequitur immutavit. Ita, in primis addidit:

24. – *a*) quod nullus ex notariis cum Auditore suo moram traheret; *b*) quod nullus in notarium cuiuslibet ex Auditoribus assumeretur, nisi 25^{um} suae aetatis annum attigisset et alias notariatus officium exercuisset; *c*) quod si notarius, cessante causa necessaria,

[1] Const. *Ratio iuris,* § 18.
[2] Ibi, § 12.
[3] Ibi, l. c.
[4] Vol. III, pag. 98, n. 61.

a sui notariatus officii exercitio per mensem continue se absentasset, eo ipso privaretur officio: si vero propter causam necessariam fuisset illi per substitutum officium exercendum, petere deberet licentiam a Vice-Cancellario, quam iste concedere poterat dumtaxat ubi sibi constitisset de necessaria causa, ad tempus de quo sibi videretur, in scriptis, enunciatis causa et tempore concesso; *d*) quod notarii in habitu decenti incederent et honesto et convenienti clerico soeculari - tabernas non frequentarent, sub poena privationis officii; *e*) quod ubi quis ex notariis vel presbyter fieret, vel dignitatem aut personatum in cathedralibus, vel collegiatis, aut parochiam pacifice assequeretur, illico notariatus officium dimitteret et ad huiusmodi officii exercitium in Rota amplius non admitteretur; *f*) denique quod ubi notarius diffamaretur quod vel scripsisset aliud quam in processu et iudicio deductum vel actum fuerat inter partes, vel fuisset personarum acceptor, suspenderetur ab officio: super his per Auditorem Camerae, cui hoc per Vice-Cancellarium foret committendum, facta summarie et de plano inquisitione, si culpabilis reperiretur, nedum notariatus officio, sed quibusvis aliis frueretur in curia privaretur et a curia penitus proscriberetur.

25. – Anno autem 1462, Pius II, sub poena indignationis suae Auditoribus mandavit « quatenus ... nullum notarium deinceps admit- « terent ad officium notariatus causarum s. p. a., vacans per obitum « alterius cuiuscumque, sine speciali mandato suo ».[1] Haec Auditorum iuris sibi libere eligendi suos notarios limitatio a Pio II inducta, forte profluit vel ex antecedenti facto Iohannis de Ceretanis, Auditoris, qui aliquot ante annos, noluerat recipere et retinere in suum alterum notarium quemdam Matthaeum Flingel, eidem Iohanni a Pio ipso praesentato; [2] vel ipsi Pio Iohannes restiterat utpote quia praeter Vice-Cancellarium etiam Papa unum notarium noviter electis Auditoribus praesentare coeperat et volebat.

26. – Utcumque: iam per hos annos XV soeculi viam consuetudo complanaverat Sixti IV reformationi anni 1477 [3] qua notariorum Rotae res penitus immutatae sunt.

27. – Siquidem dum antea, dummodo quatuor non excederet, tot notarios habere poterat quisque Auditor quot voluisset, Sixtus statuit quatuor semper esse debere uniuscuiusque Auditoris notarios, qui proinde, cum Auditorum numerus ad 12 reductus et definitus fuisset, simul cum ceteris, ad 48 ascenderent.

[1] Vol. III, pag. 166, n. 99.
[2] Ibi, pag. 161, n. 92.
[3] Ibi, pag. 191, n. 116.

28. – Officia notariorum antea magnis cum impensis acquirebantur, temporalia et brevi quodam tempore peritura erant: Sixtus IV e converso statuit officia esse perpetua, et notarios officiales esse sanctae sedis, ita ut, vacante loco cuiusvis Auditoris, notarii qui coram eo Auditore scribebant, fierent iure notarii noviter admittendi Auditoris; et casu temporalis absentiae cuiusvis Auditoris, causas quorum hic esset Ponens, ali Auditori in ordine suo committi pergeretur, scribentibus nihilominus notariis etiam coram hoc altero in iisdem causis perinde ac si Auditor praesens esset.

29. – Antea, ob inductas consuetudines, de queis scripsi supra, incertum erat cuinam fuisset ius quatuor uniuscuiusque Auditoris notarios nominandi: Sixtus rem firmavit, statuens, ut unum ex quatuor officiis notariorum qui coram eodem Auditore scripturi forent, Pontificis esset et ad illud Pontifex ius conferendi haberet; itidem unum Vice-Cancellarii officium et ius ad illud nominandi; unum s. r. e. Camerarii; unum denique Auditoris.

30. – Quadragintaocto notarios in collegium erexit, cui potestatem fecit 1) singulis semestribus unum idoneum, probum et fidelem ex notariis eligendi in thesaurarium, cui concredidit custodiam capellae collegii quam privilegio ditavit altaris portatilis; 2) statuta condendi; 3) processionibus et aliis actibus ad quos curiae ceteri officiarii convocari consueverunt, interessendi propriumque locum in eis habendi; 4) tandem difficultates et differentias forte inter notarios emergentes per ipsum collegium terminandi, aut si per ipsum terminari non possent, easdem dirimi faciendi a Vice-Cancellario pro tempore existente.

31. – Demum eidem notariorum collegio conservatorem, protectorem exsecutorem iurium et privilegiorum dedit s. r. e. pro tempore existentem Vice-Cancellarium. Haec omnia, statuit Sixtus IV constitutione quae incipit: « Sicut prudens ».[1]

32. – Novi Sixtus IV quoad notariorum munia in causis obeunda et taxas iam hinc ab Iohanne XXII statutas, nihilum induxit. Attamen tot tantaque munera notariis conferendo eosque fere ab dependentia Auditorum eximendo, talem rerum implicatam congeriem progenuerat ut inde nonnisi graviora tum universo Rotae auditorio, tum causarum tractationi, tum ipsis litigantibus incommoda promanari debuissent.

33. – Siquidem notarii per annos qui ab sixtina constitutione ad pontificatum Leonis X (1477-1513) effluxerunt, suorum privile-

[1] Vol. III, pag. 191, n. 116.

giorum vi et Roderigi Borgia, prius Vice-Cancellarii, dein Papae sub cognomine Alexandro VI protectione innixi, in tantam devenerant animi elationem, ut obedientiam Auditoribus detrectarent: officium suum vel inepte et sine voluntate, vel per substitutos, ut plurimum inidoneos, exercerent, ac tot tantisque ut a litigatoribus sanguinem emungerent artibus vel scribendo verba actorum vel superaddendo inutilia aut causis extranea in Regestis et similibus, uterentur, ut generali constitutione, a sacro oecumenico concilio approbata,

34. – (soeculo XVI) anno 1513, Leo X: *A*) Rotae notarios obedientiae et correctioni Auditorum subiecerit; eosdemque Auditores, si gravitas inobedientiae culpae id meruisset, potestate donatos esse voluerit, notarios usque ad officii privationem puniendi, *B*) non esse deinceps nisi idoneos et exercitatos in notarios admittendos, neque ab Auditoribus ex existentibus notariis illos retinendos quibus neque idoneitas aut voluntas fuisset vel infra trimestre possessa officia alienandi, vel infra semestre eadem per se apte exercendi; *C*) notariatus officia per substitutum exerceri noluit, nisi infirmitatis aut necessariae absentiae causa, ab Auditoribus approbanda, aut de licentia summi Pontificis, substitutis idoneis examinandis et approbandis per Auditores ipsos; *D*) poenas statuit contra notarios causas coram suo Auditore sollicitantes; *E*) Rotae constitutiones in confectione Registrorum, copiarum, in remissoriis, compulsoriis, exsecutoribus, notis sententiarum diffinitivarum, testium examine etc., innovavit; *F*) Testium examina per seipsos notarios perfici ac eos mercede antiquitus dari solita esse contentos debere, ordinavit; *G*) Bibalia pro portando Registro ad domum Auditoris recipere prohibuit, iussitque Registra bona et legibilia accurate esse facienda, praefinivitque numerum verborum et linearum in unaquaque linea vel pagina respective scribendorum; *H*) item de non latine in latinum sermonem scriptis actis vertendis, de nihil extorquendo a cardinalibus et ab officialibus curiae et pauperibus ultra solitum et aequum, de non ponendis superfluis in Registris, de non reiterandis in iisdem Registris subrogationum commissionibus et terminorum, de non exagerandis literis maiusculis, de utendo praefinito verborum et linearum numero etiam in copiis, de fraudibus mutuo inter sese non nectendis commissiones intervertendo, de pactionibus super mercede Registrorum, vel testium, vel copiarum antequam causae suis Auditoribus fuissent commissae cum advocatis, vel procuratoribus non ineundis; de paupertate litigantium probanda per iuramentum, iniunxit sub gravibus poenis, non exclusis suspensione et etiam officii privatione

inviolabilem observantiam; *I*) duos Auditores in correctores notariorum eligendos praecepit quibus munus commisit invigilandi super observantia praedictorum, ac querelas super praedictis dirimendi; *L*) notarios volentes absolvit ab solutione pro domo Auditoris, ab solutione 25 ducatorum Auditori pro admissione et ab aliis quibuscumque quae ante Sixtum IV fieri non consuevissent; *M*) denique statuit aliquam partem fieri commissionum ab Regente Cancellariae, notariis illis quorum Auditorum loca ultra trimestre vacaverint. [1]

35. – Num Auditores correctores egerint reipsa, mihi non constat: duo e contra indubia esse videntur, nimirum notarios sua officia per substitutos passim exercere persecutos fuisse, et luctam arsisse Auditores inter et notarios, qui dissitis in locis et ab habitationibus suorum Auditorum eo procul habitare et suum exercere officium coeperunt, ut Auditoribus visum fuerit per ipsum Pontificem eos ad saniorem frugem reducere.

36. – Hinc Pauli III mandatum et illius exsecutio per Rotae Decanum peracta, [2] ut notarii, sub poena excomunicationis maioris et privationis emolumentorum suorum officiorum, nisi paruerint, officia exercerent et acta causarum et processus vel prope domos vel in ipsis domibus Auditorum tenerent. Obsistentibus notariis, causa exorta est quam Papa Simonettae cardinali definiendam commisit, qui pro Auditoribus anno 1537 pronuncians, notarios iussit Papae mandato parere. [3]

37. – Pius IV in sua constitutione « In throno iustitiae » anni 1561 quoad Rotae notarios eorumdemque officia statuit: « Officia notariorum Rotae non conferantur nisi personis peritis et idoneis quae « per se ipsos illa exercere sciant et exerceant, nisi aliqua causa « impediantur. Nec eo casu officia aliquibus arrendare, aut substitutos deputare valeant, nisi a proprio Auditore approbati fuerint, « qui insuper de officio fideliter exercendo, arbitrio Auditoris cavere « debeant, et pro ipsorum substitutorum facto notarii ipsi quoad « interesse partium, tamquam principaliter obligati omnino teneantur ». [4]

38. – Reliqua prout invenerat, reliquit, ita ut, ipso sedente, singulare factum contigi potuerit quod referre operae pretium est. - Vacante adhuc loco Auditoris Rotae ob Gabrielis Paleotti ad cardinalatum promotionem, e medio sublatus fuit Iulius Spilortius, unus

[1] Vol. III, pag. 253, n. 149.
[2] Ibi, pag. 281, n. 156; pag. 282, n. 157.
[3] Ibi, pag. 284, n. 159.
[4] Ibi, pag. 297, n. 165.

ex notariis qui coram Gabriele scribebant, et scripturi erant coram eiusdem Gabrielis in locum Rotae successore. Cum huiusmodi notariatus officium et ad illud nominatio ad Auditorem spectasset, domini de Rota retinuerunt ius conferendi praedictum officium - vacante adhuc loco Auditoris - devolutum esse s. Rotae Decano. Verum datarius Papae, eo quod loci Rotae vacantia inducta fuisset ob promotionem Gabrielis Paleotti, ratus fuit et mordicus sustinuit ius tale officium conferendi devolutum fuisse ad sanctam sedem. Constanter, etsi cum congruo moderamine, hinc inde dimicatum est, et anno 1562 Auditores articulos dederunt, testibus super controversum ius porrigendos, qui auditi fuerunt reipsa. Sed datarius officium a noviter electo Pontifice Pio V motu proprio conferri sategit. Auditores e contra ab ipso petierunt impetraruntque ut uni vel aliquibus ex s. r. e. cardinalibus committeretur onus sese informandi de praemisso iure conferendi, et Papae relationem faciundi. Et lis definita fuit in favorem Auditorum, quibus novo Motuproprio, Pius V priorem cassavit et annullavit, iura Auditorum in omnibus confirmans.[1]

39. - Soeculo XVII, Paulus V in celebri reformationis bulla « Universi agri Dominici » anni 1611, quoad Rotae notarios statuit, ut ipsi per se idonei forent officium suum exercere, et innovavit Pii IV statutum, quod supra ad verbum exscripsi. Officia vero quod attinet, voluit, notarios Rotae procedere iuxta suam et ceteras Rotae constitutiones.[2] Inter cetera quae in hac sua constitutione Paulus ordinavit, speciali nota dignum videtur, ipsum abrogasse confectionem Registrorum, istis subrogans « *Extractus* simplices et absque termi- « norum extensione, qui in uno Tribunali semel confecti in quibusvis « aliis Tribunalibus, si ad illa transportarentur, plenam fidem facerent « in omnibus ac per omnia perinde ac si essent registra extensa ». Et normis traditis pro scribendis et conficiendis extractibus et, in causis Commissariis, Registris, notarios Rotae iussit, « ultra prae- « missa per eos omnino servanda, rubricationes per se fideliter et « sufficientes facere et correspondentes actui introscripto ». Subsequenti Motuproprio : « Cum nos nuper »[3] taxas notariorum Rotae constabilivit.

40. - Ulteriori autem Motuproprio « Ea quae a Predecessoribus »[4] idem Paulus V ad Rotae notarios extendens statuta Clementis VII

[1] ARCH. ROT., *Ordinationes*, part. II. De Notariis, n. IX; Vol. III, nn. 167 et 168.
[2] Vol. III, pag. 324, n. 197.
[3] Ibi, pag. 327, n. 198.
[4] Ibi, pag. 336, n. 208.

quoad ceteros Urbis et Status ecclesiastici notarios, revocavit quascumque litteras apostolicas Leonis X, Iulii III et Pii IV et aliorum suorum praedecessorum aliaque quaecumque statuta et decreta disponentia, scripturas Rotae non vacare, sed ad notariorum haeredes, vel successores, vel ad collegium notariorum pertinere; statuit ut scripturae et instrumenta in officiis notariorum Rotae facienda, in perpetuum debeant esse unita cum titulo, et cum eo vacent et earum dominium, proprietas et fructus spectent ad Papam et Cameram apostolicam; facultatem notariis Rotae confirmans instrumenta rogandi, iussit quod, occurrente vacatione officiorum, scripturae cum emolumentis et titulo officii vacent 12 pro rata ad favorem Camerae, 12 ad favorem Camerarii, 12 ad favorem Vice-Cancellarii, 12 ad favorem Auditorum, quibus pro tempore spectat illorum collatio simul cum titulo personis a praedictis approbandis respective; concessit tamen unicuique ex notariis ad vitam, pro rata scripturas praedictas et earum emolumenta, sed loco praetii scripturarum et emolumentorum eorumdem, notariis onus imposuit proprio Auditori annuam certam summam pro salario solvendi, hypothecatis ad hoc ipsis scripturis et depositario Camerae (seu capsario) tradendi de bimestre in bimestre annuam summam scutorum 85 pro quolibet notario super emolumentis scripturarum notariorum praedictorum, ex qua summa Montem Pacis erexit cui 777 $^{1}/_{7}$ loca Montium assignavit ad rationem scutorum 100 pro quolibet loco ad rationem scutorum 5 cum quarta parte, ita ut in totum notarii solvere deberent dicto Monti scutata 4080 quolibet anno, hypothecatis nedum scripturis sed et quibuscumque notariorum bonis. Ad favorem notariorum et in sublevamen illorum haeredum constituit ut scuta 6000 monetae dispositioni essent Thesaurarii Camerae, cuius erat officiales Montis Pacis eligere eisque normas pro recta dicti Montis administratione tradere.

41. – Hac Pauli dispositione scripturae et chartae Rotae factae fuerunt publici iuris: eas tamen tradebat sancta sedes notariis pro tempore cum lucris ex iisdem obvenientibus, sibi reservato iure exigendi a notariis annuam summam scutorum 4080 pro Camera et salarium pro quolibet Auditore.

42. – Sed cum per id temporis numerus causarum ad Rotam confluentium minui coepisset, brevi factum fuit ut notarii impares essent tantam pecuniae vim ex emolumentis suorum officiorum et Camerae et Auditoribus solvere: adeo ut anno 1661 Auditores cogitaverint quanam ratione illis potuisset succurri, et insteterint « super

« modo sublevandi dictos Notarios ad effectum quod illi possent « respondere Camerae et solvere onera illis imposita ».[1]

43. – Et modus inventus est a Clemente X qui, anno 1671, Motu-proprio « Romanus Pontifex »[2] suorum praedecessorum abrogatis constitutionibus, notariorum numerum ad 4 vacabilia officia tantummodo reduxit, eos iubens in uno eodemque loco habitare, omnium scripturarum, inibi, archivium unum conficere; oneribus 44 suppressorum notariorum, et honoribus omnibus ac qualitate veteris collegii eis relictis et confirmatis.

44. – Soeculo XVIII, post emanatam constitutionem Benedicti XIII super recta iustitiae administratione in tribunalibus, notariorum Rotae taxae approbatae fuerunt anno 1724. Eas videas in III. vol. n. 408.

45. – Et anno 1739, Clemente XII summo Pontifice, constitutio apostolica prodiit « Romanus Pontifex »[3] qua statutum fuit: *A*) notarios Rotae, qui ab anno 1671 quo eorum numeri facta fuit reductio ad diem 28 aprilis 1728 quo edita fuit constitutio Benedicti XIII, iubentis omnino esse in causis Registrum earundem faciendum, nullum confecerant causarum Registrum, ab onere ea nunc faciendi absolvi debere, dummodo propriis sumptibus quae in unaquaque causa fuerant producta iura, recolligerent et in protocollis redigerent; *B*) Registra causarum quae notarii a die 28 aprilis 1728 ad diem quo emanavit praesens statutum non fecerant, redigere debere infra annum, sub poena 10 scutorum auri, congregationi S. Hyeronimi Charitatis Urbis applicandorum; *C*) Registra causarum in posterum esse facienda in actu expeditionis causarum, vel ad partium requisitionem, et in utroque casu mercedem tantum deberi; et aliis statutis non perpetuis et generalibus, Clemens inibi, in suum accipiens Rotae antea emissum decretum, iussit: *D*) non esse subscribenda dubia causarum, sub poena nullitatis, nisi fides notarii gratis omnino danda, in scriptis praecesserit in qua de citationibus, actorum processuum seu extractuum et iurium transportationibus seu repetitionibus fieret attestatio; demum *E*) causarum renunciationes fieri posse ad libitum litigantium vel coram notariis Rotae, vel cuiuscumque alius tribunalis, dummodo hoc casu fides authentica renunciationis emissae infra 15 dies exhiberetur notario Rotae qui in illa causa scripsit.

46. – Benedictus XIV, anno 1747 volens ut tandem aliquando conquiesceret controversia notarios Rotae inter et scriptores archivii

[1] Vol. III, pag. 409, n. 303.
[2] Ibi, pag. 415, n. 316.
[3] Ibi, pag. 509, n. 412.

romanae curiae, constitutionem edidit « Iustitiae et pacis »[1] qua statuit quaenam dicendae et habendae forent causae rotales in Rota tractandae et in quibus exclusive Rotae notarii scribere deberent, quaenam vero causae praelatitiae; in his scribere semper debere notarium archivii iussit Benedictus, etiamsi committerentur Auditoribus Rotae dummodo tamen ipsis, extra Rotam non uti Auditoribus sed uti Praelatis committerentur.

47. – Cum autem Rotae notarii gravissimo onerarentur aere alieno tum erga apostolicam Cameram, tum erga Auditores Rotae quibus solvere debebant scutata annua 1152 ex fructibus et emolumentis suorum officiorum, idem Pontifex anno 1750 voluit ut notarios ex omnibus suorum officiorum proventibus unam communem massam conficerent, in apostolica Camera depositandam et custodiendam ab constituto depositario cui onus incumberet Rotae tribuendi annuam summam, et Camerae nedum annuum currentem censum, sed et tantam quolibet anno pecuniae vim qua, quamcitius fieri potuisset, antiqua debita notarii extinguerentur.[2]

48. – Talem massam communem fecerant iam antea notarii ab anno 1733 ad annum 1738 et sic tunc temporis debita quibus gravabantur extinguere potuerunt: sed cum illa massa approbata non fuisset ab superioribus, fuerat soluta: ad illius tamen formam, novam massam communem voluit Benedictus XIV fieri in perpetuum, quod factum fuit.[3]

49. – Anno demum 1772, constitutione « Licet curandum »[4] Clemens XIII ultimam dedit notariis et eorum officiis ordinationem, quae, exceptis parvi momenti mutationibus soeculo XIX a Gregorio XVI inductis, ad diem viguit 20 septembris 1870.

50. – Ipse igitur, confirmata absolutione super non confectis causarum Registris et omissa actorum custodia, confirmata massae communis erectione ob quam necesse amplius non erat acta unius causae ad alium notarium deferre quoties turni mutatio contingeret, approbavit novam methodum in curiam introductam scribendi cuiuslibet causae acta secundum ordinem in seiunctis foliis, seu *quinterni*, quae, exacto anno, in Protocollis seu Broliardis cum *Indicibus* redigebantur.

51. – In Broliardis, describendi erant sequentes actus, nempe: commissiones omnes; subrogationes; sententiae; decreta definitiva;

[1] Vol. III, pag. 523 ssq., n. 421.
[2] Ibi, pag. 538, n. 425.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, pag. 585, n. 468.

appellationes ; renunciationes ; intimationes ; interpellationes ac id omne quod ad acta et iudicii ordinem pertinuisset.

52. – Documenta et iura producta, iussit Clemens XIII esse asservanda in distinctis fasciculis, facta super iis brevi eorum quae continebant inscriptione ac etiam apposita data.

53. – Voluit ut, cum non raro contingeret quod causidicis commodarentur documenta et acta causarum originalia, liber conficeretur qui audiret *Accomodatorum* in quo summa diligentia adnotarentur acta accomodata, data accomodationis, nomen accomodatarii.

54. – Registrum causarum faciendum esse statuit, expeditis causis infra bimestre, et post exactum annum completum esse debere. In Registro, incipiendo a praesentatione commissionis usque ad sententiam diffinitivam et appellationem vel renunciationem omnia acta erant exscribenda, sed non amplius ex integro, uti antiquitus, verum simpliciter indicando acta cum relatione ad folia Broliardi in quibus dicta acta per extensum descripta iacebant. Statuit insuper non ideo minui debere mercedem pro confectione Registrorum statutam in taxis rotalibus.

55. – Praecepit, acta esse ad archivium reponenda in fasciculis separatis quibus singulatim titulus apponeretur. Ideo archivium rotale notariorum chartas ita distributas asservat, nimirum : positiones – iura diversa, seu acta et iura originalia producta in causis – Protocolla actorum seu Broliarda, seu Manualia citationum - sententiae - peritiae - commissiones - subrogationes.

56. – Ordinavit praeterea, visitationem quolibet anno peragi debere a Decano et duobus senioribus Auditoribus una cum depositario Rotae - qui ex hoc dictus fuit etiam *Secretarius Rotae* - officiis notariorum post ultimam Rotam Quadragesimae, instantibus feriis Paschatis.

57. – Confirmavit denique decretum Clementis XII de producendis actis et iuribus ante dubiorum subscriptionem tum in causis appellationis, quum in causis primae instantiae, in quibus novissimis praecedere debebat citatio *ad dicendum contra commissionem et contra iura producta.*

58. – Demum abrogavit Clementis XII statutum, quo validae retinebantur renunciationes factae etiam post publicatas decisiones vel quoque sententias, coram quovis notario, iussitque eas necessario deinceps emitti coram Rotae notario, ita ut si secus fierent, pars victrix libere posset procedere ad expeditionem causae iusque haberet plenum repetendi expeditionis expensas, additis clausulis quae in tenore constitutionis legi possunt.

59. - Hisce de officiorum praxi constitutis, Clemens XIII suppressit et abolevit *venalitatem officiorum*, statuens ut deinceps notariatuum officia, quae antea consequi non poterant nisi 120 scuta solvendo eis qui iure conferendi gaudebant, *gratuito prorsus ad vitam* concederentur, non amplius ab Vice-Cancellario, vel s. r. e. Camerario, vel Auditoribus, sed dumtaxat ab apostolica Camera, cui applicavit et appropriavit omnes fructus, redditus, proventus, iura, emolumenta quaecumque ad ipsa officia vel ad eorum exercentes spectantia.

60. – Et statuit: Thesaurarius generalis Camerae unam vel plures personas idoneas praesentet Decano Rotae ad munus primi notarii qui ceterorum praeses et arcarius omnium emolumentorum esse debebit; Decanus praesentatas personas examinet ad formam constitutionis Pauli V super experientia et idoneitate exercendi officium tabellionatus: si una vel plures personae approbatae fuissent, vel approbata, vel ex approbatis quae Thesaurarius praeeligeret, in notarium, praesidentem et arcarium deputanda erit. Huic Decanus Rotae litteras patentes approbationis dare tenebitur.

61. – Notario praesidi concredidit munus conficiendi elenchum generalem omnium librorum et fasciculorum scripturarum et documentorum ac processuum ac Registrorum continentium acta coram iudicibus in praecedentibus instantiis facta quae vocabantur: *Protocolli, Filze ed estratti* ac omnium ceterarum chartarum in officiis existentium: ac sub initio cuiuslibet anni similem alium elenchum novarum rerum quae per praeteritum annum vel actae vel deductae ad officia fuerunt. - Praeterea curam illi iniunxit, officia rotalia ad omnium commodum patentia tenendi singulis non feriatis diebus vel etiam feriatis, dummodo pro Rota iuridicis ab hora qua pulsabatur campana Camerae apostolicae tum matutina usque ad meridiem, tum vespertina usque ad solis occasum. - Insuper eumdem facultate donavit adigendi ceteros notarios et ministros ad propria munera diligenter explenda, impositis etiam pecuniariis mulctis, inter diligentiores, arbitrio suo, distribuendis.

62. - Eidem insuper, qua arcario, imposuit onus librum conficiendi in quo dietim propria manu expensas et introitus adnotaret, cum obligatione rationes Thesaurario Camerae reddendi quolibet anno.

63. – Notarius praeses eligendi, praevia Thesaurarii scientia, tres alios notarios, eos praesentando Rotae Decano a quo examinari et approbari ac litteris patentibus donari debebant, iure fruebatur.

64. – Munus quatuor notariorum fuit scribendi acta causarum in Rota pendentium iuxta alphabeticam coordinationem, desumptam ex

titulis causarum et in quatuor partes divisam: prima erat a litera *A.* usque ad *E.* inclusive; secunda, a litera *F.* ad *O.* inclusive; tertia, ex litera *R.* tantum constabat; quarta, a litera *P.* ad alphabeti usque finem. Impeditus, aut alio divertens notarius quilibet, opem alterius ex notariis implorare poterat.

65. – Et unicuique notario proprium habere librum *Receptorum* in quo singulas et omnes adnotaret summas dietim in expeditionibus causarum aut aliunde perceptas, habita tamen relatione ad librum *Computorum* ubi calculus omnium describebatur, quique a notario praesidente custodiebatur, praecepit.

66. – Alius quoque liber erat conficiendus, inscriptus: *Liber incertorum* in quo describendum erat quidquid incertorum emolumentorum perciperent notarii, ceu v. g. viatica, strenae, et quodlibet simile aliud emolumentum. Hic liber etiam asservari debebat a notario praeside. - Haec et alia minoris momenti ex integro legi possunt in ipso tenore constitutionis in III huius operis volumine sub n. 458.

67. – Quibus statutis addit Clemens, unum adesse debere in officiis rotalibus notariorum substitutum, unum Adiutorem, unum novitium seu iuvenem: substituti erat citationes coram tribunali Signaturae Iustitiae legere, ac cumulative cum adiutore et novitio, acta, regestra, copias conscribere. Ex istis uni demandabatur a praeside cura exigendi taxas. Quod si omnes hi officiales aliis detinerentur, poterat praeses opera amanuensium uti, mercede istis quoque a Thesaurario generali Camerae constituta.

68. – Substitutus, adiutor et novitius, ceu notarii, proponendi erant, praevia scientia Thesaurarii, a notario praeside Rotae Decano, ab hoc examinandi praecipue super praxi et stylo notariorum et adprobandi.

69. – Omnibus tum notariis, tum ceteris, ius fecit Clemens adscendendi ad altiorem gradum, ut ecce si notarius praeses obiisset, primus notarius fieret praeses, substitutus fieret quartus notarius, Adiutor fieret substitutus, et novitius fieret adiutor. Hinc noviter admittendus esset novitius.

70. – Soeculo XIX haec quoad officialium numerum et seriem ordinatio aliquam immutationem passa est sub Gregorio XVI post ab eo editas novas leges: ipse enim voluit ut duo adessent substituti, et loco adiutoris et novitii, duo *scriptores*. [1]

[1] Cfr. vol. III, pag. 643-644, nn. 536, 537.

71. – Ceterum, Clemens XIII in praecitata constitutione sartum tectumque ius Auditorum servavit recipiendi a notariis annuam summam scutorum 1152, et scut. 120 pro qualibet novi notarii admissione, semel solvendam. Has summas a Thesaurario certa methodo solvendas esse statuit.

72. – Rotalia officia et officiales quoad ea quae iustitiam respiciebant omnino subdidit iurisdictioni Auditorii Rotae: quoad ea quae administrationem pecuniarum concernebant, iurisdictioni Thesaurarii generalis Camerae.

73. – Denique notariis Rotae facultatem fecit sese rogandi nedum in Rota sed in quibusvis aliis, qui subscribere sese debebant *N. N. unus e Collegio Notariorum Rotae*.

74. – Stipendium notarii nullum unquam habuere certum, sed ex emolumentis officii vixerunt. - Ast novissimis Rotae tempestatibus, cum ob diminutum causarum numerum, ob onera eis imposita, ob vicissitudines temporum, ex eis vivere non potuerint, eisdem aliquod certum stipendium menstruum fuit constitutum.

75. – Hinc, soeculo XIX, cum Gregorius XVI suo « Regolamento » diei 15 novembris 1831 praefixerit quas et quantas pecunias possent notarii exigere pro iudicialibus actis, hasque constituerit admodum inferiores antiquis, ad petitionem notariorum Rotae, eisdem concessit 50 scutata menstrua: 25 duobus substitutis: 10 primo scriptori et 6 alteri scriptori, praeter emolumenta, iuxta « Regolamento » exigenda.

76. – Huc cum sermo pervenerit, operae praetium est animadvertere inter notarios Rotae fuisse accensitos etiam episcopos, quum notarii Rotae in maximum fastigium honoris et divitiarum venissent sub Alexandro VI et illius immediatis primis successoribus. [1] Ast avaritia et superbia, cum ignorantia saepius coniunctae - uti fassus est Leo X [2] - causae fuerunt cur usque notarii Rotae parum vel nil splendoris Rotae auditorio addiderint. In *Libro Rotae* n. 4 et in libro *Admissiones Notariorum* ediscere est quales fuerint novissimi Rotae notarii et officiales. Equidem omni laude dignus emicat Laurentius Alibrandi, qui rotalis archivii primam reordinationem fecit et secundae adstitit, notariorum praeses.

[1] Vol. III, pag. 282-283, n. 157.
[2] Ibi, pag. 253-254, n. 149.

CAPUT XXIV.

De Advocatis, Procuratoribus, Agentibus, Sollicitatoribus, Traductoribus seu Interpretibus.

1. – Prouti quodvis aliud huius mundi tribunal, Capellanorum Papae et apostolicae sedis Auditorum causarum s. p. a. seu s. r. Rotae tribunal suos habuit advocatos. Hi immo ipsis Auditorum nostrorum incunabulis adstiterunt, cum eorum professio in viridissima observantia fuisset praesertim quum curia romana ortum habuit, quando scilicet - uti retuli in cap. II, 8, pag. 6 - religiosae personae claustra deserebant, intuitu tam in ecclesiasticis quam in civilibus tribunalibus munia exercendi iudicum vel advocatorum.

2. – Verum, sicut hoc in dubium revocari, ita nequit historicis testimoniis constabiliri, utrum hinc a remotissimis illis tempestatibus Capellani Auditores nonnisi a se specialiter adprobatos advocatos ad causarum coram se patrocinium agendum admiserint, prout novissimis Rotae soeculis fuit positum in more: quamvis, quidem, istius postremi moris existentia iam satis innuat, illum hinc a principio viguisse, ita et tribunalis supereminenti excellentia et causarum in eo agendarum summa difficultate exigentibus.

3. – Profecto, per id temporis quo sive separatim sive coniunctim et collegialiter, in ipso Papae consistorio et cum Papa causas tractarunt Capellani Auditores nostri, coram se de iure non alios nisi consistoriales advocatos admittere ad patrocinum ipsi potuerunt. Ideo consistoriales advocati nativo iure usque potiti sunt causarum rotalium patrocinium agere, quin ulla indiguissent speciali adprobatione Rotae. - Quod certe, novissimis saltem tempestatibus, contigit etiam quia advocatorum sacri consistorii albo non inscriberentur, nisi qui, antea a Rota approbati, advocati muneri cum laude incubuissent.

4. – Utcumque; Benedictus XII, anno 1340, constitutione « De- « cens et necessarium » complura statuit, quibus qui in r. curia officium advocationis assumpturi forent, deinceps discreto et optimo ordine dirigerentur.

5. – Constitutio haec, altera fuit ex iis quae die aperitionis Rotae quotannis legebantur: illius tenor iacet in meo III volumine pag. 82 ssq. n. 54. Legenti placet ea edoceri de ratione qua in consistorio causae discutebantur: sed cum eam per extensum legere sit loco citato, heic in summa referenda non sunt, nisi praecipua et generalia.

6. – Igitur, voluit Benedictus, 1° matriculam advocatorum esse, cui si quis inscriptus non foret, ad patrocinandas causas in consistorio admittendus non esset, nisi de speciali licentia Papae ; 2° unumquemque advocatum saltem unam causam pauperum, gratis patrocinandam, in unoquoque consistorio proponere ; 3° advocatos, iussa constitutionis non facientes, vel alias male causas patrocinantes, puniendos esse a Vice-Cancellario, si causa esset concistorialis, vel ab auditore, si causa ab hoc videretur ; 4° advocatos seu procuratores iuramentum de munere fideliter exercendo praestare ; 5° denique, in causis consistorialibus a Vice-Cancellario, in aliis ab auditore, faciendam esse distributionem advocatorum, ut unaquaeque pars litigans, posset patrocinio frui peritiorum advocatorum. - Et taxas statuit pro advocatis, ratione habita variarum instantiarum, generis causarum, earumque difficultatis etc.

7. – Martinus V, anno 1418 - constitutione « In apostolicae » statuit : « nullum esse ad publicum procurationis officium de cetero « admittendum, nisi in eodem officio in dicta curia fuisset exer- « citatus, aut in iure canonico graduatus, ac de diligentia, fidelitate « et probitate commendatus, et super his et aliis ad huiusmodi officii « exercitium necessariis per Vice-Cancellarium uno vel duobus ex « Auditoribus et totidem ex Advocatis (consistorialibus) ad id vocatis « et praesentibus fuerit diligenter examinatus et repertus idoneus ».

8. – Insuper eisdem advocatis vetuit quominus essent in verbis iniuriosi, causas iniquas aut desperatas defendendas susciperent, eas malitiose protraherent, aut materias inutiles seu inadmissibiles aut non veras producerent : « quod si quis ... in hoc culpabilis repertus « fuisset, per causae Auditorem ..., vel si hic neglexisset per Vice- « Cancellarium vel eius Locumtenentem, quando sibi de hoc consti- « tisset, perpetuo vel ad tempus, prout casus exigeret, a procura- « rationis officio in dicta Curia suspenderetur, aut alias secundum « casus exigentiam per praedictum Vice-Cancellarium vel Locumte- « nentem puniretur ». Et alia statuit ad reprimendas advocatorum fraudes.

9. – Denique, eisdem praecipiens ut habitu, conversatione vitae et in moribus graves et honesti essent, vetuit quominus, constituti in sacerdotio aut obtinentes dignitates vel personatus in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis, ad advocationis seu procurationis officium admitterentur aut tolerarentur. - Eisque taxam honorariorum praefixit.

10. – Et antequam ista de advocatis curiae lege cavisset, idem Martinus in eadem constitutione statuerat quamplura et graviora ac

singularia de advocatis consistorialibus, quae heic non multum utiliter referrentur, quaeque legere est in eiusdem constitutionis tenore sub §§ 28 et 29, pag. 103-104 mei III voluminis.

11. – Idem Martinus V, alia sua constitutione anni 1424 « Romani « Pontificis »[1] praedictis addidit, advocatos gratis scribere et patrocinari in pauperum causis debere, ad id per Auditorem, coram quo unaquaeque causa pendebit, remediis opportunis compellendos.

12. – Praeterea prohibuit quominus advocatus qui uni parti consilium vel patrocinium semel dedisset, adversae parti postea in eadem causa consilium vel patrocinium daret, nisi certis in adiunctis ad id cogeretur ab Auditore. « Et si contra praemissa fecisset (advocatus) « excommunicationis sententiam et alias poenas iuris incurrat ac suo « privetur officio ad interesse partis nihilominus condemnandus ».

13. – Iussum mitigavit quoad examitores Advocatorum, quatenus examinandos hos esse sanxit ab Vice-Cancellario, vel, in genere, a deputandis ab eodem Vice-Cancellario.

14. – Paulus V in sua reformatione anni 1611 « Universi agri « Dominici » constituit, consanguineos et affines usque ad secundum gradum cuiusvis iudicis coram quo causa penderet, ad eiusdem causae patrocinium non posse neque debere admitti.

15. – Hae praecipuae fuerunt quoad advocatos canonici legislatoris providentiae, quibus tamen quamplures accesserunt quae communes iisdem advocatis ac procuratoribus constitutae sunt, quas agens de procuratoribus infra innuam.

16. – Porro harum observantia neque constans neque per tempora admodum rigida fuisse videtur. Nam magnitudo potestatis Vice-Cancellarii sensim sine sensu quum descivit, eidem onus examinandi per se vel per alios advocatos qui in Rota admissuri forent ad patrocinium causarum agendum, subtractum fuit, idque Rotae Decano tributum. Quinimmo, uti testatur Emerix in sua *Praxi* (tit. XXXIV), soeculo XVII « nemo debebat ... se subscribere tamquam advocatus « nisi prius idoneitatis suae experimentum dedisset, *et desuper prae-* « *cipue in Rota, a Rmo Decano licentiam* obtinuisset, quam tamen « sine difficultate benigne cuilibet largiri solebat ».

17. – Et non defuerunt Decani qui nimia benignitate omnes indiscriminatim ad scribendum in Rota admiserint, prout egit Albergatus, Decanus, per 18 annos quibus sedem decanalem tenuit.[2]

[1] Vol. III, pag. 107, n 63.
[2] Cfr. vol. III, pag. 449, n. 363.

18. – Non ita tamen novissimis Rotae temporibus contigit, quum examini poscentes in advocatum assumi omnino subiiciebantur. [1]

19. – Et mos fuit, ut nemo titulo Advocati decoraretur, nisi prius tamquam Procurator saltem semel scripsisset et informasset. [2]

20. – Ab onere tamen examen subeundi, eximebantur ii qui penes aliquem ex Auditoribus *Secretorum* munere functi per triennium fuissent. [3]

21. – Denique, saepius debuit Rota abusus advocatorum, decretis data occasione latis, compescere. Horum - ne sim infinitus neque chronacam potius quam historiam agam - memorabor tantum unius, nempe quod advocati scripturas defensionum sua manu subscriberent.

22. – Advocati dumtaxat erat *in iure* patrocinari; nam *in facto* scribebant procuratores, eorumque munus in eo praecipue consistebat « quod iura Partium rite, modeste et fideliter exponant, nemini « dent consilium in movendis vel tuendis litibus iniustis, ut in suis « allegationibus sint breves et accurati, nimiumque non excurrant, ut « in scribendo et informando se contineant intra limites defensionis « causarum et non evagentur ad extranea, quae Iudicem, Partes vel « ex adverso scribentes laedere seu quoque modo offendere possint.

23. – « Illorum honorarium ... licet non haberet certam taxatio- « nem, ordinarie non excedebat iulios 24 pro qualibet Informatione, « Responsione et Replicatione tam in voce, quam in scriptis, quam- « quam viri Magnates, aliique ditiores pro quolibet laboris et causae « intuitu hunc modum plerumque excederent ». [4]

24. – Paucis istis de « advocatis » relatis, subnectam, advocatis consistorialibus in informationibus, prae ceteris rotalibus advocatis, aliqua honoris specialia signa solemne fuisse tribui a Rotae Auditoribus. Quae tamen eisdem advocatis data non amplius fuere quum exarsit eos inter et Auditores celebris controversia, cuius testimonia iacent in III volumine sub nn. 386, 387, 388, 389, 390, 411, 420, etc.

25. – Procuratores vero quod attinet, cum illorum officium fuisset « iura Partium in facto deducere et per se, vel sollicitatores suos « exacte curare ut processus qui in Curia fiebant rite, recteque insti- « tuerentur, et illos qui de partibus transmittebantur, diligenter videre « et examinare; summaria, informationes facti, Memorialia, Positiones, « Articulos, Interrogatoria coeteraque conficere quae ad rectam cau-

[1] *Diaria,* passim.
[2] Ibi.
[3] Cfr. superius cap. XXI, 6: vol. III, pag. 652, n. 550; pag. 685, n. 571.
[4] Emerix, *Praxis,* tit. XXXIV.

« sae instructionem pertinebant », [1] necesse fuit ut multiplicibus legibus moderarentur, nedum ad ea quae facienda erant rite, veluti lege manuducerentur, sed praecipue ad vitanda quae non erant facienda – ad quae tamen continua cum partibus et cum notariis consuetudo eos allici facillime poterat - arcerentur.

26. Hinc eaedem ipsae leges quas superius de advocatis tractantes expendimus, et procuratores ligarunt. Omnes vero eas breviter innovavit prius Leo X in constitutione « Pastoralis officii » anni 1513 sub §§ 29 et 30 [2] et serius Paulus V constitutione anni 1611 « Uni- « versi agri Dominici ».

27. – Iusserunt itaque et Leo et Paulus, hos solum ad procurandum in Rotae auditorio admittendos fore qui doctrinae, practicae et morum examen subiissent et per Rotae Auditores adhibitis duobus vel tribus antiquis procuratoribus vel etiam a procuratorum collegio deputatis, super his universis approbati fuissent: quos, si idonei reperti non fuissent a praedictis examinatoribus a procurationis officio repelli mandarunt.

28. – Iisdem inhibuerunt omnia quae fraudem saperent, et praesertim officia notariorum Rotae non emere aut in eis partem habere, cum notariis non pacisci praetia Registri et similia. Paulus V insuper vetuit ne procuratores diebus studiorum, ad Auditores vel eorum studia accederent, sed tantummodo accederent ad informationes faciendas statuto tempore.

29. – Legi procuratores examinandi antequam ad scribendum in Rota admitterentur, satis rigide paritum fuisse ante Clementem XIV videtur, quamvis sciamus non semper neque omnium procuratorum examen peractum fuisse. [3] Clemens XIV sua constitutione « Cum pri- « mum » legem examinis innovans, Auditorum sedulitatem civit ut ab hoc examine perficiendo semper et in omnibus non desisterent. Et reipsa ita factum deinceps est. Immo anno 1851 sacrum tribunal statuit, examina pro consequendo nomine advocati bis in anno esse facienda, nempe feriis paschalibus et tempore potionum; pro admissione semel, tempore earumdem potionum. [4]

30. – Emerix tradit quanam ratione informassent procuratores: « In informationibus - inquit - ipsum factum breviter referunt; deinde « per partes explanant ac iuribus, auctoritatibus ac rationibus tam

[1] EMERIX, *Praxis*, tit. XXXV.
[2] Cfr. vol. III, pag. 253 ssq., n. 149.
[3] Ibi, pag. 449, n. 363.
[4] Ibi, pag. 598 ssq., n. 471-8, et pag. 686, n. 574.

« sapienter muniunt, ut saepius alterius Advocati opera necessaria « non sit ». [1]

31. – Et scite animadvertit, bene scripsisse Lotterium [2] procuratores dici posse advocatos, nam inter hos et illos hoc discrimen intercessit, quod advocati quasi consilii, procuratores quasi patrocinii gratia erant ad causam vocati: unde passim in curia procuratores appellabantur *causarum Patroni*,

32. – Patronorum operae, uti et advocatorum, honorarium ad amussim in constitutionibus praefixum non fuit, sed plus minusve eadem moderatione gubernabatur ac honorarium advocatorum.

33. – Ast anno 1834 in *Editto* lato ab eñio cardinali Gamberini, sub § 517 ad amussim *in scutis* et *baiocchis* praefiniuntur honoraria patronorum pro quolibet actu ab eis posito in patrocinio causarum coram s. Rota; uti sub § 461, honoraria advocatorum statuuntur: moderata admodum pro utriusque generis causidicis, quamvis aliquantulum altiora iis quae inibi constituuntur pro opera ab eis praestita coram ceteris tribunalibus tum status ecclesiastici, tum Urbis.

34. – Clemens XIV sua superius citata constitutione advocatos et procuratores subiectioni et correctioni auditorii Rotae subiecit, facta eidem auditorio facultate eos poenis mulctandi ubi legibus tum generalibus tum specialibus ab Rota circa modum scribendi, causas tractandi atque in causis agendis, latis, non parerent. [3] Et reipsa Auditores non semel advocatos et procuratores ab sui muneris exercitio suspendisse persuasum est. [4]

35. – Edictum, autem, cardinalis Gamberini § 228 statuit: « I « tribunali di appello di Bologna e di Macerata e quello della sacra « Rota, avranno soli il diritto di ammettere gli Avvocati ». Et in sequentibus §§, statutis requisitis necessariis ut quis titulo advocati decorari potuisset, § 236 decernit: « Per l'ammissione degli avvocati « presso il tribunale della sacra Rota, saranno osservate le disposi- « zioni prescritte dalle leggi e dai regolamenti vigenti nel detto tribu- « nale. - Gli avvocati ammessi dalla sacra Rota, conserveranno il « diritto di difender le cause avanti tutti i giudici e tribunali dello « Stato », ac iniunxit, ibi § 238: « Gli Avvocati di Roma continue- « ranno a portare l'abito di cui si servono attualmente ».

[1] *Praxis*, l. c.
[2] *De re beneficiaria*. Apparat.
[3] Citat. n. 471-8.
[4] Vol. III, pag. 616, n. 484.

36. – Quoad procuratores sanxit servandas esse regulas tribunalis hucusque vigentes (§ 254); rescripta Rotae, vel sententias suspensionis aut rehabilitationis Procuratorum exsecutiva esse in universa pontificia ditione (§ 275); ac, demum procuratoribus esse imputandum ac ideo eos puniendos, si quid iniuriosum ac probrum in adversarium pars una litigans vel per se, vel per advocatos scripsisset (§ 276).

37. – Triplicis generis in curia fuisse procuratores, tradit in sua *Praxi* Emerix: [1] eos nimirum qui collegium procuratorum causarum palatii apostolici efformabant; eos qui, etsi admissi ad scribendum in Rota, dicto collegio tamen adscripti non erant; ac demum eos qui neque collegio adscripti, neque in Rota ad scribendum admissi, coram inferioribus tribunalibus operam suam navabant.

38. – In pluribus Rotae collegium Auditorum relationes cum procuratorum collegio fovit: nedum enim aliqui ex eis cum Rotae Decano examina perficiebant ad officium procurationis admittendorum - uti superius innuimus - sed per eorum decanum invitabantur ad funus quod quotannis celebrari solemne fuit pro Auditoribus Rotae defunctis; cavalcatae in Rotae aperitione intererant, et nonnunquam in iis quae stylos Rotae iudiciarios concernebant a Rota consulti fuerunt. [2] Quinimmo Decano Rotae aliqua competebant iura in idem patronorum collegium, de queis memoria fit in adnotationibus *Diariorum*.

39. – Cum autem procuratores nimiis ut plurimum gravarentur occupationibus, suorum amanuensium iuvenum opera uti solebant ad minora in causis acta explenda. Hi vocabantur *Sollicitatores*, qui ab superioribus auctoritatibus admittebantur, et quorum mentio in ipsis summorum Pontificum constitutionibus occurrit non semel.

40. – Denique *Agentes* dicti sunt illi qui cum « Partibus absentibus « habebant commercium litterarum et ab eis transmitti curabant iura, « et pecunias necessarias cum quibus Iudicibus sportulas, Advocatis « Procuratoribus et Sollicitatoribus honoraria et mercedes persolve- « bant ». [3]

41. – Suos etiam Rota *interpretes*, seu *traductores* habuit, quorum erat in latinum vel italicum sermonem reddere causarum acta, externis idiomatibus exarata. Istorum nominatio in vim latarum sub die 2 augusti 1849 legum iudiciali actu tribunalis perficienda erat ac nominatorum nomina inserenda elencho interpretum a Decano

[1] EMERIX, *Praxis*, tit. XXXV.
[2] Ibi, l. c., et cfr. vol. III, pag. 451, n. 369; pag. 659, n. 565; etc.
[3] Ibi, l. c.

concinnando.[1] Ex interpretum quotquot fuerunt nominibus, Diarium Decanale nomen indigitat Iosephi Stoffer qui die 21 novembris 1851 ad munus fuit interpretis admissus pro linguis gallica, alemanna et britannica: et cuiusdam Manlii De Angelis, cui die 23 ianuarii 1852 denegavit sacrum tribunal confirmationem illi factae anno 1848 nominationis, quippe quae « colpita dalla Legge 2 agosto 1849 ... ».[2]

42. – Quamvis Rotae committi possent etiam post benedictinam constitutionem « Dei Miseratione », causas matrimoniales et reipsa illi aliqua ex iis causis commissa fuerit, Rota tamen nunquam habuit certum sacri vinculi Defensoris officium: sed cum casus tulisset, unus ex celebrioribus curiae advocatis assumebatur in vinculi defensorem, uti ex *Diariis,* praesertim *Libro Rotae,* colligitur.

De iudiciaria praxi Capellanorum Papae Auditorum causarum S. P. A. seu S. R. Rotae.

CAPUT XXV.

Generalia.

1. – Tempus est nunc ut quae iudiciariae praxeos Capellanorum Papae, Auditorum causaram s. p. a., seu sacrae romanae Rotae, fuerunt narratione tradamus: narratione, inquam, cum mihi non de rotalibus iudiciis tractatum, sed historiam agere sit constitutum.

2. – Porro omnia ad amussim quae eorumdem iudiciorum per aevi spatium quo Capellanorum nostrorum tribunal in exercitio fuit, referre, neque mihi possibilitas, neque vanitas est: nimia enim documenta hodie desiderantur ex quibus elici licuisset omnis temporis et uniuscuiusque causae rationem procedendi qua usi fuerunt Capellani Auditores, sive processerint in vim iuris communis iuxta illius vigentem pro tempore interpretationem, sive in vim specialium Papae commissionum. Duo enim explorata sunt, videlicet varias variis temporibus ius commune recepisse interpretationes, et Papae, qua supremo Ecclesiae Principi, potestatem fuisse iubendi in unaquaque causa ordinem iudiciarium quem mallet, omnino ab delegato iudice sequendum.

[1] Arch. Rot., *Liber S. Rotae,* n. 4, pag. 485, die 21 nov. 1851; pag. 203, die 23 ianuarii 1852.

[2] Ibi, l. c.

3. – Itaque, ne in vanum tempus et opera impendantur, solis certis et firmioribus insistentes, animadvertamus iudiciariam Capellanorum Auditorum praxim in duplicem historicum periodum posse in genere dispesci, in illum scilicet, ab illorum initiis ad viennense concilium, initio pontificatus Clementis V, effluxum, et in illum qui postea ad diem usque 20 septembris 1870 duravit, salvis tamen immutationibus, anno 1821 pro causis ad commercium attinentibus a Pio VII, et pro causis appellationum Romae et pontificiae ditionis a Gregorio XVI, annis 1831-1834, inductis.

4. – In primo – nisi in particularibus casibus alias Papa ordinasset – rigorose iudiciorum ordo, romanis Iustinianei Codicis legibus constitutus servatus fuit, paucis insuper servatis stylis longaevi temporis usu in causis inolitis: et per id temporis omne studium cunctaeque discussiones eo spectarunt ut genuinus legum sensus et extensio determinarentur, ut iisdem apprime et scite quotidiana iudiciorum praxis aptaretur.

5. – Attamen, cum manibus veluti contrectaretur, iuris solemnitatum observantiam in infinitum causarum tractationem producere, cum iustitiae et temporis et pecuniarum laborisque litigantium irrationabili dispendio, iam ex tunc multa excogitari coeptum est quibus fierent expeditiora iudicia, salva pro posse iuris ordinationum observantia. Huc quidem spectarunt variae iudiciorum formae a Papa in specialibus commissionibus statutae, quarum vestigia facile reperiuntur in relative paucis Capellanorum nostrorum actibus qui romanorum Pontificum Regestris inserti reperiuntur. Ast, denique, persuasum habuerunt Papae utile quidem esse iudices et litigantes ab observantia iuris solemnitatum solvere, causas frequenter committendo cum clausula: «*simpliciter et de plano, sine strepitu iudicii et figura*», quam ante finem soeculi XIII non semel in commissionibus appositam reperimus.

6. – Et ita quidem via complanata est vere magnae reformationi quam Clemens V in viennensi concilio perfecit, constitutione: « Dispendiosam » cuius verborum significationem bene definiit constitutione « Saepe contigit », data Avenione XIII kal. decembris, pontificatus sui anno secundo.

7. – Hisce constitutionibus, quarum tenor mox exscribam, paucis ex iudiciorum substantialibus servatis, cetera iudicis arbitrio remittuntur; quinimmo eiusdem iudicis arbitrio libertas fit iuris solemnitates vel in toto vel ex parte servandi, si tamen partes litigantes non contradixissent, nedum in illarum causarum generibus quae constitutione « Dispendiosam » apprime definiuntur, sed et in iis omnibus causis

quae Papae commissione delegatis iudicibus committi contingerent, eadem iudiciali procedendi ratione tractandis.

8. – Alter ideo aevi periodus ita initia sumpsit, quo iudiciaria Rotae praxis effigi ex novo debuit, prouti reipsa laboriose et pedetentim, per XIV et XV praesertim soecula, factum fuit, in aliquibus stricte antiquas Codicis leges observando, in substantialibus adamussim clementinae ordinationi adhaerendo, in coeteris vero sese evolvendo iuxta in dies liberiorem illam iuris interpretationem quae nostrorum temporum liberas iudiciarias institutiones progenuit ac paravit. Et per id aevi, studium omme omnesque discussiones in eo fuere, ut iudicis arbitrium ea ratione moderaretur, ut, illius salva libertate, nihilominus iudiciorum praxis efformaretur supra solidam iuris basim fundata, constans, ac, pro posse, expeditior.

9. – Itaque primo periodo Papae in quibus a constituto iuris communis ordine iudiciorum esse recedendum, vel eidem pressius adhaerendum ut determinarent, studuerunt; in altera, autem, qualis ex inductis stylis esset pontificiae firmitatis robore per apostolicas constitutiones constabiliendus invigilarunt. Et ideo, dum primo – iuris custodes – iudicia Capellanorum suorum coram sese in consistorio perfici sui numeris esse duxerunt, post latas Clementis V praefatas constitutiones, rationi congruere rati sunt, libere liberos iudices iudicia perficere extra consistorium, sedulo tamen semper aut per suam Cancellariam, aut (serius) per suam Signaturam speculantes, ne Capellanorum pronunciationes contra iudicialem inductam et firmatam praxim utcumque procederent.

10. – Haec igitur cum fuerint, earum historiam agens, perspicuitati consulam 1° quam brevi antiquas iuris solemnitates iudiciorum referens; 2° Clementinas ordinationes ad verbum recolens, indigitans tamen quae adhuc observanda ex antiquis reliquerint; 3° denique seorsim in specialibus capitibus de iis disceptans quae styli Rotae fuerunt, ea praesertim de unoquoque animadvertens quae novarum apostolicarum constitutionum singulare obiectum fuerunt.

CAPUT XXVI.

De solemnitatibus iudiciorum et de Clementina reformatione quoad iudicia summaria.

1. – In *Speculi* secundae partis summario Speculator exponens quae in iudiciis servanda scripti et traditi iuris tunc temporis essent (nempe soeculo XIII) et ordinem secundum quem servari debebant

quia sic solitum est servari, animadvertit « ante omnia illud praemit-« tendum esse quod iudiciarii ordinis civilis vel criminalis, ordinarii « vel extraordinarii, membra sunt haec » : nempe, ea quae contestationem litis praecedunt, ea quae litis contestationem sequuntur usque ad finem, et, denique, sententia et ea quae post sententiam ut plurimum accidunt.

2. – Enumerans vero idem Speculator ibi singillatim quae praecedebant, quae sequebantur litis contestationem et sententiam ac ea quae post hanc ut plurimum consequebantur, ea singillatim et ordine sic enunciat: « Iudicii praeparatio – actionis seu petitionis propositio « – actionis cessio – competentis iudicis aditio – rescripti apostolici « impetratio et eius exhibitio et impugnatio – comparatio – libelli « oblatio – dilatio – feriarum petitio – recusatio – exceptio – satisdatio « – interrogatio – reconventio – incidens quaestio et cognitionum « ordo – possessorii et petitorii spoliationisque cognitio ». Haec utpote litis contestationem praecedentia; quae tamen, uti facile animo hauritur, non omnia semper locum habere poterant et reipsa non habebant.

3. – Supponit deinde quae litis contestationem sequebantur, eaque ita recenset: « Litis contestatio – iuramenti praestatio – positio – con-« fessio – probatio – articulorum exhibitio – testium productio – « instrumentorum editio – praesumptio – iuramenti delatio – dispu-« tatio – conclusio et renunciatio – consilii requisitio – sententiae « petitio – relatio – remissio ».

4. – Denique ad ultima veniens: « Sententiae prolatio – sententiae « exsecutio – appellatio – in integrum restitutio – supplicatio – expen-« sarum petitio – fructus et interesse restitutio – temere litigantium « punitio ».

5. – Hisce recensitis, animadvertit ibi Speculator « non omnia « praecedentia esse substantialia; sed quaedam ex his, videlicet: cita-« tio...; item, libelli oblatio...; item, litis contestatio...; item iura-« mentum de calumnia, vel de veritate... Quod si aliquid ex his « omittatur, vel praeposteretur, non tenet sententia ipso iure ». Et subiungit: « Cetera autem praemissa non sunt ita substantialia... « Sed et praemissa omnia secundum supra propositum ordinem sunt « servanda, *quia sic solitum est servari* ».

6. – « Si vero » – prosequitur ipse – « alius ordo a Principe « iniungitur, is *etiam* est servandus, alioquin non valet quod agitur ».

7. – Denique concludit, inquiens: « Ordo iudicialis proprie dicitur « consistere in his quae aguntur intra litis contestationem et sen-« tentiam, cum litis contestatio sit litis exordium »,

8. – Operis ex institutione non videtur esse heic singulas supra-memoratas iudiciorum solemnitates, vel summis labiis, explanare, cum hoc proprius ad tractatum quam ad historiam pertineat. Ast universae erant saltem enunciandae, ut duo pateant, scilicet 1° quantum laboris, expensarum et temporis illarum observantia requireret, et 2° in quibus Clementis V reformatio, de qua scribam mox, a veteri iure recesserit, consilio vere sapienti.

9. – Solemnitates enim praefatae actus erant utique ponendi, alii necessario utpote quia solemnitates erant substantiales, alii vero *quia sic solitum est servari*, et quidem secundum supra propositum ordinem. Illorum igitur onerosa multiplicitas et consequens difficultas proposito ordinem servandi, patulam adaperiebant viam advocatis ac procuratoribus ad multiplicandas dilationes, exceptiones, cavillationes, iurgia et cetera omnia ex quibus causae tractatio fieret longior et inde sibi, notariis et sollicitatoribus, etc., uberiora emolumenta consequerentur.

10. – Quantum vero detrimenti litigatores ex hac agendi ratione caperent, facile percipitur si vel hoc unum attendatur quod, in vim decreti Innocentii IV de causis devolutis, confirmatorii veteris Romanorum iuris pro litigantibus in imperiali curia lati, tam appellans quam appellatus ex quavis orbis parte Romam venire debebant vel personaliter per se, vel per legitimos procuratores, et in curia manere, ingenti cum dispendio, usque dum causa una vel altera ratione finem accepisset.

11. – Quapropter sapientissime Clemens V, in scriptam firmamque legem quod iam consuetudine forte obtinuerat, redigens, « *dispendio-* « *sam* prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis iudi- « ciarii observatione causarum docet experientia provenire) restringere « in subscriptis casibus cupiens, statuit ut in causis super electionibus, « postulationibus vel provisionibus, aut super dignitatibus, persona- « tibus, officiis, canonicatibus vel praebendis, seu quibusvis beneficiis « ecclesiasticis, aut super decimis ..., necnon super matrimoniis, vel « usuris, et eas quodammodo tangentibus, ventilandis procedi valeat « de cetero *simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura* ».

12. – Horum autem verborum significationem cupiens quantum sibi possibile esset explanare, ipse Clemens, in perpetuum valitura constitutione, sanxit,

13. – « ut iudex cui taliter causam committimus, necessario libel- « lum non exigat,

14. – « litis contestationem non postulet,

15. – « in tempore etiam feriarum, ob necessitatem hominum « indultarum a iure, procedere valeat.

16. – « amputet dilationum materiam,

17. – « litem quantum poterit faciat breviorem,

18. – « exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repel- « lendo,

19. – « partium advocatorum et procuratorum contentiones et « iurgia, testiumque superfluam multitudinem refrenando.

20. – « Non sic tamen litem abbreviet, quin probationes neces- « sariae et defensiones legitimae admittantur:

21. – « citationem vero,

22. – « ac praestationem iuramenti de calumnia, vel malitia, sive « de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huius- « modi intelligimus non excludi.

23. – « Verum, quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi « debet pro parte agentis, et etiam rei si quid petere voluerit, est « in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis sive verbo, actis « tamen continuo (ut super quibus positiones et articuli formari de- « beant, possit haberi plenior certitudo et fiat definitio clarior) inse- « renda.

24. – « Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium « propter partium confessiones,

25. – « et articulos ad clariorem probationem usus longaevus « in causis admisit,

26. – « Nos usum huiusmodi observari volentes,

27. – « statuimus ut iudex sic deputatus a Nobis (nisi aliud de « partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque, terminum « dare possit,

28. – « et ad exhibendum omnia acta et monimenta quibus partes « uti volunt in causa, post dationem articulorum diem certam, quan- « documque sibi videbitur, valeat assignare ;

29. – « eo salvo, quod ubi remissio fieri contingeret, pro testi- « bus producendis possint etiam instrumenta produci, assignatione « huiusmodi non obstante.

30. – « Interrogabit etiam partes, sive ad earum instantiam, « sive ex officio, ubicumque hoc aequitas suadebit.

31. – « Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non « peremptorie, partibus) in scriptis,

32. – « et (prout magis sibi placuerit) stans vel sedens, pro- « ferat,

33. – « etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex « petitione et probatione et aliis actitatis in causa fuerit faciendum.

34. – « Quae omnia etiam in illis casibus in quibus per aliam « constitutionem nostram, vel alias, procedi potest simpliciter, de « plano ac sine strepitu et figura iudicii, volumus observari.

35. – « Si tamen in praemissis casibus solemnis ordo iudiciarius « in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non « erit processus propter hoc irritus nec etiam irritandus ».[1]

36. – Duo hae constitutiones, quamvis generales pro quibusvis iudicibus delegatis, attamen praesertim pro Capellanis Papae Auditoribus causarum sacri palatii apostolici, inter delegatos iudices primis et praecipuis, latae fuerunt, nedum quia praesumendum est, Papam praecipue ab Auditorio specialiter suo voluisse dispendiosam litium prorogationem arcere, sed et quia causas praesertim spirituales quae tunc temporis maximam constituebant eiusdem sacri auditorii ordinariam competentiam respiciunt, causas scilicet beneficiales de quibus Innocentius IV devolutionem decreverat in concilio lugdunensi primo, et matrimoniales et super decimis et super usuris.

37. – Hinc Capellani Auditores earumdem observantiae illico incubuisse tenendum est, et ideo ab illo tempore nova illa Rotae iudiciaria praxis effingi occepit quae, ob libertatem delegatis iudicibus a Clemente concessam utendi vel summario, vel solemni, vel etiam mixto iudiciorum ordine, ubi partes non contradixissent, non amplius dici potuit (et reipsa amplius dicta non est) iuris communis observantia, sed stylus, seu praxis, innixa tamen super iure communi.

38. – Attamen mihi admodum verisimile est, advocatos et procuratores clementinam innovationem aegre tulisse, ideoque ut eidem semper non pareretur summopere insudasse. Verum, Capellanorum Auditorum constantia victrix facile evasit, et facillime litigatores animo hausisse verisimile est, quantum sua interesset summario uti vel mixto ordine, potius quam solemni.

39. – Et forsan haec causae fuerunt cur Rotae praxis mixto iudiciorum ordine effingeretur per annos qui a latis praedictis clementinis constitutionibus ad annum 1331 elapsi sunt.

40. – Hoc anno 1331, forte quia Iohanni XXII visa est satis sufficiens praxis iudiciorum in auditorio suo iam efformata, eamque

[1] *Corpus iur. can. Clem.*, libr. V, tit. XI, cap. II.

vidit iam pacifice acceptam, ratus est inutiliter Capellanorum Auditorum iudiciis Papam personaliter praeesse, cum rigidae legum observantiae locum obtinuisset libera Capellanorum discretio seu regulatum arbitrium : proptereaque visum est illi a consistorio eadem iudicia evellere Capellanosque Auditores veluti sui iuris facere, rebus tamen certis firmisque statutis ordinatis, prout fecit ordinatione sua « Ratio iuris ».

41. – Haec mihi genesis istius ordinationis naturalis et legitima videtur : aliam et praedictae ordinationis et avulsionis e consistorio auditorii nostri in textibus vidi nullam : ceterum, rationi et iuri magis consentanea num alia est? Et Papa – tanta fruentibus Capellanis Auditoribus libertate – quid amplius fecisset eorumdem iudiciis praesidendo?

42. – Utcumque : cum Clemens V libero iudicis arbitrio vel veterem solemnem iudiciorum ordinem in parte vel toto (partibus tamen non contradicentibus) observari, vel novum ex integro sequi remiserit, cumque semel pro semper statuerit omnes causas quae quotidianam Capellanorum Auditorum competentiam, tunc temporis praesertim, efformabant, esse *simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura* deinceps tractandas, praeter eas quas Papa foret in posterum cum eadem clausula commissurus, facile coniicitur novum iudiciorum ordinem fuisse a Capellanis Auditoribus constituendum, saltem pro iisdem causis quae vulgo appellatae fuerunt *spirituales*.

43. – Saltem pro iisdem, inquam : nam quamquam Clemens V praecitatis suis constitutionibus prophanas causas ab observantia veterum iuris solemnitatum non subtraxerit, facto tamen sensim sine sensu eadem veterum solemnitatum observantia desuetudine abolita mansit : siquidem vix ac perspectum fuit optimum iudiciorum ordinem brevi fuisse a Capellanis Auditoribus pro causis spiritualibus ventilandis inventum, iisdem et prophanas causas initio saepe, saepius postea, denique saepissime, committi occeptum est cum clausula *simpliciter et de plano*, etc. Unde factum fuit quod iam soeculo XVI vix amplius quoad iudiciarium ordinem in Rota distinctio fieret spirituales inter et prophanas causas, deindeque unus Rotae maneret stylus iudicia faciendi in utriusque generis causis, prouti ad evidentiam Manualibus notariorum, *Diariis* et Decisionibus comprobatur.

44. – Qualis autem iudiciaria praxis exiluerit ex praefatis omnibus colliget lector ex sequentibus capitibus, quibus singillatim de iudiciariis Rotae stylis sum scripturus. Interim hoc est heic praemittendum, post latas clementinas constitutiones, praxis iudiciorum tribunalis

Rotae, dum mordicus adhaesit clementinis praeceptis, non omnes tamen abiecit veteres solemnitates, ita ut vere vocari possit et debeat mixtus iudicialis ordo, ad quem in melius constituendus ceteri per subsequuta soecula romani Pontifices sapientissimis ordinationibus incubuerunt.

45. – Et hisce praemissis, singula tractemus.

CAPUT XXVII.

De petitione et commissionibus.

1. – Cum Capellani, etiam postquam in vim generalis mandati, seu generalis commissionis audientiae causarum s. p. a. stabili officio potiti sunt, semper tamen (tempore excepto, de quo supra scripsi) speciali commissione indiguerint qua habitualis eorum iurisdictionis exercitium in unaquaque causa excitaretur, quisquis voluisset coram eis in apostolico palatio litigare, rescriptum commissionis a Papa impetrare debebat.

4. – Hoc autem perficiebatur *petitione* (seu supplici libello) qua expositis caussis super quibus apostolicum iudicium expetebatur, Auditor, cui caussae committerentur, petebatur, eum vel nominatim designando, vel eum designandi Papae relicta libertate.

5. – Stylus huiusmodi certum sibi iudicem petendi, iure romano innitebatur: ideo immutatus perseveravit ad diem usque 20 septembris 1870, quin obstiterint et reductio numeri Auditorum ad duodecim, et ipsa Gregorii XVI constitutio anni 1834 qua Rota pro causis Urbis et pontificiae ditionis facta fuit ordinarium tribunal appellationis. Nam etiam iis in causis fas erat litigatoribus sibi eligere Ponentem. [1]

6. – Petitione, igitur, Papae immediate, vel in audientia Vice-Cancellario, porrecta, ille, aut *in presentia domini pape* iste, vel nominatum Auditorem concedebat, vel quem sibi libuerat dabat rescripto commissionis quod in calce petitionis describi et signari solemne fuit.

7. – Memoretur heic lector quae superius in cap. VIII scripsi: Auditor, proprie, audire debebat et referre, non autem iudicare, nisi hoc ei specialiter a Papa committeretur: proindeque eidem media dumtaxat litis non iurisdictionalia committi de iure poterant. Ast cum

[1] *Pratica e procedura del Trib. della S. Rota,* parte 1ª, dei giudizi ecc. « ... Si « sceglierà fra i Prelati Uditori uno che sarà il Ponente della causa... ».

litigatores potius iudicem consuevissent petere, quam simplicem Auditorem, cumque gravissimis implicatus curis Papa perdifficile omnium causarum iudiciis incumbere per se posset, factum fuit ut hinc a primis Auditorum nostrorum tempestatibus Papa Capellanos suos nedum concederet aut daret Auditores in causis, sed et iudices.

8. – Hinc mos brevi inolevit qui – et post latum *Regolamento* Gregorii XVI anno 1834 pro causis exterarum nationum ad diem 20 septembris 1870 viguit – rescriptum commissionis his verbis concipiendi nempe: « *Audiat idem Magister N... et iustitiam faciat* ». [1]

9. – Et quia causae tractari poterant vel iuris ordine servato, vel summarie sine strepitu et figura iudicii, ac terminari poterant vel sententia, vel ordinatione, vel concordia, hinc factum est ut in rescripto commissionis adderetur qua ratione causa esset tractanda, aut terminanda, quoties ut tractaretur et definiretur secus ac iuris ordine servato et sententialiter, Papa mandasset, vel sua sponte, vel morem petentibus gerens. In III volumine sub nn. 39, 40, 43, 44, exempla prostant ex quibus haec in tuto collocantur: soeculi XIII sunt; sed styli non tantum illius soeculi testimonium dicunt: nam et posterioribus tempestatibus eadem praxis observata fuit, prouti ex rotalibus *Diariis* et etiam ex quamplurimis Decisionibus, typis editis, invicte probatur.

10. – In huius rescripti vim, sicuti partes auditorem et iudicem suarum caussarum nanciscebantur, ita Capellano exercitium habitualis iurisdictionis suae excitabatur. Proindeque cum omnibus persuasum esset, Auditores causarum palatii nullam habere iurisdictionem extra causas eis commissas, [2] atque in commissis sibi causis esse delegatos, nedum probare necessitate compellebantur mandatum suum, [3] « quia non creditur iudex delegatus nisi probetur per litteras », [4] sed et quia eis caussae diversimode committebantur a Papa, [5] et praecipue quia unius causae poterat vel principium, vel medium, vel finis, vel exsecutio separatim aut coniunctim committi. [6]

11. – Deinde necessitas, usque in Rota persentita, et servandi *originalem commissionem*, qua in actis non existente, « iurisdictio tri- « bunalis - scite animadvertebat Decanus in libro s. Rotae [7] - man-

[1] Vox *idem* apponebatur quum in precibus nomen aderat Auditoris: nomine in precibus reticito, rescripti formula voce illa carebat.

[2] Cfr. cap. VIII, 16.

[3] *Specul.*, libr. II, *de probat.*, § 3, n. 3, pag. 627. col. I.

[4] [5] Idem, ibi, l. c.

[6] Idem, libr. I, part. I, *de iud. deleg.*, 3, § *Sequitur*.

[7] Arch. Rot., *Liber s. Rotae* 2, pag. 60; « Delegatus domini Papae... nihil « potest facere, nisi ostendat literas suae delegationis » (*Specul.*, cit. libr. II, l. c.).

« sisset nulla » ; et illius tenorem inserendi textui litterarum inhibitorialium quae inferiori iudici dabantur, ne quis aliquid in causis Auditoribus commissis peragere deinceps auderet. [1]

12. – Verum ne haec sola quidem prima commissio erat in actis religiose servanda. Nam huius vigore, Auditores in eadem causa neque emergentia vel dependentia, vel incidentalia eiusdem caussae definire, neque praefigere terminum ad docendum de attentatis ac nullitatibus et causis restitutionis in integrum, neque remissorias decernere, dilationes concedere, et alia huiusmodi [2] poterant. Immo, nisi in prima commissione explicite facultatem absolvendi obtinuissent qui ligatus censura nequibat coram Rota iudicium perficere, eum absolvendi potestate carebant. [3] Ac insuper « vigore Regulae (Can- « cellariae) antiquae 69 cuius verba erant: *Voluit et ordinavit quod « mandata apostolica super sententiis in romana Curia latis, et exsecu- « tioni demandatis sub Bulla expediantur* », [4] uti quivis alius delegatus iudex,[5] suas sententias exsecutioni demandare non poterant.

13. – Ideo tot novis commissionibus in eadem causa egebant Auditores, quot ex recensitis dari contigisset, quae erant pariter in actis religiose servandae, uti reipsa servatae sunt. [6]

14. – Magnus igitur in qualibet causa, antequam haec fine debito terminaretur, numerus commissionum impetrandarum erat: hinc, ingens temporis dispendium, ingens litigantium labor, ingentes expensae. - Ac inde facile impetrare a pluribus in uno eodemque negocio commissionem diversis Auditoribus directam ; unde controversia quamsaepe enata, cuinam istorum fuisset commissa causa, et non raro utrum causa ab hoc Auditore evocata fuisset et alteri commissa.

15. – Haec considerans Innocentius VIII, anno 1487, celebrem edidit constitutionem « Finem litibus » [7] de qua, in praecitata Decisione Gerunden. 568, Coccinus scribit: « Hodie vero praedictae expedi- « tiones, *vigore Innocentianae* [8] et aliarum facultatum, relaxantur sub « nomine Auditorum... nec requiritur super hoc aliqua commissio ».

[1] Cfr. cap. *De inhibitionibus*.

[2] Vide bullas *Finem litibus* Innoc. VIII; *In throno iustitiae* Pii IV, et reformationem Pauli V, vol. III, nn. 132, 165, 197.

[3] Decis. 568 (Gerunden. c. Coccino), part. IV, t. II; Decis. 195, p. XVI. *Recent.*

[4] Cit. *Decis.*, ll. cc.

[5] Ridolph., *Praxis*, p. I, c. XIII, n. 629.

[6] Notarili archivio rotali complures harum commissionum unius eiusdemque caussae, et hodie manent.

[7] Vol. III, pag. 221, n. 132.

[8] Constitutio *Finem litibus* passim *Innocentiana* vocata est, etiam in constit. Papae, uti v. g., in « Universi agri » Pauli V, (*vol. III, pag. 324, n. 197*).

Et in decis. 195 etiam Calataju asseruit: « Dum Papa *unicam* tantum « commissionem voluit adesse in qualibet causa, reiecit facilem aditum « ad se, propter quem, *solum antiquitus ante Innocentianam* et alias « successivas Constitutiones, plures Commissiones erant necessariae ».

16. – Sed clarius Pius IV constitutione an. 1561 « In throno « iustitiae » statuit: « § 2. Statuimus et ordinamus quod de cetero « perpetuis futuris temporibus, ad tollendum multiplicationem commis- « sionum et parcendum laboribus et expensis litigantium, *unica com-* « *missio in qualibet instantia sufficiat, et illius vigore* Auditor causam « sibi commissam cognoscere et cum omnibus et singulis dependenti- « bus et emergentibus ac alias quomodolibet incidentibus decidere « valeat. Possit etiam Auditor *sine nova commissione* praefigere termi- « num ad docendum *de attentatis* ac *nullitatibus et causis propter quas* « *quis in integrum restitui debeat* ac illo elapso, et non docto, ad cau- « sae expeditionem procedere, necnon remissorias decernere, dilationes « concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare, ac omnia « et singula alia usque ad finalem sententiarum suarum exsequutio- « nem inclusive facere, quae, de iure, Ordinarii facere possunt ».

17. – Redeat nunc Coccinus in citata decis. 568: « In Bulla « Pii IV, § 2, disponitur quod ad parcendum laboribus, et expensis « litigantium unica commissio in qualibet causa sufficiat, quod ut « dixi repetitur in Reform. sa. mem. Pauli V [1] de Auditoribus Rotae « in princ. Et propterea hodie absque nova commissione relaxantur « executoriales, quae licet aliquando impetrentur, hoc provenit ex « voluntate partis, non autem ex necessitate; hinc cum unica com- « missio sufficiat pro habenda absolutione ad cautelam, non est opus « nova commissione; Papa enim dum vult quod unica sufficiat, reiicit « illum facilem aditum ad ipsum, et voluit quod Rotae Auditores « vigore unicae commissionis procedant pro omnibus indigentiis in « qualibet causa, maxime cum in Bulla Pii IV et in dicta Reform. « addatur quod Auditores Rotae vigore illius commissionis causas « cognoscere possunt cum omnibus, et singulis dependentihus, et « emergentibus, ac alias quomodolibet incidentibus decidere valeant, « quae clausulae sunt efficacissimae, ut per Mandosium com. 2 ».

18. – Huiusmodi reformationi istorum trium Pontificum, nempe nnocentii, Pii et Pauli, in posterum religiose paritum est, uti patet ex innumeris decisionibus et ex quot adhuc extant documentis in archivio.

[1] Vol. III, pag. 324, n. 197.

19. – Si quis curiositate afficiatur sciendi quid significasset Speculator supra relatis verbis « causae (Capellanis Auditoribus) diver- « simode committuntur a Papa », ex illius *Speculo* facile sciet, tunc temporis Papam causas Auditoribus commisisse « quandoque per « Cursores, quandoque per Ostiarios, quandoque per Cardinales ». [1] Ast ex hoc nil aliud sequebatur quam ipsis commissio dari potuisset « *cum scripto vel sine scripto*... quia si de iurisdictione dubitetur, « de facili potest ad ipsum delegantem recursum haberi ». [2] Ita, concludens (uti colligi videtur ex titulo *de iudice delegato* ad quem se palam refert) ut si ipse Papa per aliquem ex cardinalibus viva voce commisisset, scripto opus non fuisset; secus vero si per cursores vel ostiarios. [3]

20. – Verum, Alexander VI mandavit, commissiones, eius manu signatas, esse ad Rotam deferendas tantummodo per pontificios cursores. [4]

21. – Ast caput absolvi nequit, quin nonnulla tradantur de *subrogationibus*. – Cum enim aliquis ex Auditoribus promotione vel morte Rotae valediceret, causae quarum ipse Ponens erat - illae scilicet quae eidem fuerant commissae - ali Auditori erant committendae, seu aliquis alius erat discesso subrogandus in tractatione causarum praedictarum.

22. – Equidem tuto ex documentis autumari posse, antiquitus causas praedictas consuevisse distribui, seu committi novo Auditori qui in locum discessi assumebatur a Papa. Ast facile compertum est, praesertim post invectum turnorum morem, magnum praeiudicium saepe, semper autem notabile incommodum, ex stylo huiusmodi litigatoribus et Rotae derivare.

23. – Cum enim novus Auditor novissimum locum occuparet, corresponsales illius nequibant fere semper eosdem esse qui fuerant Auditori discesso: exinde fiebat quod, mutato Ponente, et corresponsales mutandi forent, nedum in statu et terminis in quibus causae assumebantur a novo Ponente, sed et in ulterioribus instantiis. Unde temporis ingens dispendium ut novi corresponsales informarentur: maximae litigantium expensae maximique labores ad novos corresponsales informandos, et maxima turnorum ordinis perturbatio.

24. – Hisce ad obviandum, mos inductus fuit causas illas distribuendi iis Auditoribus, qui propter discessum defuncti vel promoti

[1] *Specul.*, libr. II, part. II, *de probat.*, § 3. *Videndum*, n. 3.
[2] Idem, l. c.
[3] Libr. I, citat. tit. *de iud. deleg.*, § *Sequitur*, n. 16.
[4] Vol. II, Alex. VI, pag. 75-76.

Auditoris, eo in loco sedissent quo ipsis essent iidem corresponsales in causis qui iam fuerant defunto vel promoto Auditori. [1]

25. – Talis causarum distributio de iure facienda erat a Cancellaria apostolica vel a Decano Rotae: in more vero positum fuit quod ius illam faciendi cumulative exerceretur per utrumque; hac tamen ratione, ut in casu quo uterque ius suum simul exerceret, attenderetur subrogatio a Decano, non autem illa a Regente Cancellariae peracta. [2]

26. – Subrogationis rescriptum erat - prouti rescriptum commissionis - in actis religiose servandum. Immo notarii subrogationes in appositis libris asservare consueverunt, prouti archivium illorum liquido ostendit.

27. – Coronidis modo addam quod anno 1831 seu 1834, cum Gregorius XVI formam tribunalis funditus immutavisset, illud faciens ordinarium tribunal appellationis, eidem relicta extraordinaria iurisdictione pro causis super valore rescriptorum Papae et quae Rotae iudicio laturae forte forent ab exteris nationibus, sublatus fuit mos dandi commissiones: expresse enim cavit Gregorius XVI, causas appellationum Romae et pontificiae ditionis, sive laicae fuissent sive ecclesiasticae, maiores vel minores, in Rota esse videndas « senza commis- « sione ». Hanc autem dandam esse decrevit in causis in quibus Rotae reliquit extraordinariam iurisdictionem. [3] Et ita ad diem usque 20 septembris 1870 processum est.

CAPUT XXVIII.

Quaenam causae S. R. Rotae committerentur seu de S. R. Rotae competentia.

1. – Cuiusnam generis causas Auditorum tribunali committi solemne fuerit, facile percipere est ex iis quae de origine Rotae et de Auditorum causarum sacri p. a. iuridica figura, superius, retulimus. Cum enim ad id invecti ac constituti fuerint Auditores, ut *vice Papae viventis* causas audirent quas Papa per alios videre voluisset, ipsos ad has omnes audiendas fuisse quovis tempore competentes planum est.

[1] Cfr. vol. III, pag. 378, n. 254.
[2] Ibi, pag. 378, n. 254; pag. 360, n. 224.
[3] *Regolamento legislativo e giudiziario,* § 327.

2. – Hinc, a principio, usque ad annum 1245 quo saltem causae beneficiales per appellationem devolutae in vim decreti concilii generalis lugdunen. I, pleno iure ad forum papale pertinere occeperunt, nullum causarum genus Capellanis Papae stabili modo commissum fuit, et ideo eas ipsi audierunt causas quas Papa eis commisit reipsa. Haec edocent Regestra Pontificum illius tempestatis.

3. – Profecto ex Regestris Innocentii III, Honorii III et Gregorii IX causas beneficiales ut plurimum eisdem commissas fuisse exquisitum est; quod, de cetero, alias contingere nequiverat, cum in huius generis causis praesertim recursus interponi tunc temporis consuevisset ad apostolicam sedem a qua provisiones de beneficiis passim fiebant.

4. – Edito autem praecitato decreto, anno 1245, in concilio lugdunensi *de causis devolutis*, hae appellatae sunt *causae sacri apostolici palatii*, et cum has non aliis ordinatum fuisset distribuendas nisi Capellanis dumtaxat et dominis cardinalibus, Capellanorum competentia super iisdem causis constituta mansit. Porro hae causae beneficiales erant. [1]

5. – Huiusmodi ordinatio constans per insequentia soecula perseveravit: et quot hodie praesertim in Rotae decisionibus testimonia manent, tot praecipuam Auditorum operam in beneficialibus causis tractandis comprobant insumptam fuisse.

6. – Praecipuam Auditorum operam inquam: nam usque romanis Pontificibus et omnis generis causas committere Capellanis Auditoribus solemne fuit: et re vera Alexander IV - ut aliquo exemplo rem firmem - anno 1256 magistro Martino Capellano suo, causam commisit *proventuum ex funeribus*, [2] et Gregorius XI anno 1378 suis Regulis Cancellariae mandatum inseruit quo moderabatur, quandonam debuissent, vel non, Auditores procedere *in causis super nullitate sententiarum super contractibus usurariis latarum, eis commissis vel in posterum committendis.* [3]

7. – Verum forsan etiam in his causis committendis cum eodem moderamine processum est ac in causarum beneficialium distributionibus: ita ut causae difficiliores vel magnarum dignitatum potius cardinalibus quam Capellanis committerentur.

8. – Quod tamen factum fuit per id temporis quo cardinales consueverunt operam iudiciorum strepitibus sedulam navare: nam cum

[1] Vol. III, pag. 22, n. 28.
[2] Ibi, pag. 38, n. 38.
[3] Ibi, pag. 90, § 68.

a iudiciis perficiendis cardinales recedere subinde occepissent, et praesertim post magnum Occidentis schisma, nedum nulla amplius Auditorum commissionibus limitatio ab maiori causarum difficultate inducta est, sed, e contra, difficiliores cuiusvis generis causae ipsis fuerunt commissae. Adeo ut Pius IV anno 1561 in constitutione sua « In throno iustitiae » asseruerit, in palatii sui auditorio « univer- « sorum Christi Fidelium *graviores causas* ... mature cognosci et ... « terminari ».[1]

9. – Eo magis hoc factum est postquam sacrae romanae Congregationes cardinalium a Sixto V constitutae sunt; iisdem enim iudicialium contentionum cognitio tunc et postea subtracta fuit. Hinc novissimis soeculis quoad contentiosa negocia, iudiciariam processus telam exquirentia, Auditoribus Rotae eadem in curia positio fuit ac vetustioribus tempestatibus fuerat dominis cardinalibus; videlicet, Auditoribus Rotae tantummodo erant graviores et difficiliores causae ordinario committendae, et non aliis nisi de Papae mandato. In antiquam vero Capellanorum Auditorum positionem quoad minoris momenti causas, simplices praelati successerunt, et ipsimet singuli Auditores Rotae, qua praelati uti inferius late sum narraturus.

10. – Sed haec paulatim et ex consuetudine et ita contingentium per dies rerum exigentia suadente, non autem ex certa romani Pontificis constitutione, seu ordinatione facta sunt. Ita ut primus inter romanos Pontifices qui (alte contentionibus praesertim inter notarios Rotae et notarios archivii romanae curiae strepentibus) causarum genera secernendi necessitatem persenserit ut quisque certo sciret quaenam Auditorii Rotae, quaenam vero aliorum commissariorum Urbis tribunalium causae essent, fuerit Clemens VIII qui anno X pontificatus sui, huiusmodi causarum definitionem et separationem aggressus, schedulam Motusproprii sua manu signavit in qua singula causarum genera expressit quae ad Rotae tribunal, privative quoad alium quemcumque romanae curiae iudicem, pertinere voluerat.[2]

11. – Sed, uti testatur Benedictus XIV,[3] « haec schedula nun- « quam legis vim, auctoritatem et efficaciam habuisse, dignoscitur ... « sed ipsa dumtaxat in Regestis supplicationum Datariae Apostolicae « remansit », neque deinceps iuxta praescripta eiusdem Motusproprii « sed iuxta consuetudinem et stylum Curiae, ut antea », idem Clemens et alii romani Pontifices, successores illius, processerunt.

[1] Cfr. vol. III, pag. 297, n. 165.
[2] Ibi, haec narrat Benedictus XIV in const. *Iustitiae et pacis*, pag. 297, n. 165.
[3] Ibi, l. c.

12. – Verum ipse Benedictus XIV, anno 1747, ut tandem aliquando exardentes inter Rotae et archivii romanae curiae notarios sibi respective ius vindicantes scribendi et actitandi in causis Auditoribus Rotae commissis tamquam praelatis et extra Rotam et sine participatione Rotae, conquiescerent et perpetuo silerent lites, Motu proprio, perpetuo valitura constitutione « Iustitiae et pacis » statuit ac declaravit, « Causas omnes graviores quae in Romana Curia tum in « Tribunali Cardinalis ... Vicarii ..., quam in Tribunali causarum Curiae « Camerae ... Auditoris, in prima instantia iudicatae et definitae fue- « rint, in secunda aut ulteriori instantia ..., tam in petitorio quam « in possessorio iudicio ..., Rotae Auditorio omnino esse et fore « committendas ». Item « Causae graviores huiusmodi ad Romanam « Curiam delatis in gradu appellationis » facultatem fecit ut vel Rotae auditorio directe, vel cardinali Vicario aut Auditori Camerae prius commissae, in ulterioris gradu appellationis Rotae tantummodo committi possent. [1]

13. – Graviores causae, quas *rotales* appellavit, eas censendas esse decrevit « in quibus agitur de Iurisdictionibus, exemptionibus, « adoptionibus, sponsalibus, filiationibus, legitimitatibus, praeeminentiis « et praecedentiis, iuribus quoque Patronatus aliisque honorificis « nominandi, eligendi, conferendi et similibus. Causae quoque servi- « tutis personalis et generaliter omnes et singulae Causae pecuniariae « et profanae tum Citramontanae, tum de partibus ultra Montes, « positis, infrascriptam summam respective attingentes: Citramonta- « nae, nimirum, si et quatenus eorum valor et aestimatio ad summam « et quantitatem 500 scutorum auri, aliae vero ... dum ipsarum valor et « aestimatio ad summam 1000 scutorum auri ... respective ascendat ».

14. – Item causae ... « beneficiales in quibus agitur de Titulo « Beneficii ac de iure in re vel ad rem, nempe ad ipsum beneficium ...; « causae super Pensionibus ecclesiasticis ac super reservatione fru- « ctuum reddituum et proventuum Beneficiorum ecclesiasticorum, « quoties annuus valor Beneficii litigiosi ac respective annua pensio « aut quantitas fructuum reservatorum summam 24 ducatorum auri « de Camera excedat ...; causae de primis Dignitatibus Ecclesiarum ... « in Cathedralibus aut ... in Collegiatis Ecclesiis, cuiuscumque valoris « dignitas huiusmodi existat ».

15. – Itidem « causae matrimoniales tam super foedere matri- « monii, quam super divortio ...; causae omnes super nullitate Pro-

[1] Citat. const. *Iustitiae et pacis*, ibi, l. c.

« fessionis Regularis emissae » quae tamen facultas, fecit ut committerentur etiam vel sacrae Congregationi concilii vel episcoporum et regularium. [1]

16. – Haec autem definiens, Benedictus XIV professus est se « veterem non scriptam Curiae consuetudinem ad legem scriptam « redigere ». Hinc tuto asserere possumus recensita causarum genera hinc a remotis tempestatibus Papas consuevisse committere passim Capellanorum Auditorum tribunali.

17. – Ex quibus palam fit quantum augmenti nactum fuerit tribunal Rotae, soeculis volventibus: initio beneficiales dumtaxat causas Capellani Auditores ordinario viderunt; postea tot alias, quot supra cum Benedicto XIV recensuimus.

18. – Anno autem 1821, edictali lege, a Pio VII lata, tribunali Rotae « omnes commerciales causae in ultimo appellationis gradu « diiudicandae ... commissae fuerunt ». [2]

19. – Denique celebri Motuproprio anni 1834 competentia Rotae ita determinata fuit a Gregorio XVI: « Sezione VII. - Della Sacra « Rota. - § 321. - Il Tribunale della S. Rota conosce e giudica, in « secondo, ed in terzo grado di giurisdizione le cause che saranno « enumerate nei §§ seguenti. - Tali cause si distinguono in cause « maggiori ed in cause minori. - Sono cause maggiori quelle che « oltrepassano il valore di 500 scudi romani o che hanno un « valore indeterminato: le altre sono cause minori. - § 322. « Conosce e giudica in secondo grado le cause maggiori, decise « in prima istanza dalla Congregazione civile dall' A. C., dal « tribunale collegiale di Campidoglio, dal tribunale di Commercio di « Roma, e dai tribunali civili e di commercio compresi nel § *318, n. 2*, « (nempe: di Perugia, di Foligno, di Spoleto, di Norcia, di Rieti, « di Viterbo, di Orvieto, di Civitavecchia, di Velletri, di Frosinone, « di Benevento). § 323. - Conosce e giudica come tribunale supremo, « in terza ed ultima istanza: 1° le cause che da un turno rotale « sonosi giudicate in secondo grado a forma del § precedente, con « sentenze difformi da quelle di prima istanza; 2° le cause maggiori « o minori, decise con sentenze difformi in primo grado dai tribunali « civili e di commercio delle provincie indicate nel § 302 (nimirum: « Bologna, Ferrara, Forlì, Ravenna, Macerata, Urbino, Pesaro, « Ancona, Fermo, Ascoli Piceno, Camerino e Distretto di Loreto) « ed in secondo grado dai tribunali di appello di Bologna e di Ma-

[1] Ibi, l. c.
[2] Vol. III, pag. 630, n. 514.

« cerata e da quello pure che risiede in Ancona per le cause com-
« merciali; 3° le cause minori decise con sentenze difformi, in primo
« grado da uno dei due turni della Congregazione civile dell' A. C.
« e dall'altro turno in secondo grado. § 324. - Conosce e giudica,
« nella stessa qualità di tribunale supremo: in prima ed ultima istanza:
« le cause sul valore dei rescritti o chirografi Pontifici rimesse con
« la clausola *de aperitione oris;* ed in grado di restituzione in intiero
« le cause decise con sentenza passata in cosa giudicata dai giudici
« e tribunali di Roma e delle provincie. - § 325. Tutte le cause o
« maggiori, o minori, si decidono per turno da 5 giudici, compreso
« il Ponente che sarà il relatore e *darà il suo voto.* - § 326. Le cause
« enunciate nel § 324 si decidono dall' intiero tribunale. - § 327. La
« sacra Rota esercita la giurisdizione ordinaria e la giurisdizione
« straordinaria. Procede come tribunale ordinario, e senza commissione,
« nelle cause di appello o di restituzione in intiero di Roma e dello
« Stato (ecclesiastico): procede come tribunale straordinario, in virtù
« di Sovrana delegazione, nelle cause sul valore dei rescritti Pontificii,
« e nelle cause dei paesi esteri quando sieno portate al di lei giu-
« dizio ».

20. – Hisce addidit: « Sezione IV, § 377 et seq. » cognitionem causarum « maggiori di cinquecento scudi romani o di valore inde-
« terminato e quelle che sono qualificate come cause piú gravi in
« materia ecclesiastica decise in prima istanza dagli Ordinarii dioce-
« sani, dal tribunale del Vicario di Roma e dal Prelato Uditore di
« Camera ». Has in altero iurisdictionis gradu: in tertia vero et ultima instantia omnes causas « maggiori di 500 scudi giudicata con
« sentenze difformi in primo grado dai vescovi suffraganei, dai Me-
« tropolitani, dagli Ordinari, dal Vicariato di Roma, dal Prelato Udi-
« tore della Camera, ed in secondo grado da un altro turno rotale ». Item causas restitutionis in integrum et causas matrimoniales.

21. – Denique, anno 1846 hisce causis, vel causarum speciebus proprie contentiosis et iudicialibus, iussu Papae, additae sunt causae vel proprius iudicia contentionum in materiis administrativis. Constituerat enim Gregorius XVI anno 1834 aliqua ac certa dicasteria praedita potestate decidendi « in via amministrativa » et anno 1835 speciale « ordinamento » a celebri cardinali Gamberinio edi et promulgari iussit, quo omnia rite definiuntur quoad iurisdictionem contentiosam in materiis administrativis. Quo ordinamento, seu Edicto, supremum iudicium harum contentionum ferri deberi sancitum est a *Consilio supremo*, cuius in membra tres eligi debebant Audi-

tores Rotae.[1] Hoc supremo Consilio, anno 1846, varias ob causas silente, contentiones ab eo dirimendae, Rotae commissae fuerunt.[2]

22. – Unum causarum genus Pius IV prius, serius autem Paulus V, Rotae iudicio sustulerunt, causas nimirum Auditorum Rotae, vel eorum studii Adiutorum, vel eorum consanguineorum usque ad secundum consanguineitatis gradum iuxta ius canonicum computandum.[3] Hae causae vel auditae non fuerunt, vel, si in Rota introductae, Auditor, cuius una vel alia de causa interesset, ab aula iudicii exire consuevit extraque eam permanere usque dum causa inibi ventilaretur. Ast cum inductus stylus non omnibus aeque probaretur, factum est ut a Clemente XII Rota ipsa obtineret ut nova lege cautum esset quod causae propriae Auditorum eorumque consanguineorum in primo gradu tantum et Studiis inservientium nullatenus in Rota videri possent: ceterae vero quae iuxta Pii IV et Pauli V statuta videri non poterant, in posterum cognosci possent, sed Auditori, dum cognoscuntur, ab aula exeundum fore: adiecto tamen moderamine, nempe si partes consenserint in Rota cognosci has suas causas, hae cognoscerentur neque ex eadem Rota avocari liceret.[4]

23. – Iuxta recensitas non scriptas consuetudines et scriptas leges, Rotae tribunal ad diem usque 20 septembris 1870 causas audivit.

24. – Sunt qui scripserunt, Rotae, saltem antiquitus, consuevisse committi et *criminales* causas; sed horum assertiones si coarctentur ad criminales causas, non criminaliter sed civiliter tractatas, cum vero cohaerere dignoscuntur; quod si extenderentur ad causas criminales criminaliter tractatas, a vero prorsus aberrarent. Siquidem tam quae ad nos rotales Decisiones in criminalibus pervenerunt, quam natura ipsa tribunalis qualis testimoniis et iuribus expensis ostenditur, criminales causae nonnisi civiliter Rotam tractasse tractareque potuisse demonstrant.

25. – Ceterum ibi esse forum ubi crimen admissum est, compertissimi est iuris: quapropter Rota esse non potuisset competens criminale tribunal, nisi pro criminibus Romae vel ubi curia resideret, admissis. Ast Rota tribunal Papae cum esset, seu tribunal non episcopi Romae sed universalis Principis Ecclesiae, nequibat in causis

[1] Cfr. vol. III, pag. 645, n. 539.

[2] Ibi, pag. 654, n. 556.

[3] Ibi, constit. *In throno iustitiae,* pag. 297, n. 165, et *Universi agri,* pag. 324, n. 197.

[4] Ibi, constit. Clem. XII, *In summi,* pag. 502, n. 409.

criminalibus sese immiscere, quarum iudicium specialibus tribunalibus attributum usque fuit.

26. – Ad summum, Rotae committi poterant recursus contra latas criminalibus in causis sententias, quarum iustitia impeteretur. Hoc, inquam, poterat: hocque reipsa factum est, ceu inter alias probant Decisiones *55* et *139* tomi I, partis V *Recentiorum*.

27. – Item causae simoniae ubi ageretur de privatione beneficiorum quia huiusmodi causae uti civiles habebantur.

28. – Item causae iniuriarum, civiliter tamen agendae, uti probant Decisiones innumerae, tum *novae*, tum *antiquae*, tum *recentiores*, etc. Haec et similia.

29. – At hisce exceptis, ceteras causas quas Rota vidit, ad superius recensita genera pertinuisse persuasum est.

30. – Operae praetium esset, heic veluti cathalogum retexere celebriorum causarum in quibus Rota ius dixit; sed longum esset et non apprime ex huius operis institutione; optime et congruentius fieret *de iurisprudentia Rotae* historiam agendo.

31. – Utcumque, memorem Rotae fuisse commissam causam matrimonii Henrici VIII Angliae Regis;[1] item causam Ducis Lotharingiae quae per 14 et plures annos in Rota pendidit.[2]

32. – Nec taceam unum causarum genus quod Rotae fuit commissum maximumque eidem attulisse et laboris et gloriae: causae, nimirum, illarum servitutum quas Sixtus IV invexit in fundiariam proprietatem Baronum romanorum, in agro romano consistentem, quae hodie vulgo audiunt *usi civici*.

33. – Adnitens Pontifex ut tot pestifera germina quae Urbem et circumstantem agrum quotidie vexabant, tandem aliquando radicitus extirparentur, romanum agrum colendum esse - in arte physica de peritorum consilio - perfracte sanxit. Baronibus obsistentibus, ipse vassallis facultatem fecit in fundis Baronum suorum serendi, lignandi, pascendi, aquandi, etc.

34. – Hinc propemodum infinitae enatae sunt controversiae et lites, quae et in praesentem diem ardere noscuntur. Huiusmodi lites in Rota agitatae, summa aequitate et sapientia diremptae fuerunt; et rotales Decisiones - innumerae - quae hac super re editae sunt et quarum pars maxima superest adhuc, si in unum colligerentur, mirabile forent monumentum summae Papae providentiae; ostenderent quantum auxilii subiectis sibi gentibus fuerit civilis Papae principatus;

[1] Arch. Rot., *Manualia Notariorum;* cfr. Bondini, l. c.
[2] Cfr. vol. III, pag. 384, n. 264.

quantumque Auditorum Rotae doctrinae ac integritatis, qui etsi Barones non raro vel ipsi, Baronum ut plurimum propinqui, semperque genere nobiles, concessa a Principe dataque plebibus iura, contra potentium tamen conamina et praetensiones, firmiter et aeque tuiti sunt.

35. – Fuit etiam in more positum, Auditorem qui causae cuiusdam patrocinium tulerat qua advocatus ante susceptum auditoratum, ab aula recedere dum causa in Rota diceretur. Ita v. g. die 27 februarii 1725 « in causa *Romana seu Forolivien. Fidei commissi de* « *Maraldis* ex quo in causa connexa scripsisset (Calcagninus) uti « advocatus » hic declarationem fecit « de abstinendo a suffragio « ferendo; quam Domini summopere laudarunt ». [1]

36. – Solemne etiam fuit Auditores Nationales causarum suorum Principum iudicio partem non habere, veluti necessario suspectos. [2] – Denique, si quis ex Auditoribus vicarii munere fuugeretur in Urbis basilica, prohibebatur suffragium ferre in causis Capituli illius basilicae. [3]

CAPUT XXIX.

De causarum commissionibus datis Rotae Auditoribus tamquam Praelatis extra Rotam et sine participatione Rotae - cum facultatibus Auditoris Camerae - de Voto.

1. – Contigit frequentius, in rescripto commissionis causarum quae Auditoribus committebantur, clausulam appositam fuisse: « uti Prae- « lato extra Rotam et sine participatione Rotae ». Qua tamen non obstante, eaedem causae in Rota dictae fuerunt, prouti *Diaria* rotalia et *Manualia* notariorum ostendunt. In iis hae causae sicuti ceterae, describuntur; ast earum descriptio in hoc tantum differt a ceteris, quod nempe Auditoris cognomini praemittuntur verba: *Uti Praelato.*

2. – Quanam vero lege, tradit Decisio 637 alterius voluminis XIX partis *Recentiorum* in causa *Anconitana - Fidei commissi* (26 novembris 1682) coram Ursino, qui, fassus litigatores non potuisse Anconae convenire in eligendo iudice, testatur: « Impetrata prius super hoc « speciali commissione a Sanctissimo, me in omnibus his quaestio-

[1] Arch. Rot., *Liber S. Rotae 2,* pag. 270-271.
[2] Vol. III, pag. 434, n. 330.
[3] Ibi, pag. 644, n. 538.

« nibus exortis definiendis *in arbitrum datum* utrimque probarunt... « Has igitur controversias tamquam arbiter honorarius ego diiudica- « turus, *parendo Reformationi s. m. Pauli V sub tit. de Auditor. « Rotae in* § 7 [1] *ac inconcussum sectando stylum expetendi vota alio- « rum Coauditorum etiam in iis causis quae extra Rotam alicui ex « Auditoribus committuntur, seu etiam compromittuntur, de quo testa- « tur Bichius in decis. 564..., dubium hodie proposui*, etc. ».

3. – Clarius autem quaenam fuisset harum clausularum practica acceptio, Rotae notarii eminentissimo Barberinio exposuerunt, scribentes: « Commissiones quae committuntur Auditoribus Rotae uti « Praelatis, in effectu non committuntur eis uti extraneis Praelatis, « sed uti Auditoribus Rotae, quia partes quae hoc petunt, magis « confidunt in doctrina Auditoris, quam alterius Praelati, propter « praesumptam excellentiam Virorum huius Tribunalis: ita quod, licet « in Rescripto ponantur illa verba: *extra Rotam et absque participatione « Rotae et uti Praelato*, tamen in effectu contemplatur virtus et excel- « lentia talis Auditoris, tamquam magis versati in causis iudicandis « et maiori cognitione iuris imbuti ». [2]

4. – Adeo ut - iisdem notariis testibus - vis clausularum huiusmodi haec esset, « ut Auditores non cogerentur causam in Rota « proponere, si nollent » quia eligebantur uti Praelati non de turno. Attamen « de stylo ipsorum fuit ut causas, etiam modo praemisso « commissas, in Rota proponerent ». [3]

5. – Verum unum idemque non fuisse significatum quum rescriptum simpliciter fuit *uti Praelato* et quum rescriptum fuit *extra Rotam et absque participatione Rotae* erui videtur ex Brevi Urbani VIII anni 1631 quo aperte fit distinctio inter causas commissas simpliciter uti Praelato et illas commissas *extra Rotam et absque participatione Rotae:* cuius distinctionis effectus saltem hic fuit, ut in causis commissis Auditori *uti Praelato extra Rotam etc.*, scriberent notarii archivii romanae curiae, in ceteris commissis cum dicta clausula *extra Rotam* etc. sed tamen omissa alia, *uti Praelato* ius scribendi esset penes notarios Rotae.

6. – Benedictus XIV anno 1747, constitutione « Iustitiae et pacis » [4] causas *Praelatitias* committi debere « etiam ipsis Rotae Auditoribus, « non uti Auditoribus, sed uti Praelatis » statuit.

[1] Vol. III, pag. 324, ssq. citat., n. 197.
[2] Ibi, pag. 479, ssq., n. 407.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, pag. 523, n. 421.

7. – Attamen hoc unum spectarunt semper commissiones praedictae, scilicet industriam personae Auditoris. Adeo vero ut quum quilibet Auditor, stylum sequutus, has causas in tribunali Rotae proponeret, ipse - etsi earum Ponens - suum votum, seu suffragium, nihilominus proferret. Quod ante annum 1831 quo Ponenti votum in omnibus causis dare lege cautum est, [1] unice contingebat in causis cum talibus clausulis commissis.

8. – Quandonam exordia sumpserint clausulae praefatae documentis constabilire nequivi. Animadvertam tamen, Aegidium Bellemera, inter causas distinguere Auditoribus commissas *in palatio*, et causas commissas *infra palatium*. Profecto causae commissae cum praefatis clausulis, quae proinde indifferenter poterant ab Auditore proponi vel non in Rota, et tamen de stylo reipsa proponebantur in Rota, optime dici poterant commissae non *in palatio*, sed *infra palatium*.

9. – Utcumque: ex iure quo quisque christifidelis fruebatur compromittendi in arbitros, vel in ipsos datos consentiendi, mos profluit causas committendi cum talibus commissionibus: ex iure autem quo quisque iudex vel Auditor tenebatur prudentium consilia exquirere antequam pronunciaret, stylus fluxit causas tali modo Auditoribus commissas proponendi in Rota. Admodum enim rationabile ducere debuit quisque Auditor etiam in his causis uti eorum consilio, quorum prudentia in fractione panis sibi nota erat.

10. – Quae his in causis fuerint notariorum, suo loco scripsi. [2]

11. – Praeterea non raro causae commissae sunt in Rota, cum clausulis *De voto*. Hisce in causis Rota ferre non debebat sententiam, sed tantummodo votum suum pandere. [3] Has causas tra-

[1] Cfr. supra cap. XX, 19; vol. III, pag. 639, n. 530.

[2] Cfr. superius, cap. *De Notariis*.

[3] Exemplo harum commissionum esto votum exaratum anno 1441, sub die 12 iunii, quod exscripsi e libro « *Consultationes antiquae Auditorum Rotae* » (fol. 27 et 28, Arch. Rot.) et est insequentis tenoris, nempe:

Omnipotentis dei Auxilio Invocato. Cum Nuper pro parte Scissimi dñi nostri pape, per Medium Rmi. in Christo P. dñi. L. sacroste. ro. ecclie presbri cardi.lis acquilegieñ. ac Camerarii, Nobis sacri palatii causarum Auditoribus, Eiusdem Scitatis filiis et servitoribus, fuerit Jniunctum ut super certa lite, questione et differentia vertentibus Inter R.dum P. dñm sagacen Epm carpentracen, ac magnificos dños Altum et Gratum de Comitibus fratres germanos, Coram R.mo P. et dño., d. Jo. cardi.li Tarentino aplice sedis Legato, qui de predictorum fratrum voluntate et assensu, pro eiusdem cause decisione nostrum requisivit consilium ac deliberationem

Transmissis ad nos certis Juribus, ac diversis consiliis in certo saculo, eiusdem R.mi d. Legati sigillo proprio sigillato, secundum quod nobis impositum fuit, ut nostrum consilium exhiberemus,

« Nos vero, prefati Auditores, obedientie filii et Eiusdem S.mi d. nostri preceptis obtemperare volentes, visis et diligenter inspectis predictis Juribus in predicto

ctans, Rota - uti fuse inferius recolam - speciali modo procedendi usa est.

12. – Denique solemne fuit etiam Rotae Auditoribus causas committere *cum facultatibus Auditoris Camerae* prouti Decisiones aliquot inter *Recentiores* comprobant. In his uti poterant Auditores facultatibus Auditoris Camerae.

saculo contentis ac ipsis consiliis diversorum consulentium diligenti studio digestis et exaratis, et aliis plĩbus ultra ea in Jure discussis et ponderatis, Inherendo vestigiis nostrorum patrum dominorum de rota, Obmissi Jurium allegationes, secundum ipsorum patrum morem, in has conclusiones devenimus, que inferius describentur.

Ex predictis Juribus videntur nobis infrascripta dubia elicienda.

« Primum. An Instrumentum donationis facte per Magnificam Ildebrandinium Alto filio suo, ... ».

Super quo dubio. Attento quod ex ipsius inspectione Elici potest verus tenor ipsius instrumenti .....

« Secundum dubium. An Emancipatio ..... ».

Et pariter credimus quod de Jure valida censeri debeat.

« Tercium dubium. An prefata donacio ..... ».

Et in hanc partem tamquam Juri magis consonam inclinamus .....

« Quartum. An testem ..... ».

Et credimus ipsum testimonium esse nullum .....

« Quintum. An prefata donacio facta dño Alto ..... ».

Et in hoc visum est maiori parti dominorum Collationi locum non esse.

R.me in Christo Pater. Hec sunt que consulti per R.mam d. vestram super prefatis dubiis credimus et de Jure fore respondemus, hiis solis consideratis et attentis que in saculo transmissa sunt. Verum quia ab ipsis dominis ad nos sponte venientibus et a nobis super dicta causa auditis percepimus, quod quedam allegantur extrinsecus ad presentem in predictis scripturis non contenta nec allegata, videlicet quod predicta donacio fuerit fraudolenter facta ..... Cum non simus Judices, sed consultores tantum, non respondemus. Que si vera essent opus esset longiori deliberatione.

Et ad fidem predictorum sigillum magnum nostrum auditorum rote duximus hic inferius apponendum, sigillantes predictum consilium extrinsecus cum alio nostro sigillo parvo.

Item, R.me P., Ea que supra scripsimus, Credimus et Tenemus de iure fore vera.

Quoniam (?) quidem intelleximus d[ominationem] vestram permaxime anhelare ut sequatur concordia inter predictos dominos germanos, videretur nobis, salva semper preordinatione d. vestre, quod Jus collationis in quo consistit maius pondus, Alto ponatur in dubium. Ad hoc ut ipse dubitans de Jure suo, Capiat donationem praecipuam et renunciet successioni patris ab intestato. Quo facto, divisa hereditate ...

Auditores residentes tempore quo hec consultatio reddita est, erant infrascripti

Primus R.ndus pr. dñs geminianus de prato, decanus dominorum, Et prepositus pistariensis

dñs Iohannes lolyer Archidiaconus constansiensis
dñs Baptista de roma Electus theatinus et Auditor
dñs petrus de caveis rubeis decanus seguntinus
dñs Bernardus de narne
dñs paulus de sancta fide prepositus ylardensis
dñs simon de valle canonicus zagrabiensis
dñs Iohannes didaci abbas de cervactos

Anno dñi. mill°. CCCC°XLJ° de mense Junii die duodecima.

Laus deo.

13. – Ex his diversis modis quibus causae Auditoribus Rotae commissae fuerunt iam hinc a remotiori Rotae aevo, diversi modi eas tractandi derivarunt. Haec tamen auctores, vel nescientes vel non satis attendentes, cum in textibus diversitatem procedendi deprehenderunt, rati sunt inconstantem fuisse praxim iudiciorum in Rota. Quod tamen vero non concinit; quia idem semper modus procedendi servatus est in commissionibus ordinariis, idem in extraordinariis istis quas hoc in capite recoluimus, nempe idem in commissionibus cum clausula *uti Praelato extra Rotam etc.* idem in commissionibus *de voto;* idem in commissionibus cum clausula *cum facultatibus A. C.* Hinc nulla inconstantia, sed necessaria illa varietas a varietate clausularum, commissioni insertarum, de iure progenita et requisita.

CAPUT XXX.

De rescripti commissionis exhibitione et de citatione.

1. - Commissionis rescripto obtento, pars impetrans illud et iudici dato vel concesso exhibebat et per citationem adversario suo tradi petebat.

2. – Qualis antiquissimus stylus fuerit exhibendi Capellanis Auditoribus rescriptum commissionis, et utrum isti processerint ad tradita per Speculatorem in *libro II, part. I, titulo « De rescripti praesentatione »*, documentis non edoceor, etsi admodum verisimile videatur ita reipsa processum fuisse, exhibendo scilicet Auditori idem rescriptum, adstante vel notario, vel duobus idoneis personis, diligenti per Auditorem eiusdem rescripti facto examine ut sibi constaret de illius authenticitate et integritate, et acta a notario eiusdem rescripti copia legali: tradit enim idem Speculator, *ibi*, « rescripti praesentationem « esse de processu, et imo esse per manum publicam redigendam « in scriptis » varias ob causas quas ipse recenset.

3. – Per id autem temporis quo Cappellani Auditores generales causarum curiae domini Papae sese habuerunt et processerunt in vim generalis commissionis, cum speciales commissiones in causis devolutis non darentur, nullum praesentandi rescriptum commissionis occasio suppeditabat. Ast etiam tunc temporis, uti supra retuli, causae per appellationem non devolutae nonnunquam ab Auditoribus audiebantur: hisce in causis specialis commissio data est et propterea illius rescriptum exhibendum erat Auditori. Speculator autem de stilo palatii quoad hoc nil singulare refert.

4. – Posthac, a Gregorio X usque ad soeculum XV certo documento non novi quaenam fuerit praxis rescriptum commissionis praesentandi: neque ex Decisionibus *Novis*, *Antiquis*, *Bisigneti*, *Fastofii* et conclusionibus Aegidii Bellemera quae sunt soeculi XIV, quidquid de hoc erueretur.

5. – Alexander VI, vero, mandavit ut commissiones eius manu signatae et eius mandata et citationes coram Auditoribus palatii nonnisi per cursores pontificios deferrentur. [1]

6. – Accepto commissionis rescripto, Auditor citationem decretabat. Praestat heic animadvertere, Aegidium Bellemera in sua Conclusione 694, tradere Auditorem habere romanam Curiam pro territorio; quapropter cum in citationibus non debeat attendi locus ubi decretantur, sed locus pro quo fiunt ad comparendum, [2] Auditores nostri quovis loco extra romanam curiam decernere poterant citationes, sed « ad locum habilem, videlicet in quo Auditor (citans) in « romana curia sedebit ». Siquidem « nullus Auditor extra territo- « rium suum aliquid facere potest ». [3]

7. – Cum vero citatio - uti tradit Speculator [4] - fieri posset vel per vocem, vel per edictum, vel per litteras, inquirere mihi visum est utrum tribus hisce modis usi fuerint, vel non, Auditores nostri. Mea haec inquisitio primam citationem, seu citatorium primum, respexit potissimum, cum haec sit de processu et fundamentum ordinis iudiciarii [5] ac per eam rescriptum commissionis commune litigantibus fieret, ac exinde reus (seu pars citata) posset « instrui « et deliberare quid debuisset in termino respondere..., et agnoscere « citantem et eius iurisdictionem ». [6]

8. – Nam Auditores causarum s. p. a. ad delegatorum iudicum genus pertinuerunt, uti supra late disserui in cap. IX. Profecto Auditores nostri, ceu quilibet alius delegatus, « in citatione debue- « runt tenorem commissionis inserere » [7] supradictis de causis.

9. Quod citationes factae fuerint per litteras quovis tempore, patet ex innumeris documentis, et pro tempore Speculatoris, ex ipsius testimonio in locis citatis. Item nullum dubium quod citationes datae sint, cum occasio id ferret, per edictum, et post Clementem V,

[1] ARCH. VAT., 29, t. 55, p. 25[t].
[2] Decis. 36, n. 15, part. VI, *Recent.*
[3] Conclus. Bellemerae citata, ibi.
[4] *Specul.*, libr. II. part. I, tit. *De citatione*, 4, § *Sequitur.*
[5] Decis. 295, n. 8 et 13, part. VII, *Recent.*
[6] *Specul.*, ibi, l. c.
[7] Idem, ibi.

servata forma Clementinae « *Dudum* » *de iudiciis*, in casibus inibi expressis. [1]

10. – Et quoque orali citatione usi sunt Cappellani Auditores: hi enim saepe citarunt per tabellionem seu notarium, saepe etiam *per partem*, dicentes « actori vel reo: dic adversario tuo ut compa- « reat tali hora et tu etiam tunc compareas ». Hoc pro tempore suo testatur Speculator, [2] animadvertens secundum modum citandi, nempe per partem, potius retorqueri ad factum, quam ad ius.

11. – Ast ex eodem Speculatore fas non est liquido percipere utrum orali citatione usi fuissent Cappellani Auditores in alteris citationibus tantummodo, sed etiam in prima. Tunc temporis ipsi procedentes qua Auditores generales in vim generalis commissionis audientiae in causis appellationum, necesse non habebant suam iurisdictionem iustificare; ideoque, more vigente iter arripiendi Romam vel ad apostolicam sedem in vim innocentianae legis anni 1245, partes ambae saepe in romana curia aderant: hinc non videtur absonum, talibus in adiunctis ut etiam primum citatorium fieret vel per tabellionem vel per partem. In ceteris causis specialiter sibi commissis, puto, Auditores etiam tunc temporis per litteras citasse: et revera de hoc modo citandi, seu de citationibus per litteras idem Speculator refert, has ipsos frequentasse. [3]

12. – Utcumque; idem Speculator ibi nobis auctor est, tunc per litteras Auditores citasse « quandoque etiam extra curiam: nam de « consuetudine diutius observata citant extra curiam usque ad duas « dietas ». Et refert formam citationis tam pro uno quam pro altero casu: ad eum lectorem mitto, si ei lubeat easdem formas noscere.

13. – Sequioribus soeculis forma citationis quaenam fuerit facile perspiciet lector in meo quarto tomo. Quaenam vero ipsi inductae fuerint mutationes in vim Motusproprii Gregorii XVI pro causis appellationis Urbis et pontificiae ditionis, eruitur ex *Pratica*, item inserta eidem meo quarto tomo. Sed et novissima et antiquae formae citationis sibimet conveniunt in substantialibus, nempe; in nomine citantis, et citati, in loco ad quod citatur, in expressione personae coram qua citatur, in expressione causae de qua agitur, in data etc. Et quoad personam coram qua citatur, usque in more positum fuit coram Auditore Ponente vel suo a studiis Adiutore in ius vocatos citari.

[1] Decis. 22, n. 2, *De Rescript.*, et decis. 19, n. 1, *De dol. et cont. in Antiquis.*
[2] *Specul.*, libr. II, part. I, *De citat.*, § 4, *Sequitur*, n. 1.
[3] Idem, ibi, § 6, *Dicto.*

14. - Porro litteras citationis quae dabantur ab Auditoribus citantibus extra curiam intra duas dietas, plebanis vel canonicis huius vel illius ecclesiae mitti solemne fuisse videtur: nam Speculator, illarum formam tradens, et Plebanos et Canonicos dumtaxat memorat per quos reipsa citabant. [1]

15. – In curia vero iuxta Decisionem VIII (alias 93) *de testibus* in *Novis*, (soeculo XIV) sive causa fuerit per appellationem, sive per citationem, sive de speciali mandato, partes erant initio citandae ad totam causam, et postea ad singulos actus usque ad diffinitivam sententiam inclusive. Ast posteriores huiusmodi citationes « quae fiebant « postea in Curia per audientiam, vel alias, potius erant vel fiebant « de quadam urbanitate quam necessitate seu rigore iuris, prout leg. « et not, in c. statuimus, de elect., libro VI etc. ». Mirum igitur non est si fierent per tabellionem aut notarium et etiam factae sint per partem, uti refert Speculator (soeculo XIII); immo ideo Rota tenuit, citationem generalem complectentem omnes actus qui in causae prosecutione de iure requiruntur etiam si ad omnes actus specifice fieret deductio et numeratio, valere et ratam habendam esse [2] (soeculo XIV).

15. – Praxis per insequentia soecula fuit citandi per cursores: colligitur ex testimoniis, in tot Decisionum collectionibus iacentibus: demum quae, novissima fuit, patet ex « *Pratica* etc. » quam videas in meo quarto tomo.

CAPUT XXXI.

De Inhibitionibus.

1. – Quae disseruimus adhuc, de citatione scribentes, non essent undequaque absoluta, nisi de inhibitionibus nonnulla narrarentur.

2. – Itaque, stylus Rotae fuit, quod Auditor datus in causa appellationis interpositae in partibus cum negocio principali, statim possit inhibere, consisto de appellatione « et per appellationem causam (fuisse) « ad Curiam devolutam »; item, Auditor cui commissa fuisset causa appellationis non devolventis et negocii principalis cum potestate citandi ad partes, statim posset secundum aequitatem canonicam et stylum palatii inhibere iudici a quo; item, Auditor cui commissum fuisset negocium principale de speciali mandato Papae cum potestate citandi ad partes, posset inhibere, citatione decreta, licet non exsecuta;

[1] *Specul.*, in citat. tit. *De citatione.*
[2] *Diversorum*, tom. III, decis. 231, libr. II, n. 5.

denique, Auditor in causis appellationum ab Auditore Camerae vel aliis iudicibus, statim parte citata ad dicendum contra commissionem, inhibere posset, causam nunquam remittens, sed penes se retinens.

3. – Haec in summa edocentur a Decisione III *alias 11* in titulo *De appellationibus*, in *Novis;* et concordant cum traditis a Speculatore, qui de stylo inhibendi, iam in *lib. II, part. I, de citatione, sub* § *6, n. 7*,scribit; « Quandoque Auditor suscepta causa appella- « tionis, vel negotii principalis, inhibet Ordinario ne de causa ipsa « intromittat » et formam inhibitorialium litterarum tradit.

4. – Decisione autem 58 *alias 512* eiusdem collectionis *Novarum* scimus quandonam inhibitio canonica esset dicenda: « Nam » - ita ibi n. 2 et 3 - « ad huiusmodi inhibitionem canonice faciendam requi- « runtur duo vel tria, videlicet quod appellatio,.. si foret probata, « deberet legitima reputari ...; quod per talem appellationem sit devo- « lutum negotium... et quod (Auditor) recepta huiusmodi appellatione « ex causa probabili interposita, incipiat cognoscere an huiusmodi « causa sit vera ...: et tunc canonica dicitur inhibitio ».

5. – Inhibere vel inhibitio, idem sonant ac prohibere vel prohibitio. Inhibitione igitur Auditores nostri auctoritate prohibebant, seu cum imperio vetebant, quominus iudex a quo, vel quivis alius aliquid faceret vel quomodocumque procederet in causa illa: ideo in forma inhibitorialium litterarum tradita a Speculatore, loco superius citato, etiam episcopis scribentes Auditores profitebantur, eisdem *praecipere* et *mandare*, quatenus in dicta causa supersederent, « cum (causa) « ad maius tribunal, mediante iustitia, sit delata ». Post factam inhibitionem, quidquid fieret ab inhibito iudice, nil valebat, [1] et *attentatum* erat. [2]

6. – Rotalis inhibitio semper erat omnino timenda, [3] sive iusta fuisset, sive iniusta, [4] neque iudex inhibitus poterat cognoscere an et quos casus comprehenderet, [5] neque de eius viribus iudicare: [6] soli enim Papae vel Rotae ius erat rotalem inhibitionem cognoscere vel declarare. [7] In curia lata, utrum inhibitio canonica esset vel non, distinctio non fiebat et semper erat timenda, quamvis fuisset iniusta. [8]

[1] Citat. Decis., 58, in *Novis.*, n. 3.
[2] Decis. 228, n. 1, part. XVI, *Recent.*
[3] Decis. 328, n. 1, et Decis. 513, n. 9, part. I, *Recent.*
[4] Decis. 796, n. 1, part. III, *Recent.* et aliis quamplurimis.
[5] Decis. 124, n. 5, part. I, *Recent.*
[6] Decis. 595, n. 10, part. XVIII, tom. II, *Recent.*
[7] Decis. 292, n. 4, part. XI, et Decis 109, n. 7, part. XIX, tom. I, *Recent.*
[8] Decis. 179, n. 4, part. VII, *Recent.*

7. – Inhibitioni inserendum erat tenor commissionis, ne inhibitum iudicem lateret legitimam iurisdictionem Auditoris inhibentis: persuasum enim erat, Auditorem extra causas sibi commissas nullam habere iurisdictionem et in causis sibi commissis censeri delegatum: ideo probare debebat mandatum suum. Neque mirum est, Speculatorem formae inhibitorialium litterarum non inseruisse tenorem commissionis. Nam loco citato Speculator agit de Auditoribus *generalibus* causarum palatii domini Papae, qui, iuxta opinionem tunc temporis vigentem et observatam, procedebant in vim generalis commissionis tamquam ordinarii: ideo necesse non habebant probare mandatum suum, cum sufficeret probasse se fuisse revera Papae Capellanos Auditores generales causarum palatii, quod peragebatur litteris datis in causa appellationis et sigillo Auditoris munitis: « Eorum litteris obeditur » scribit ipse sub *n. 1, loco citato* « et sigillis eorum creditur in causis, « per appellationem, et etiam per simplicem querelam ad apostolicam « sedem delatis ».

8. – Inhibendi stylus usque viguit in Rota: tantummodo finem accepit ubi Rota a Gregorio XVI facta fuit ordinarium ecclesiasticae ditionis tribunal appellationis, saltem pro causis istius ditionis: nam pro ceteris catholici Orbis pro quibus mansit papale tribunal, num saltem de iure stylus vigere adhuc debuisset, mihi in dubium non videtur posse revocari. Gregorianus enim *Regolamento* stylus omnes Rotae servandos esse dixit qui novis legibus generalibus pro Iudicibus constitutis non contrairent. Ast leges illae dumtaxat ecclesiaticae ditionis iudices spectarunt. Quaestio vero alia est num, scilicet, soeculo XIX, practice expediret stylum inhibitionum servare, attentis inductis ab Gallica revolutione moribus.

9. – Utcumque: litterae inhibitoriales dabantur sub nomine Auditoris, expressa qualitate Capellani Papae et iuris utriusque Doctoris, sicuti ceterae officiales litterae rotales.

CAPUT XXXII.

De contradictionibus in rescriptum commissionis et de litis contestatione.

1. – Rescripto commissionis per unam vel plures citationes - uti supra exposuimus – utrique parti litiganti facto communi, utraque pars illud vel pacifice acceptabat, vel oriebatur super eo controversia. Si primum daretur, iam ad acta iudicialia gressus fiebat; si alterum, controversia erat imprimis dirimenda.

2. – Speculator tradit quotuplici modo rescriptum commissionis potuerit impugnari:[1] nempe: « quandoque ratione falsi; quandoque « ratione eius formae; quandoque ratione impetrantis; quandoque « ratione eius ad quem impetratur; quandoque ratione eius contra « quem impetratur; quandoque ratione defectus; quandoque ratione « caussae, et aliis modis ». Hos modos late, more suo, idem Speculator singillatim explanat; ast ex institutione operis reor non esse quae ipse tradit vel summatim heic referre. Tantummodo si et in quantum claritas id expostulet, aut in textu aut in nota, quae magis opportuna de aliquo videantur, subnectam.

3. – Interim quaerendum est cuinam in palatio Papae ius esset huiusmodi controversias definire, et de facto quinam eas definierit: hoc enim historiae conditoris est.

4. – Porro iuxta ea quae superiori capite VI ad n. 12 tradidi, ius ad nonnullas saltem has controversias definiendas Auditori contradictarum fuisse planum est. Ast *de facto*, vel quia et constitutio Auditoris officii pedetentim facta est, vel potius quia innocentiana lex anni 1245 per quam Auditorum nostrorum officium stabile factum est dum antea, expleto commisso negocio, cessabat, magnam nequivit non progignere opinionum varietatem in principiis iuridicis applicandis vel interpretandis; vel quia summa benignitas qua Innocentius IV primo et illius successores postea (dempto tamen, uti videtur, Alexandro IV) usque ad Gregorium X, summi Pontifices, Capellanos Auditores prosequuti sunt, istorum mentes adeo extulit ut ipsi sese haberent non amplius delegatos, sed *quasi ordinarios*,[2] persuasum est, saltem per id temporis quod ab Innocentio IV ad Gregorium X defluxit, Capellanos Auditores, saltem aliquoties, de huiusmodi controversiis iudicasse. Ita, v. g., anno 1264, egit Geraldus, Capellanus datus Auditor ab Urbano IV in causa cuius sententia relata est in Urbani Regestro sub n. 156,[3] in qua controversum est de loco iudicii, quippe quod unus ex litigantibus negabat causam fuisse devolutam et ideo « non posse in Romana Curia tractari ». Geraldus tamen expresse fatetur, se processisse « *de speciali mandato* praedicti Domini nostri ».

5. – Utrum hinc ab initio Capellani Papae Auditores causarum s. p. a. nequiverint, uti serius consuetudine inductum fuit,[4] suspectos

[1] *Specul.* libr. II, part. I, § *Dicto*, 2, tit. *de rescripti praesent.*
[2] Ibi, libr. I, part. I, de iud. deleg. § 2, iam. n. 9.
[3] In Regestro typis edito, n. 1107.
[4] Cfr. vol. III, pag. 441, n. 344.

alligari, vel recusari, mihi exquisitum non est. Profecto cum praecipua ratio, ob quam causam suspicionis definitum fuit non posse cadere in Auditoribus Rotae fuerit « quia in commune iudicant, et Ponentes « suorum Coauditorum consilia in extendendis Decisionibus et sen- « tentiis proferendis religiose observare et sequi debent », [1] antequam tribunalis collegialitas exorta fuisset (scilicet ante Clementem IV, 1265) - hac exulante ratione, vis legis *Apertissimi*, 16, tit., lib. III Codicis urgebat, qua delegatus iudex suspectus recusari poterat; [2] nisi tamen litigatores eum prius petiissent vel suo consensu approbassent. [3]

6. – Ast in dubium revocari nequit, Pium IV et Paulum V [4] lege sanxisse, non posse in Rota cognosci ab Auditoribus causas familiarium suorum, consanguineorum, affinium etc. in quibus suspicio ex sese oriri poterat: item indubitatum est eidem legi fuisse obtemperatum etsi, uti testatur Emerix [5] et confirmat Clemens XII in bulla « In summi « Pontificatus », [6] serius successu temporis multas causas illis in constitutionibus exceptas agitari in Rotae auditorio contigisset: quod Clemens XII constitutione praedicta ex parte sanxit, decernens quod in posterum causae Auditorum propriae et eorum consanguineorum in primo tantum gradu, et Studiis inservientium nullimode viderentur in Rota: ceterae vero viderentur neque avocari a Rota liceret, si introductae forent consentientibus partibus. [7]

7. – Quid factum fuerit, vel quid retentum postquam Clemens IV collegialitatem tribunalis Capellanorum induxit, compertum non habeo: verum talis temporis periodus in exemplum merito nequit adduci; nam certe Capellani Auditores in suum favorem innocentianam legem anni 1245 ad extremas consequentias traxerunt, e quibus recessum non est, nisi post Gregorium X, quando opera cardinalium summi Pontifices, successores Gregorii, res in suis iustis terminis ut concluderentur, effecerunt, et Auditores causarum s. p. a. neque se habuerunt, neque ab aliis habiti sunt ordinarii, seu *generales* Auditores causarum palatii domini Pape.

8. – Hinc mirum non est in actis Capellanorum Auditorum illarum tempestatum explicitam mentionem fieri de contestatione litis

[1] Emerix, *Praxis*, part. I, tit. X.
[2] Brunneman, in praecit. leg. *Comment. in Cod.*
[3] Ibi, l. c.; *Specul.* libr. I, partic. I, De recusat. iud. § 1. *Recusari*, n. 7: *Auditor etiam recusatur, nisi de partium sit datus assensu.*
[4] Vol. III, nn. 165, 197.
[5] Citat. *Praxis*, l. c.
[6] Vol. III, pag. 502, n. 409.
[7] Ibi, l. c.

coram Auditore legitime et rite peragenda et facto peracta. Se enim - uti saepius animadverti - Capellani habebant Auditores generales causarum curie domini Papae; ideo in causis in quibus qua generales auditores procedebant, cum non reciperent specialem commissionem sed procederent in vim generalis commissionis audientiae, lis erat coram Auditore contestanda : deficiebat enim ille Principis rescriptus, seu libellus Principi oblatus, qui litis contestationem faceret. In ceteris causis speciali commissione commissis, se habentes *quasi ordinarios*, commissionem specialem potius distributionis quam commissionis vi pollere rati forte sunt; ideo necessitas sibi visa litem et in eisdem contestandi.

9. – Verum, quaecumque demum fuerit ratio qua moti tunc et postea Auditores fuerint ad contestandam formiter litem, persuasum tamen est, soeculo insequente XIV, saepius super necessitate contestandi litem fuisse disputatum, et varie fuisse pro varietate casuum conclusum, ita ut v. g. in causis appellationis, si appellatio interposita fuisset a diffinitiva sententia iudicis coram quo iam lis fuerat legitime contestata, litis contestatio non reputaretur necessaria ; e contra, vero, si appellatum fuisset ab interlocutoria.[1] Sed etiam hoc in altero casu non idem iuris semper fuit. Nam, Speculator (quem decisio VI *de litis contestatione* citat in *Novis*) si appellaretur ab interlocutoria super articulo gravaminis, litis contestationem non esse necessariam Auditoribus nostris declarasse Clementem IV, refert:[2] necessaria vero si, omisso articulo gravaminis, procederetur in negotio principali et coram primo iudice lis non fuisset contestata. In summa, principium iuris invaluit unam litis contestationem in una causa esse necessariam, et non plures « quia hoc non reperitur in iure cautum ».[3]

10. – Sequioribus soeculis, vero, Rota tenuit, litem fuisse contestatam, stante commissione et citatione cum inhibitione decreta et exsecuta ac in actis reproducta.[4] Ideo illius amplius in rotalibus decisionibus mentio non fit.

11. – Huius styli vero causa legitima et adequata fuit - ut reor - lex Clementis V in const. « Dispendiosam » (superius in cap. XXVI relata) qua delegatis a Papa iudicibus facultas fit litis contestationem non requirendi.

[1] Decisiones *Novae:* de lit. contest. decis. 1, *Antiquae:* eod. tit. decis. 6, et alibi.
[2] *Specul.: de iuram. calumn.*
[3] Citat. decis. VI, in *Novis,* de lit. contest.
[4] Decis. 187, n. 12, part. VI, *Recent.*

CAPUT XXXIII.

De terminis.

1. – Ne lites fierent immortales et partes aequo plus fatigarentur laboribus et expensis, certa temporis spatia leges constituerunt intra quae processualia acta erant ponenda. Haec temporis spatia appellata fuerunt *termini*.

2. – In s. a. palatio, seu in Rota, stylus mosque fuit terminos in substantiales et non substantiales dispesci; ita quidem ut tamquam substantiales observari solemne antiquitus fuisset terminos « ad « ponendum, et articulandum, et dicendum contra articulos, et ad « producendum omnia, et ad dicendum contra producta »;[1] ceteros vero, non substantiales.

3. – Cum autem praefiniti termini a iure per notabillimum temporis spatium processuum confectionem producerent, facta a Rota distinctione inter terminos substantiales et non substantiales, iam plurimum lites abbreviabantur: facile enim Auditores non substantiales terminos spernebant, in vanum strepentibus litigantium malitia et advocatorum versutia. Attamen, cum termini etiam substantiales de iure potuissent a iudice ex causa prorogari, illa distinctione non obstante, lites per annos pendere poterant in Rota.

4. – Neque ad celeriorem causarum tractationem conferebat carentia in Auditoribus nostris potestatis terminos prorogandi: nam terminos prorogari actus est iurisdictionalis, unum videlicet ex illis causarum mediis quae antiquitus non intelligebantur commissa in prima commissione causarum, nisi expresse in commissionis rescripto continerentur: ideoque cum partes terminos prorogari vellent, necesse illis erat specialem commissionem petere, qua Auditori Ponenti facultas fieret terminos prorogandi. Unde non parvum temporis dispendium et longior confectio processus.

5. – Quapropter, ut celeritati aliquomodo consuleretur, saepius causarum commissionem dari solemne fuit cum clausula « terminis « non servatis, sola facti veritate inspecta ». Hisce in casibus poterat Auditor earumdem causarum terminos palatii, seu substantiales, ad suum arbitrium abbreviare, ceteros vero penitus omittere.[2]

6. – Soeculo XIV, quo « nimis faciliter obtinebantur » commissiones cum praedicta clausula, cum exinde multa dubia orirentur de

[1] Decis. II, alias 33, *de Rescript.* in *Novis*, n. 1.
[2] Ibi.

modo procedendi, Urbanus VI modum invenit duos priores terminos coarctandi ad primam vel secundam diem, quartum regulandum secundum multitudinem productorum, et si testes debuissent produci extra curiam, fieri ut moris erat. [1]

7. – Ast cum Aegidius Bellemera « crederet quod si termini ad « ponendum omnia omitterentur, dummodo assignaretur unus perem- « ptorius partibus ad proponendum, ponendum et probandum omnia « quae valent in causa, quod processus non esset nullus (quia totus « stylus et rigor iuris, secundum eum, sublatus est per dicta verba « in commissione expressa) » Auditores postea fecerunt quandam ordinationem de modo procedendi vigore commissionis antedictae. [2]

8. Hanc ordinationem refert citata Decisio II *de Rescriptis* in *Novis*, et operae praetium est eam heic per extensum exscribere: « Quia nonnulli dubitantes de modo procedendi vigore commissionis « factae ut sola veritate inspecta et terminis non servatis vel abbre- « viatis, procedatur, ad tollendum omne dubium sic erit procedendum, « videlicet: In beneficialibus et aliis causis in quibus alias de iure com- « muni summarie simpliciter et de plano etc. proceditur, ut per dicta « verba, si ea omnia in commissione exprimantur aliquid operentur, « si partes sint in Curia et sint praesentes, omisso termino ad libel- « landum et recepto statim iuramento de calumnia a partibus, (quod « tamen si tunc omittatur, potest recipi in quacumque parte litis) ad « dandas positiones et articulos concludentes, terminus decem die- « rum; - ad dicendum contra articulos, ad primam - ad producendum « omnia, etiam ad primam diem; - ad dicendum vero contra producta, « secundum multitudinem productorum arbitrarie, *in prima instantia*, « assignatur. - *In secunda* vero, et *tertia instantiis*, ad ponendum et « articulandum, ad secundam diem et alii termini, ut supra in prima « instantia, observentur. - Si vero una partium fuerit absens, ita quod « in eius absentia per audientiam sit processum, vel procedendum, « si in praedicta commissione de ipsius absentia fiat mentio et con- « cedatur quod sola facti veritate inspecta, ut supra, procedatur, « servetur modus procedendi antedictus: alioquin omnes termini « Palatii serventur ut est moris. - Si vero unum de duobus prae- « dictis in commissione concedatur (puta: quod sola facti veritate « inspecta, vel terminis non servatis, procedatur) serventur omnes « termini Palatii, sed abbrevientur ad arbitrium iudicis. - In causis

[1] Decis. II, alias 33, *de Rescript.* in *Novis*.
[2] Ibi, n. 3 et 4.

« vero prophanis, si committatur causa, quod summarie, simpliciter « et de plano ac sola facti veritate inspecta et terminis non servatis « procedatur, servetur modus procedendi, ut in causis beneficialibus « supradictis, servata semper distinctione de praesentia vel absentia « partium, superius adnotata. - Si vero committeretur causa prophana « simpliciter et de plano etc. sed quod sola facti veritate inspecta « procedatur, tunc potest procedi summarie, simpliciter et de plano « etc., omnes tamen terminos Palatii, in summario processu servari « consuetos, observando et in nullo abbreviando. - Si vero conceditur « quod terminis non servatis vel abbreviatis procedatur, tunc omnes « termini in causa prophana servari consueti, observentur, sed « abbrevientur ad arbitrium Auditoris. - Si vero utrumque conceditur: « videlicet, quod sola facti veritate etc. et terminis non servatis etc., « tunc omnes termini, ut in processu summario serventur, et etiam « abbrevientur ad arbitrium Auditoris. - Quae ordinatio facta fuit « Romae anno Domini 1380 die 7 ianuarii, Pontificatus Ssmi in Christo « Patris et domini nostri, Domini Urbani, divina providentia Papae VI, « anno secundo ».

9. – Facile quidem sedulus lector videat, me non abs re supra dixisse operae praetium esse, factae a Rota tunc temporis ordinationis de modo procedendi in causis commissis ut procedatur terminis non servatis tenorem per extensum heic tradere: ex ipso enim plura deduci fas est, nempe Rotam in causis beneficialibus summarie processisse prouti in aliis causis in quibus alias de iure communi summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii procedebatur; item, Rotam secus processisse in causis prophanis seu non beneficialibus; item, etiam has causas prophanas aliquoties consuevisse committi ut procederetur de plano, simpliciter etc., denique - et hoc heic est singulariter animadvertendum pro re nostra - vere ponderosam fuisse et summopere implicatam praxim servandi vel abbreviandi aut prorogandi terminos substantiales iudiciorum.

10. – Hinc, cum post magnum occidentale schisma pro posse adnisum fuerit ut iudiciorum praxis expeditior fieret in romana curia, hocque fuerit in constantiensi concilio conventum inter tot alia, mirum est, tantummodo anno 1487 potuisse Innocentium VIII ordinatione « Finem litibus » occipere innumeras quaestiones et inutiles defatigatoriasque exceptiones praepedire quae ex lege de observandis terminis iuris quotidie oriebantur. Auditoribus edixit enim, factam fuisse una causae commissione facultatem in quavis instantia novas dilationes concedendi, ad reiterationem terminorum, male observatorum, partes

eorumve procuratores admittendi, fatalia in causis prorogandi vel de novo concedendi, et huiusmodi, prouti inibi videre est. [1]

11. – Non omne quidem Innocentius VIII hac sua ordinatione punctum tulit, quippe qui non ex integro ab lege observandi terminos Auditores exemit; sed subsequuta ordinationis observantia ita larga fuit, ut auctor adnotationum ad Decisiones novas, antiquas, etc. editas Lugduni anno 1567 (quas prae manibus habeo) fateatur (*pag. 8*) bullam (seu ordinationem praedictam) Innocentii omnem ordinem, servari quoad terminos solitum in Rota, destruxisse.

12. - Et cum etiam extra Rotam - prouti idem auctor testatur, loco citato, - post praefatam ordinationem et subsecutam in Rota observantiam, occeptum fuisset « commissiones reiteratorias facillime « concedi cum clausula *etiam si termini male et nulliter ac inculcate « tenti et servati fuerint*, adeout saepe termini omnes observarentur « in duobus audientiis et etiam in una tantum, ut permittit dicta « Bulla », lege cavit Pius IV anno 1561, unica commissione causae posse Auditorem praefigere terminum ad docendum de attentatis, nullitatibus, causis restitutionis in integrum, dilationes concedere, prorogare fatalia etc. [2]

13. – Quae quidem anno 1611 iterum sanxit in *Reformatione Tribunalium Urbis*, (bulla: « Universi agri ») Paulus V, qui insuper addidit: « Necnon possit Auditor praefigere terminum ad docendum « de appellatione et eius legitima prosecutione ... Insuper, et tempus « quadrienni in causis restitutionis in integrum possit Auditor pro- « rogare arbitrio suo. - Et tam dictam, quam omnes alias facultates « sibi, vigore Innocentianae, vel Constitutionis Pii IV, aut aliorum « Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum competentes, « *extendimus et habere locum decernimus, etiam in causis cuilibet Rotae « Auditori extra Rotam commissis* ». [3]

14. – Terminos vero tam Pius IV quam Paulus V constituerunt substantiales pro publicatione sententiarum, quibus non observatis, sententiae ipsae pro circumductis habendae erant. Etenim uterque statuit: « sententiae latae per Auditores prout in cedula, ut moris est, vel per « viam termini pro servato, subscribantur et publicentur in actis intra « quindecim dies: et in ultima anni audientia latae, infra mensem: « alioquin pronunciationes huiusmodi pro circumductis habeantur ». [4]

[1] Cfr. vol. III, pag. 221, n. 132.
[2] Ibi, pag. 297, n. 165. Constitutio: *In throno iustitiae.*
[3] Ibi, pag. 324, n. 197.
[4] Ibi, ll. cc.

15. – Haec romanorum Pontificum legislatio et consecuta posterior observantia si liberiorem effecerunt iuris communis de terminis observandis praeceptorum practicam acceptionem, a terminorum tamen observantia, ita liberius in praxim deducta, non excusarunt.

16. – Et reipsa usque termini servati sunt. Adeo ut, ne incoeptorum processualium actuum valor exciderent, ubi terminos datos finire contingeret feriis seu vacationibus incoeptis, ante ferias tribunal dabat *terminos pro servatis*, nempe, declarabat terminos durante vacationum tempore, non perire, quasi pro eis dies vacationum non decurrerent.

17. – Quinimmo, ante vacationes generales aestivas solemniter Papa per A. C. nuncians Rotae sese omnibus suis tribunalibus ferias concedere, per Rotae Decanum decretum dabat, ipso Rotae Decano, privative quoad omnes alios, dante *terminos pro servatis*, coram notariis actum rogantibus, et praesente universo Rotae collegio, ceu fuse narro in cap. *de Feriis* et nitide refert Celsus in Diario suo. cuius adnotationem publici iuris facio in eodem capite sub n. 11.

CAPUT XXXIV.

De Remissoriis et Compulsoriis.

1. – Nunc est aliquid scribendum de litteris remissorialibus et compulsorialibus, quae passim remissoria et compulsoria nomine venerunt, quaeque dari ab Auditoribus sine speciali commissione non potuerunt ante innocentianam anni 1487 [1] utpote quae inter iurisdictionalia accenserentur.

2. – Innocentius VIII, citata constitutione, facultatem Rotae Auditoribus fecit illas concedendi, sed non ab uno causae Ponente, verum a Ponente, « de Coauditorum consilio ». [2]

3. – Hinc, ubi ageretur de concedenda compulsoria vel remissoria, Ponens dubium in Rota proponebat, an esset, vel non, condenda seu relaxanda.

4. – Ast de his causarum mediis quae praxis fuerit Rotae, apprime edocet Emerix in sua saepius citata *Praxi*. Ea igitur edoceamur, sequentia exscribendo:

[1] Vol. III, pag. 221-222, n. 132, § 4.
[2] Ibi, l. c.

5. – « Rota non dat, neque negat Compulsorias et Remissorias [1] sine disputatione Dubii nisi expresse in actis consentiant. Et ita Auditor ad evitandas ulteriores expensas et moras, debet semper Parti petenti dare Dubium, nisi altera in actis concessioni remissoriae consentiat. Quia tamen Procuratores, et Agentes quandoque petunt huiusmodi dubia ad retardandam propositionem vel expeditionem causae in negocio principali, maxime in ultimis audientiis, solent et debent tunc Auditores proponere vel in una, eademque Rota utrumque Dubium, vel saltem in una Dubium super remissoria, et si illa denegata fuerit, in altera immediate sequenti alterum super negocio principali, ut sic utrique Parti consulatur, et praecludatur via malitiosae causae protractioni.

6. – « Concedit autem passim Rota Remissorias tam in prima, quam in ulterioribus instantiis etiam in gradu Restitutionis in integrum quandocumque materia est relevans, et non potest probari per scripturas, et non fuerunt alias desuper examinati et publicati Testes, seu non affertur aliqua alia limitatio huius regulae, quae impedimentum praebeat concessioni, ut notat *Ridolphin. in praxi part: 1, cap. 12 num. 88 et sequen.*, ubi ponit hanc regulam, et subiungit deinde plures limitationes. Cum hac tamen differentia inter materias prophanas, et beneficiales, inter Petitorium, et Possessorium, quod in materia prophana, et petitorio sit propensior et concedatur non solum ob relevantiam etiam unius articuli, sed etiam plerumque fumo relevantiae, et quod taliter qualiter conducat ad victoriam causae, ut patet ex vulgatis Decisionibus, quae quotidie ad hoc allegantur. In materia vero beneficiali est difficilior, et illam non concedit, nisi dato fumo boni iuris, et nec in prima, nec in secunda instantia, nisi facta obligatione de stando unicae sententiae, et apposito sequestro, quando illa petitur a Possessore, prout latius firmat *Decis. 585, part. 5, Recent.*, quae in hac materia est magistralis. In possessoriis autem, quae regulariter suspendi non debent ob futuras probationes, illa etiam regulariter non conceditur, nisi cum clausula sine retardatione ulterioris processus vel saltem benignius agendo - cum retardatione, vel sine - arbitrio Rotae, ut addatur stimulus celerioris probationis, et alteri parti minus praeiudicium inferatur. Dixi regulariter, quia si

[1] *Remissoria*, seu *remissoriales* vocabantur litterae Ponentis quibus Rotae tribunal iudicem deputabat in partibus, ad peritos deputandos, vel testes examinandos, vel ea omnia peragenda, ad causae cognitionem necessaria vel vere utilia. – *Compulsoria*, seu *compulsoriales*, decretum vocabatur Rotae, vi cuius, deputatus iudex in partibus compellere poterat Notarios, vel alios quoscumque, acta vel documenta possidentes, sed tradere nolentes. (Bondini, l. c., pag. 52).

daretur magnus fumus veritatis materiae articulatae, vel si complicaretur petitorium cum possessorio posset etiam concedi Remissoria sine huiusmodi clausulis, ut advertit, Seraphin. *Decis. 298 num. 301* et dixit Rota in *Cavallien. Decimae faeni 14 iunii 1661 coram bo. me. Avunculo meo.* Iudex vero Remissorialis debet esse religiosus in non trasgrediendo facultates, et absolvere Processum, seu prorogatum, eumque bene sigillatum, et collationatum transmittere ad Auditorem, alioquin Rota illum non attenderet.

7. « Demum praemissa omnia, quae de Remissoriis diximus fere eodem modo servantur in Compulsoriis specialibusque in quibus discuti debet existentia et relevantia scripturae compulsandae ita ut invaluerit vulgata conclusio: Compulsoriam specialem, et remissoriam pari passu ambulare, ut testatur *Buratt. Decis. 552 num. 4 et 5 et Bichius Decis. 323 num. 15* ad differentiam compulsoriae generalis quae a Notariis ex officio simul cum inhibitione generali et alios quandocumque tradi solet, ita ut necesse sit de hoc monere Iudicem ».

CAPUT XXXV.

De subdelegatione iudicum in partibus - accessibus - plantis.

1. – Ediscere praestat ab eodem Emerix qua ratione Rota processerit, ubi necesse fuit, litigiosam rem oculis perspicere, ne iustitiae iura pessumdarentur. Quapropter ab citata emericiana *Praxi*, exscribam sequentia:

2. – « Quando lites versantur super Confinibus, servitutibus vel aliis similibus, quae regularem Iudicis inspectionem requirunt, consuevit Rota semper ad instantiam unius, vel etiam utriusque litigantis, si res in Curia existat, ordinare Ponenti, et Dñis corresponsalibus, ut simul cum Partibus, et illarum Procuratoribus, seu agentibus, accedant personaliter ad locum differentiae, et illum oculariter inspiciunt, ac subinde etiam desuper, si illud futurum utile existimaverint conficiatur planta, quae postea in die disputationis exhibetur in Rota, et ut plurimum multum confert ad rectam et expeditam causae Decisionem,et resolutionem. Si res vero sita sit extra curiam, solet subdelegare Iudicem in Partibus, ut accedat ad locum differentiae, prout annis praeteritis ita utiliter fecit R. P. D. Taia in Causa Pisana Tenutae, ut difficultates quae primo videbentur inextricabiles per discursum, poste factum a d. D. meo Taia accessum, dilucidatae fuerint et resolutio facile capta, et deinde successive amicabilis compositio inter Partes inita fuerit ».

CAPUT XXXVI.

De sequestris oeconomicis, et mandatis de Manutenendo.

1. – Edoceat Emerix (*Praxis,* l. c.) quid fuerit in Rota de sequestris oeconomicis et de mandatis de Manutendo.

2. – « Instant quoque saepe Partes pro appositione sequestri, seu deputatione oeconomi, vel pro mandato de Manutenendo, antequam deveniatur ad discussionem negocii principalis. Quamobrem sive agatur de assicuratione rei, vel personae, sive pro revocatione Attentatorum, aut etiam vigore *Clementinae*, super quibus videas: *Angelus Iacobus de Arena, et Franciscus Curtius in Tractatu de Sequestris inter Tract. General. Part. 3, tom. 2 et Canonistae in Tit. de Sequestro: Posses. et fruct.* sive agatur de concedendo, seu denegando Mandato, debet Auditor, desuper praemissis omnibus dare Dubia opportuna, nec non potest illa expedire per simplicem Libellum nisi Partes in hoc assentiant.

3. – « Tametsi autem Auditor non possit nec debeat contradicente Parte, complicare dubia super sequestris, attentatis, vel mandatis de manutenendo cum dubiis super negocio principali, nihilominus Rota si in examine memorialis desuper porrecti, vel etiam in propositione dubii desuper dati, animadvertat, articulum sequestri, attentatorum, vel mandati, de manutenendo dependere vel magnam habere connexionem cum meritis Causae, solet plerumque ordinare, ut disputetur utrumque Dubium in una, eademque Rota, vel etiam illa combinare rescribendo, ut videatur *de bono iure* etiam ad effectum appositionis sequestri, vel revocationis attentatorum, seu mandati de manutenendo et successive in propositione capere resolutionem et deinde etiam successive concedere expeditionem aliquando super solo bono iure, aliquando super solo articulo sequestri, Attentatorum et manutentionis aliquando insimul super utroque, prout tunc Domini convenerint, et crediderint fieri, vel aequitati magis consentaneum.

4. – « Caeterum, sicut ordo iudiciorum postulat, ut attentata in primis, et ante omnia revocentur, antequam praefigatur terminus ad docendum de causis restitutionis in integrum, ut notat *Coccin. in adnot. 146 per tot.*, sic etiam in qualibet instantia, et gradu restitutionis in integrum possunt apponi sequestra, concedi mandata de manutenendo: Et propterea quandocumque desuper dubia petuntur, debet Auditor illa dare nec facile remittere Partes ad Rotam: Et si hoc suspicaretur mali-

tiose fieri ad differendam propositionem causae in negocio principali, debet se offerre paratum utrumque simul, vel saltem unum in una, et alterum in sequenti Rota proponere, ut supra de attentatis insinuavi.

5. – « Quando autem locum habeat dispositus *Clementinae Audit. de Sequestr. posses. et fruct.* vide *Glos. et Doctores ad illam scribentes, et adnot. Coccin. 238.* Quando vero et cui, et quo casu sit concedendum Mandatum de manutendo, recurre ad Posth. in suo copioso Tractatu desuper edito ». Ita Emerix, ibi.

CAPUT XXXVII.

De attentatis - spolio - recursu - contumacia.

1. – Latum ab Innocentio IV decretum in primo generali lugdunensi concilio de devolutis causis, duo praecipue effecit, videlicet quod si, appellatione interposita ad apostolicam sedem, iudex a quo appellabatur, vel alius quivis aliquid in causa appellata egisset, *attentatum* patrasset, et quod pars contra quam provocatum fuerat, necessario sistere debuisset vel per se, vel per legitimum procuratorem, coram Auditore dato vel concesso, ita ut si neque per se, neque per procuratorem comparuisset, *contumax* fieret.

2. – Exinde hinc ab illa remota aetate frequentius in Capellanorum Auditorum causarum palatii tribunali iudicia de attentatis et de contumacia perfici debuerunt, propter malitiam tum inferiorum iudicum, tum partium litigantium.

3. – De utraque iudiciorum specie operae praetium est singillatim nonnulla referre, ut evidentius pateat nostri tribunalis iudiciorum natura et praxis.

4. – Itaque, quoad attentata, animadvertam in primis Rotam attentata esse tenuisse « omnia gesta lite pendente », uti probant innumerae Decisiones inter *Recentiores*. Ita ut attentata committi dixerit ab eo qui aliud iudicium, lite pendente, super eadem re coram alio iudice intentet: [1] omnia gesta coram alio iudice post avocatam et introductam causam in Rota, vel coram alio iudice; [2] omnia gesta post declarationem Signaturae et simplicem commissionem in Rota; [3] omnia gesta post inhibitionem Rotae; [4] omnia gesta intra terminos

[1] Decis. 178, n. 15, part. X, *Recent.*
[2] Decis. 485, n. 1, part. XVIII, tom. II, *Recent.* et alibi.
[3] Decis. 184, n. 3, part. X, *Recent.*
[4] Decis. 311, n. 1, part. IV, tom. II, *Recent.* et alibi.

iuris ad appellandum [1] et aliis modis, prouti videre est in *Indice Recentiorum tom. I*, sub titulo: « Attentata quando et quomodo « dicantur commissa ».

5. – Hisceque praeiactis, de praxi Rotae referam quae tradit Emerix in sua *Praxi* sub *tit. XIV* primae partis. « Rota » – scribit ipse – « sequendo dispositionem iuris, regulariter revocat attentata « in primis et ante omnia, sive illa in prima, sive in secunda et « ulteriori instantia, aut in sententiarum exsecutione commissa fuerint.

6. – « Debet igitur Auditor, parti petenti dare Dubium super « iustificatione et verificatione et revocatione attentatorum, etiam non « attento quod altera pars opponat, nihil productum esse in actis « unde eadem attentata iustificentur, quia iustificatio necessaria est « pro resolutione favorabili, non autem pro Dubii subscriptione.

7. – « Si tamen Auditor animadverteret, vel suspicaretur, mali- « tiose opponi de attentatis ad retardandam causae propositionem, « seu expeditionem, maxime in ultimis audientiis, tunc debet vel « proponere utrumque Dubium in una eademque Rota, vel illa com- « plicare, si materia hoc permittat, vel saltem in una proponere « Dubium super attentatis, et in alia immediate sequenti aliud super « negocio principali, ut supra de Remissoriis insinuavi.

8. – « Dixi: regulariter; quia quandoque si pars quae attenta- « verit sit pauper, solet Rota ex Rescripto Papae, vel Signaturae, « illorum purgationem reiicere in fine litis, quandoque etiam quando « sunt dubia et valde intricata, solet videre de bono iure vel sim- « pliciter, vel etiam ad effectum revocationis et purgationis attenta- « torum.

9. – « Porro debent attentata, praesertim *facti*, plene et integre « purgari, antequam procedi possit in negocio principali, reponendo « non solum rem in eo statu in quo antea erat, sed etiam resti- « tuendo fructus et omnes expensas usque ad obolum, quando illa « sufficienter liquidata fuerunt, iuxta stylum de quo *coram Celso* « *Decis. 247, n. 14, usque ad finem*, cum concordantibus.

10. – « Et propterea, si super hoc cadat inter partes contro- « versia, debet Auditor ordinare parti quae attentavit, ut reficiat illa « quae sunt liquida, et postea subscribere Dubium: an constet de « sufficienti purgatione attentatorum; nec pro his, aliisque similibus, « de facili remittere partes ad Rotam, quia hoc ad aliud non deservit, « nisi ad gravandum illas inutilibus expensis, et Dominos inani labore.

[1] Decis. 269, n. 1, part. I, *Recent.* et alibi.

11. – « Qualis autem et quae differentia sit inter attentata iuris et « facti, et quomodo haec et illa pro diversis facti circumstantiis debeant « magis vel minus probari et purgari, aliaque similia, hic non per- « tracto; sed haec videri poterunt in copioso Tractatu Lancellotti, « et in permultis Decisionibus quando res, seu occasio, postulabit.

12. – « Ceterum idem stylus, qui in attentatis revocandis com- « muniter servatur, habet etiam locum in Spolio, praesertim violento, « ut passim notant Decisiones, et propterea nihil particulare subiun- « gemus.

13. – « Demum in Recursu ad Iudices laicos, hoc speciale est, « quod recurri ad Iudicem non potest, nisi obtento prius Brevi abso- « lutionis,[1] quod solet dirigi eidem Auditori cui reperitur commissa « causa principalis: et iste, parte opponente, solet dare Dubium: An « sit danda absolutio: ad quem effectum Recurrens tenetur docere, « se purgasse recursum et resarcivisse omnia damna et expensas, « ut firmat Rota in *Decis. 39, n. 21, part. XII Recent, cum concor-* « *dantibus, et alias passim* ».

14. – Quoad autem contumaciam, cum ex institutione operis doctrinam de ipsa tradere, quam haurire quisque potest ex tractatibus iurisconsultorum, non sit, innuere sufficiat, Capellanos Auditores consuevisse hinc iam a tempore Speculatoris contumaces declarare qui coram Auditoribus neque per semet, neque per procuratores, sisterent, partique contumaciam adversarii accusanti, post expectatum diutius contumacem, etiam post terminum eidem praefixum in citatione ad comparendum, dare iuramentum calumniae, sententiamque interlocutoriam immissionis in possessione rei in libello petitae abnuissent. [2]

15. – Facta vero contumaciae declaratione, causa sive negocium principale agebatur in contumacia, et tunc Rota rescribere solebat, ubi tamen pars non contumax bonum fovisset ius, hoc speciali rescripto: « Pro informante », [3] ita significans quod pars non contumax Rotam informaverat, et in illius favorem, iustitia exigente, decisum fuerat negocium.

16. – Ceterum Rota non de facili contumaciam admittebat, cum non admitteret contumacem nisi ubi dolus adfuisset, [4] et secluso dolo, ad declinandam contumaciam leviores etiam admitteret probationes. [5]

[1] In III vol., pag. 407 ssq., n. 301, huiusmodi Brevis exemplum habeto.
[2] *Specul.* libr. II, part. I, de primo decreto, 2, § *Sequitur*. n. 5 (Forma).
[3] Arch. Rot., *Diaria et Positiones*, passim.
[4] Decis. 293, n. 4, part. VI, *Recent.*
[5] Decis. 299, n. 10, part. XVII, *Recent.*

17. – Neque item facile arbitrata fuit pro denegatione audientiae in poenam contumaciae;[1] immo, de stylo, admisit contumaces ad appellandum etiam post decennium.[2]

CAPUT XXXVIII.

De Diebus rotalibus - De Feriis et De Rotis martiniana - urbaniana - cordubensi.

1. – Lege caverat Imperator[3] omnes dies esse iuridicos, illosque tantum manere feriarum dies quos ipse vel aestivis fervoribus mitigandis vel autumnalibus fructibus colligendis ad requiem laboris indulserat, vel quos iis adiunxit natalitio dies Romae atque Constantinopolis et kalendarum ianuarii, item et eos quos in honorem Divinitatis instituit, nempe dies Natalis et Epiphaniarum Christi, passionis Apostolorum, dierum dominicorum, et denique dies Imperatoris solemnes, iis quoque additis « sanctum quoque diem Paschae « et diem Natalis Domini et Epiphaniae septem qui praecedunt et « septem qui sequuntur » diebus, quos « sine strepitu (iudiciorum) « voluit observari ».[4] Ita Capellanorum Auditorum tribunal iure communi innixum hos habuit dies iuridicos et dies feriatos, hac tantummodo facta exceptione, quod loco ferialium imperialium substituerentur dies papales, ii nempe coronationis novi summi Pontificis et in quibus papale consistorium haberet locum. Iis igitur diebus a iudicio causarum erat abstinendum, et si quid iudiciale fieret, nulliter fiebat: quapropter iis diebus Rota nequibat congregari ad iudicandas causas et nunquam congregata fuit.[5]

2. – Et, quum cum morte Pontificis expirasset Auditorum iurisdictio, feriis extraordinariis ipsi per tempus quo sedes vacabat indulserunt usque dum Rota facta non fuit ordinarium tribunal appellationis, ad annum scilicet 1821 pro causis commercium spectantibus, et 1834 pro causis Urbis et pontificiae ditionis, pro quibus eius deinceps iurisdictio, etiam mortuo Papa, stetit.[6]

[1] Decis. 178, n. 23, part. IV, tom. III, *Recent.*
[2] Decis. 728, n. 5, part. II, *Recent.*
[3] *Cod.* lib, III, tit. XII, *De Feriis*, l. *Omnes*, 7.
[4] Ibi, l. c., l. *Ut in die*, 2.
[5] Emerix, *Praxis*, tit. XIX, *De Diebus ferialibus et de Feriis tam ordinariis quam extraordinariis.*
[6] Bondini, scribit: « Le ferie straordinarie occorrevano nel tempo della Sede « vacante quando la Rota era tribunale di commissione e non ordinario come oggi « è ». (*Del trib. della S. R. R.*, pag. 24).

3. – Proindeque post annum 1834 *feriae* haec enumerabantur in Rota, nempe: « tutte le feste, così dette, *di precetto*... poi... quella « vacanza che principiando a Natale ha termine dopo l'Epifania e, « come per rotal linguaggio dicesi, *post Reges*..., [1] le ferie di sessa- « gesima e quinquagesima... (scilicet per carnis privium), le pasquali « che dal venerdì prossimo alla settimana maggiore insino alla Dome- « nica *in Albis* durano e che, occorrendo di significarne il fine, si « rescrive: *Post Agnos*... [2] Nel mese di maggio, per una sua buona « metà che spesse fiate tocca i primi di giugno, si dà luogo ad una « specie di di feriali, con general vocabolo detti *potiones*. [3] Ultima- « mente, le ferie generali cominciano nell'agosto e si continuano fino « ad una metà di novembre, o in quel torno, *post aquas*. [4]

4. – *Potiones*, vero, incognitae fuerant Auditoribus Rotae qui ante annum circiter 1650 vixerunt vitam. Nam in *Diariis*, *potionum* mentio fieri incipit de iis annis. Iisdem causam dedisse videtur factum quod hinc ab aliquot annis complures Auditores valetudine sub fine mensis aprilis consueverant laborare. Reipsa pervolventi mihi *Diaria* oculis insiluit ultimis Rotis mensis aprilis et primis maii, 9 vel 10 et aliquoties 8 tantummodo Auditores interfuisse, ceteris absentibus ut plurimum « causa malae valetudinis » vel *ob non perfectam valetudinem*. In Diario Otthoboni *potiones* prima vice memorari comperi sub die 9 maii 1650 quo 5 Auditores abfuerunt a Rota « quia « *potionibus* curabantur ». Et in *Diario* Celsi, sub eadem die. [5] Ast annis insequentibus quamvis non raro de mense maio *potiones* contigit in *Diariis* inveniri, nihilominus eodem maii mense Rotae habebantur regulariter etiam cum 11 Auditoribus, ut ecce « die 21 maii 1663 » quo fuit « Rota cum 11, absente D. Bourlemont. D. Priolus se excu- « savit quod non poterit intervenire in Rotam sequentem quia sumit « *potiones* ». [6] Postea vero usus sumendi per id temporis anni *potiones* et interim a propositionibus causarum abstinendi, fere generalis in Rota factus fuit; ita ut v. g. anno 1674 de mense maio, dominus Vicecomes in *Diario suo* adnotaverit: per totum mensem non fuit « Rota, quia Domini sumpserunt *potiones*, et qui non potaverunt, se « contulerunt in villam, et quamvis aliqui congregarentur, non tamen « adfuit numerus sufficiens ad suffragandum, ideoque nullae erunt « per totum mensem maii propositae causae ».

5. – Equidem non sine admirationis sensu in *Diariis* illius tem-

[1], [2], [3], [4] Bondini, l. c., pag. 24. Quamsaepe in *Diariis* hae locutiones occurrunt.
[5] Cfr. inferius notam 2 ad 6.
[6] Arch. Rot., *Diar. Celsi*, die dicta.

poris haec et similia leguntur, praesertim quia haec immediate succedunt periodo maximae Auditorum sollicitudinis et diligentiae. Nam, ut uno utar exemplo, Celsus sub *die veneris 1648* adnotabat in suo *Diario:* « Fuit Rota in qua fuerunt propositae et resolutae quam-« plures causae, unde propter eorum numerum, dictum fuit quod « deberet fieri decretum quod in posterum quocumque tempore non « proponentur nisi duae causae tantum (*intellige:* per unumquemque « Auditorem): sed idem discursus tentus fuit pluries et nihilominus « nihil conclusum fuit ». Et sub *die mercurii 1 iulii 1648* idem Celsus, ibi, scribebat: « Fuit ultima Rota et fuerunt propositae 52 causae, « quarum 38 circiter fuerunt resolutae, reliquae vero, vel propter « Dominorum discordiam, vel aliis de causis, dilatae ».

6. – Adnisi sunt Pontifices morem *potionum* illico extirpare;[1] sed mos semel inductus in Rota altissima defixus est radice, et facile lex factus fuit. Ita quidem, « lunae 15 maii 1679 » tuto Domini dicere potuerint « abstinendum esse a propositionibus causarum usque ad « p^am^ iunii et interim sumi posse *potiones* »;[2] ac anno insequente in *Diariis* adnotare: « Lunae 13 maii 1680. Rm̃s Albergatus, Decanus: « Romana. Praetii officiorum... Reliqui Domini in hac Rota non pro-« posuerunt causas, *sic Ssm̃o Dño N.ro mandante, qui voluit unice « dictam causam proponi, ut maiori diligentia et minori Dominorum « labore videretur* ».[3] Sedebat tunc in cathedra Petri Benedictus « Odescalchi sub nomine *Innocentio XI.*

7. – More *potionum* semel ita per r. Pontificem approbato, lex fuit, quae tam sancte postea servata est, ut ferias inter ordinarias tribunalis, *potiones* accenserentur: « Nel mese di maggio ... si dà « luogo ad una specie di dì feriati .., detti *potiones* ».[4]

8. - In antiquis Manualibus nedum feriales, dies natales Apostolorum, sed et nonnullorum aliorum Sanctorum, ut ecce v. g.

[1] Arch. Rot., *Diar. Celsi*, « die lunae 9 maii 1650. Fuit Rota cum sex AA. tantum. « Reliqui ex diversis causis non intervenerunt, nempe: D. Royas et D. Bichius « se transtulerunt in Tusculum, D. Meltius adhuc non bene valebat, D. Corradus *ob « potiones* et D. Albergatus ex quadam indispositione stomachali: unde Rm̃s Decanus « hortatus fuit Dominos ne ex causa solatii *vel potionis* vellent abesse, reddens « quamplures rationes, et *signanter quod id non approbaretur a Ssm̃o propter « innumera praeiudicia quae huiusmodi ex causa inferebantur litigantibus;* et « quamvis pro absentibus plura deducta fuerint, nihilominus semper idem Decanus « cum solita modestia repraesentavit maiestatem tribunalis, *sensum et desiderium « Ss.mi* et partium praeiudicium. Tres tantum causae fuerunt propositae et ex illis « 2 fuerunt dilatae ob defectum procuratorum qui factum non iustificarunt ».

[2] Arch. Rot., *Diar. Vicecomitis*, die citata.

[3] Ibi, idem *Diar.* die citata.

[4] Bondini, l. c.

s. Antonii Abbatis, et s. Catharinae V. et M., vulgo appellatae *de Rota*. In genere vero regula feriarum, quoad natalitia Sanctorum, fuit, feriales esse omnes dies festos Palatii: horum series per extensum iacet in meo III volumine sub n. 134, pag. 224 ssq. et quotannis legebatur in die aperitionis Rotae.

9. – Hinc quum anno 1649 a multis diceretur dies sancti Thomae Cantuarien. (9 iulii) esse festum palatii, de quo tamen multi dubitabant « facta per Rñum Decanum diligentia et per alios de illius « ordine, compertum fuit quod dictum festum servari non solet in « Cancellaria prout notabant nonnulla Diaria antiqua: imo perlectis « Diariis rotalibus observatum fuit quod in dicta die fuit pluries « celebrata Rota, et hinc absque scrupulo resolutum fuit quod etiam « de praesenti celebrari posset, sequendo stilum nostrorum Maio- « rum ».[1] Et ideo fuit reipsa celebrata Rota quae in « cartula « impressa ... reperiebatur descripta sub die 9 iulii ».

10. – Verum, in themate, summopere adnotari praestat vacationes, seu ferias, generales indicendi licentiam a Papa petere, spectasse ad Rotae Decanum: ita ut quum, anno 1645, die 27 iunii, dominus Lanuvius, Signaturae Decanus, a Sanctissimo petiisset hanc licentiam, Papa « in Signatura gratiae...(ei) dixèrit quod petere ferias spectabat « ad dominum Rotae Decanum, non ad Decanum Signaturae, et « quod Sua Sanctitas ita vidit semper servari ».[2] – Antiquitus, universum Rotae collegium a Papa ferias postulabat per litteras, ceu probant documenta n. 129 et 130 mei III voluminis.

11. – Tempus et modus autem quo *feriae generales*, seu, *vacationes aestivas* (uti tam in Manualibus, quam in *Diariis* passim vocantur) Decanus indicebat, describitur a Celso, sub *die lunae 4 iulii 1650* his verbis: « Fuit Rota Memorialium in Palatio Vaticano cum inter- « ventu omnium Auditorum: qua perfecta, fuit nobis subministratum « expensis Reverendae Camerae Apostolicae lautissimum prandium « et in fine eiusdem singulis Auditoribus mediante Magistro Domus « (Papae) scuta 100 auri inclusa in bursa rubea. *In dicta Rota « solet unus ex Locumtenentibus Apostolicae Camerae intervenire* ad « servandos terminos; *expectat autem foris quod prandium sit abso- « lutum: et tunc, vocatus, statim ingreditur sedetque prope Auditores, « non in eodem scamno, sed retro, in sede separata, ibique moratur « una cum Auditoribus donec famuli comedant. Quando vero ipsi*

[1] Arch. Rot., *Diar. Celsi*, sub die merc. 7 iulii 1649.
[2] Ibi, *Diar. Otthob.*, fol. 41, n. 192.

« *(famuli) revertuntur, Rmus Decanus iubet convocari Notarios et* « *ipsis iniungit* ut fiat pro servato in omnibus, *et statim unusquisque* « *discedit et revertitur ad domum suam* ».

12. – *Pro servato* vix ac Decanus Rotae pronunciaverat omnia Urbis tribunalia feriis initia dabant.

13. – Ideo non Decanus Rotae, sed Papa per apostolicae Camerae Locumtenentem aestivas ferias quae *generales* nuncupabantur indicebat, id directe enunciando Rotae tribunali, ceteris omnibus tribunalibus celsiori, cuius Decanus per notarios Rotae actum rogabat et tribunalibus indultas ferias notificabat per formulam: *Pro servato in omnibus*. Et generalibus vacationibus indulgebatur ab illa die usque ad primam octobris iuridicam diem quo aperiebatur Rota et novus annus iuridicus initia sumebat.

14. – Ast quum iam saltem hinc ab altera medietate eiusdem soeculi XVII, *potionum* patris, etsi Rota kalendis octobribus aperiretur, causae tamen *toto mense* non proponerentur,[1] rusticantibus adhuc Dominis, vel tam parvo numero Rotam adeuntibus ut « eorum « numerus non fuisset sufficiens ad suffragandum »,[2] factum fuit ut tandem aliquando vetustissimus Rotae mos generales ferias claudendi prima iuridica octobris non impedita die, finem acceperit anno 1850, quo Rotam aperiri occeptum est prima iuridica die mensis novembris, quae sub medio mense consueverat haberi.[3]

15. – Et item paulo ante alia inducta mutatio fuerat stylo ferias generales indicendi sub initio mensis iulii. Nam, uti narro in II tomo huius operis, scribens de Gregorio XVI, quum duobus, congregationibus rotalibus quae ab antiquis temporibus a Rota post indictas generales ferias habebantur de mense iulio, addi ordinaverit idem Pontifex unam de eodem mense iulio, et duas tum de mense augusti quum de mense septembri, ut ita melius consuleretur expeditioni causarum commercialium, Rotae tributarum a Pio VII[4] et ceteris incidentalibus Rotae tributis a nuperrimis Gregorii XVI iudiciariis

[1] ARCH. ROT., *Diar. Vicecomitis*, octobris 1674; octobris 1676.

[2] Ibi, l. c.

[3] « L'apertura del Tribunale si faceva il primo ottobre di buon mattino. La « quale per altro era un'apertura di formalità, però che la prima Rota del nuovo « anno non teneasi che già a novembre bene innanzi inoltrato. E se si considera « che nello stesso mese di settembre avevano luogo alcune congregazioni infra i « Padri in Curia presenti e che perciò il solo ottobre veniva ad essere realmente « e in tutto libero e' si parea l'antica apertura piuttosto un chiudere che un aprire « il Tribunale ». (BONDINI, l. c., pag. 21).

[4] ARCH. ROT., *Diar. Gamberini*, lunae 1 oct. 1821; Editto Pii VII, an. 1821, art. 30 et ssq.

regulamentis mos ferias generales indicendi ultima Rota anni iuridici ab apostolicae Camerae Locumtenente quievit anno 1832.[1]

16. – Itaque, magnus quidem fuit numerus dierum ferialium in Rota per annum. Ast non ex hoc concludere licet parum fuisse Auditorum laborem, ita ut potius desidiae quam labori ipsis indulgere fas esset. Nam inferius in capite *De studio causarum* patescet quantum esset laboris perferendum Auditoribus in causis studendis, et quid feriarum nomen ipsis significasset. Ceterum si attendatur, unumquemque Auditorem, etiam raris illis temporibus quibus aliquantisper desidiae sese dedisse Auditores videntur, non minus 80 vel 90 causarum propositiones per annum in Rota peragere consuevisse; si attendatur, unumquemque Auditorem multiplicibus difficilioribus aliis Ecclesiae rebus expediendis incubuisse vel in legationibus, vel in administratione civilis principatus Pontificis, vel in sacris romanis Congregationibus, mirari nequit quomodo tot tantisque satisfacere homines potuerint. Et quidem ipsis iustum erat ut aliquantula requies indulgeretur in anno.

17. – Porro, Iohannes XXII statuerat « quod iidem Auditores illa « festa dumtaxat observent quae hactenus de mandato suo per « Audientiam litterarum suarum ipsos servari debere statuta fuisse « noscuntur; et quod de cetero alia festa seu dies festos ex se ipsis « vel alia statuere et observare non praesumant ».[2] Hinc, nisi excipias *potiones* quae ab ipsis Auditoribus invehi coeptae sunt, romanis Pontificibus, antea aegre tollerantibus serius vero approbantibus, huic legi praecepto ad unguem satisfactum est.

18. – Verum singulis iuridicis diebus, uti iusserat idem Iohannes XXII,[3] Auditores Papae nunquam (ut puto) audiendis causis saltem publice incubuere. Sunt qui scripserunt eos antiquitus publicas audientias tenuisse singulis diebus iudiciariis. Ast historicis documentis scimus consistorium Papas consuevisse habere *ter* in hebdomada: qui mos cum paulo ante Innocentium III in desuetudinem devenisset, ab Innocentio III in pristinum restitutus fuit:[4] et cum Rota scissa fuit a concistorio, a more palatii inoleto non recessit. Hinc mirum non est ut iidem scriptores qui secus tenuerunt, admittant cum Gomez sub Alexandro VI ter in hebdomada Auditores sedisse in palatio.

[1] Cfr. vol. II, pag. 300: Iussit insuper.
[2] Bulla, *Ratio iuris*, § 4.
[3] Ibi, § 3.
[4] Cfr. vol. II, Inn. III, pag. 5 ssq.

19. - Utcumque, persuasum est iam tempore Martini V *tres* fuisse dies « quibus teneri solet audientia »,[1] nempe: lunae: mercurii et veneris. Hinc tuto concludi licet inter iuridicos dies aliquos in Rota *rotales* fuisse dictos, nempe eos quibus Rota congregabatur; *tres* in hebdomada, ante Clementem VII: *duos* post Clementem, qui « voluit *bis tantum in hebdomada* sedere (Auditores) causantibus « bellorum turbinibus et Luterani dogmatis incendiis »,[2] ordinatione sua « Cupientes »[3] qua statuit ut Auditores « in dicto Palatio omnibus « diebus lunae et veneris, vel altero illorum tantum, ... qui alias iuri- « dici fuerint, convenientes de more causas inter se referant et resol- « vant... » eos inhibens « ne in eodem Palatio publice, diebus statutis « ad causas audiendas et iura reddenda sedeant » quamvis eisdem mandaverit « singulis lunae, mercurii et veneris diebus iuridicis in « domibus habitationum suarum singulariter litigantes tam ad termi- « norum observationem et causarum instructionem admittere ».

20. – In tenore huiusmodi clementinae ordinationis ratio illius collocatur in voluntate Papae « cupientis ... omnes causas quibus « pestilentia in diem proserpit tollere »;[4] a Gomez, autem, in « bel- « lorum turbinibus et luterani dogmatis incendiis ». Hic, cum Auditoratum recepisset ab ipso Clemente VII, anno 1529 (ut videtur)[5] rerum fuit testis ocularis. Hinc, reor, et saevientem pestem quae complures necaverat Auditores, et bellorum turbines qui in celeberrimo *sacco di Roma* vitam et aliquorum Rotae Auditorum absorbuerunt, et luterani dogmatis incendia « quibus Alemaniae maior pars « et Angliae cum pluribus aliis ab obedientia Sedis Apostolicae « defecerunt »,[6] causas fuisse cur Clemens VII ad *duos* tantummodo in hebdomada reduxisse dies Rotales, *lunae*, scilicet et *veneris*. Et hinc ab Clemente VII usque ad 20 sept. 1870 neque alii neque plures fuerunt rotales dies.

21. – Ceterum, uti scite animadvertit Bondini,[7] quum res in Auditorio Capellanorum Papae superabundassent tractandae vix tres in hebdomada dies sufficere poterant: cum vero earundem rerum numerus imminutus fuit, duo dies rotales in unaquaque hebdomada fuerunt satis.

[1] Bulla *Romani Pontificis*, an. 1424, § 31. Cfr. vol. III, pag. 115. In Bulla *In apostolicae*, anni 1418, ipse Martinus V refert, Cancellariam *litterarum iustitiae* « TER singulis septimanis antiquitus teneri consuevisse ». (Ibi § 10).

[2] Gomez, *Proëm. ad Reg. Cancell.*, n. 13.

[3] Vol. III, pag. 264, n. 151.

[4] Ibi, *Ordinat.*, pag. 264, n. 151.

[5] Cfr. vol. II, pag. 91, n. 382.

[6] Idem Gomez l. c.

[7] L. c., pag. 23.

22. – Verum cum id esset ferialium dierum ut in eis iudiciorum strepitus penitus conquiesceret, Rotales dies esse nequiverant nisi iuridici. Hinc Martinus V considerans « saepe contingere quod in « omnibus diebus unius hebdomadae quibus teneri solet audientia et « aliquando in duabus coniunctis hebdomadis feriae celebrentur, unde « lites prorogari contingebat » statuit et ordinavit « ut quotiescum- « que in una hebdomada tres illi dies quibus teneri solet audientia « quomodolibet sint feriati, praeterquam in octavis Nativitatis et « Resurrectionis D. N. Iesu Christi, videlicet per septem dies ante « et septem post, die Iovis in hebdomada tali, si illa die feriata non « fuerit, alioquin die sabbati audientia teneatur ». [1]

23. – Huiusmodi statutum Martini origo dedit *Rotae* quae vulgo et passim appellata fuit *martiniana*, quae locum habuit tum ante tum post Clementem VII quoties aliquod festum, puta: natalis alicuius Apostoli, accidisset in hoc vel altero die rotali, cum tali in adiuncto illa die nequivisset perfici causarum iudicium, eidem diei subrogabatur vel dies iovis, vel sabbati: [2] et Rota quae tenebatur illis diebus, erat *martiniana*. Animadvertit tamen Emerix, [3] se suis temporibus nunquam vidisse « Auditores congregari die Iovis ad tenendam audien- « tiam, etiamsi ultra tres dies ordinarios esset quoque impeditus dies « Sabathi, forsan quia regulariter nunc solet congregari Signatura « Iustitiae in qua Decanus Rotae, vel antiquior post illum, interve- « nire solet ». Quapropter, de stylo *martiniana* non appellabatur nisi Rota quae fieret die sabbati.

24. – Item « cum incommodum fuerit, Rotam pro decidendis « causis ... feria quarta post Dominicam Pentecostes fieri, eo quod « (Auditores) super dubiis, in Rota feriae quartae huiusmodi propo- « nendis, feria secunda post eamdem Dominicam informari et sequenti « feria tertia, festivis, studere oporteret » iidem Auditores ab Urbano VIII petierunt ut dignaretur auctoritate apostolica statuere quod, « omissa Rota feriae quartae huiusmodi, eius loco prima Rota « Quadragesimae quae *Memorialium* dumtaxat esse solebat *Rota* « *dubiorum* fieret ». Urbanus VIII Auditoribus morem gessit Brevi diei 9 maii 1637 [4] statuens praeterea quod huiusmodi *Rota dubiorum* quae in posterum habitura foret in Quadragesima, *urbana* deinceps appellaretur.

[1] Bulla, *Romani Pontificis*, ann. 1424, § 31, vol. III, p. 115.
[2] Bondini, l. c., pag. 23.
[3] *Praxis*, part. I, tit. VIII.
[4] Arch. Rot., *Ordinat.*, part. I, n. XXI, cfr. vol. III, pag. 354, n. 219.

25. – Inferius explicabo quid appellatione *Rotae dubiorum* et *Rotae memorialium* significatum sit; interea recolere praestat eundem Urbanum VIII, eodem Brevi diei 9 maii 1637, statuisse etiam quod urbana nuncuparetur Rota antea dicta *corduben*[1] – ab hispano Auditore Fernandez e Corduba, invecta - quae fieri a pluribus annis consueverat feria quarta ante festum Corporis Christi, in locum illius quae feria sexta post idem festum fieri debuisset: hancque Rotam confirmavit et adprobavit.[2] Verum, animadvertit Emerix,[3] usu non fuisse receptum, Rotam cordubensem appellari urbanam.

26. – Profecto facile litigatoribus et curialibus non erat, his omnibus stantibus, dies feriatos a non feriatis dignoscere. Quapropter « pro publica utilitate curialium aliorumque qui lites habebant, sin- « gulis annis, ante primam audientiam post ferias generales impri- « mebatur de mandato Rotae cathalogus continens omnes dies Rotales « per Tertiarias distincte specificatas quem Auditores Rotae primo « per unum ex Auditoribus respective corrigi et revideri curabant, « ac deinde singuli in suis Studiis, seu Bibliothecis, affixum tenere « consueverunt ».[4] Cathalogus huiusmodi, vulgo, nomine venit *Tabella rotalis.*[5]

CAPUT XXXIX.

De Rota dubiorum - memorialium - inculcata seu conculcata et de Congregatione rotali.

1. – Ex cathalogo Rotarum cui vulgo nomen impositum erat « *Tabella rotalis* », vel, italice: « *Rotino* », nedum nosci datum erat dies feriales, sed etiam quotnam per novum iuridicum annum Rotae locum habiturae forent, et quales ex eis forent dubiorum, quales vero Memorialium, denique quales Congregationes rotales.

2. – De unaquaque seorsim. - Porro, ne iustitia male, imperfecte et perfunctorie administraretur, anno 1375, Vice-Cancellarius Capellanis Auditoribus Rotae mandaverat « quod . . . videant processus « causarum earum (circa quas voluissent habere consilia) ex quibus « eliciant *Dubia* in quibus volunt habere consilia, ut super certis « *Dubiis* et veris, domini Auditores possint dare secure sua vera

[1] Emerix, *Praxis,* part. I, tit. VIII.
[2] Arch. Rot., *Ordinat.,* l. c.
[3] *Praxis,* l. c.
[4] Ibi, part. I, tit. XIX. – Bondini, l. c. narrat, tabellam rotalem distribui curialibus consuevisse die aperitionis Rotae, durante ceremonia aperitionis, (pag. 22).
[5] Arch. Rot., *Diar. Camer.,* die 5 sept. 1783.

« consilia, ut postea in secunda instantia et in tertia, sententiam « quam tulerit praedictus Auditor aliquo modo non possit retra- « ctari, nisi ex causa rationabili et iusta, vel noviter producta ». [1]

3. – *Dubii* nomine quaestionem quamvis significari, persuasum est. Hinc iubens Vice-Cancellarius Auditores, ut ex processibus causarum elicerent dubia *certa* et *vera*, hoc unum voluit ut Auditor, causae Ponens, ex eiusdem causae processu, firmiter statueret puncta iuris super quibus sibi videretur egere consiliis, iisque bene et certa verborum forma constabilitis, eadem Coauditoribus propositurus sub forma quaestionis.

4. – Hinc ab illo anno - vel melius - ab insequente anno 1376 (nam Vice-Cancellarii mandatum fuit in feriis natalitiis, « *die sequenti* « *Nativitatis Domini* ») Dubia concinnari et proponi occeptum est. Ideo ab illo anno Rotae, seu congregationes rotales in quibus causae proponebantur cum *veris* et *certis Dubiis*, appellatae fuerunt *Rotae Dubiorum*.

5. – Verum, Auditor *non* in omnibus causis sibi commissis, sed tantummodo in iis circa quas « *habere voluerit consilia* » [2] mandato Vice-Cancellarii tenebatur et Dubia concinnare et eadem in Rota proponere: dixerat enim ipse: « Auditores qui voluerint habere consilia « circa causas eis commissas . . . ». Igitur et causae erant in quibus Auditor poterat consilia nolle.

6. – Et revera « multa in Rota peraguntur » - ita in *tit. XXII* suae *Praxis* Emerix - « quae regulariter non requirunt strictam « Dubiorum disputationem, super quibus, si partes inter se vel coram « Domino Ponente convenire non possint, solet ipse illas remittere « ad Rotam, ut, porrectis hinc inde *Memorialibus*, illa determinet « quid fieri debeat ».

7. - « Tametsi vero *Memorialia* passim porrigantur in quavis « Rota » - prosequitur idem ibi - « intra annum *super expeditione* « *causarum, et novis audientiis* necnon *super aliis emergentibus et inci-* « *dentibus quae regulariter per simplicem libellum expediri possunt,* [3]

8. – « nihilominus in principio et fine cuiusvis Tertiariae, *fiunt* « *particulares Rotae quae Memorialium nuncupantur* et ad quas « reiiciuntur illa quae in tribus ultimis audientiis ante ferias gene- « rales et, intra annum, in duabus ante Rotam Memorialium, porri- « guntur ».

[1] Decis. 1, *De Constit. in Antiquis.*
[2] Ibi, l. c.
[3] En enumerati casus in quibus procedebatur per *Memoriale.*

9. – Porro quid significaretur appellatione *Tertiariae*, facile et tuto coniicitur ex attenta *Diariorum* lectura. Nam *Rotae Memorialium* locum habebant una initio mensis octobris et una de mense decembri, immediate ante ferias Natalitias; postea, finitis feriis Natalitiis, una mense ianuario; una februario ante ferias carnis privii: una ante ferias Paschatis et altera post easdem ferias: denique una post indictas vacationes seu ferias generales, mense iulio. Ante et post ferias, quae *Potiones* audierunt, nulla habebatur Rota Memorialium.

10. – Hinc patet annum iuridicum fuisse in 4 partes divisum, quae dictae fuerunt *Tertiariae* quarum unaquaeque tribus mensibus durabat. Una nempe incipiebat ab mense octobris et finem habebat mense decembris; alteram exordiebatur a mense ianuario immediate post Epiphanias Domini et finiebat feriis Paschalibus; tertia ab prima iuridica die post easdem ferias ad ferias generales usque durabat; quarta durantibus feriis generalibus. In principio et in fine harum *Tertiariarum*, *Rotae Memorialium* fiebant, uti supra cum Emerix tradidi.

11. – Quibus enumeravimus Rotis Memorialium, quae ordinariae possunt nuncupari, alia extraordinaria habebatur quoties, electo novo Papa, Rota denuo de eius licentia congregabatur.

12. – In istis omnibus non debebant Ponentes legere, nisi concernentia *expeditiones* iam decisarum causarum; « alioquin se expo- « nebant periculo reprehensionis quam quandoque a Decano vel aliis « Senioribus (Auditoribus) ea de causa fieri vidit » Emerix. [1]

13. – Verumtamen, nisi secus necessitas postularet; nam necessitate urgente, etiam *causae per Dubia* proponi poterant, uti idem Emerix [2] animadvertit, et probat aliquoties factum fuisse.

14. – Hoc tamen excepto casu, in Rotis Memorialium aliis locum esse nedum prohibitum erat a stylo, sed a multitudine, vere ingente, expediendorum Memorialium quae passim proponebantur. Nam etiam iis temporibus quibus minus laboris Rota pertulit, ut ecce ultimis annis soeculi XVIII, (prout *Diaria* comprobant) ad 50 Memoralia proponi consueverunt, praesertim in Rota Memorialium mensis iulii, ceu in huiusmodi Rota anni 1785 (casu ex *Diariis* exemplum seligo) contigit reipsa. [3]

15. – Ast, praeter congregationes rotales seu Rotas Dubiorum et Memorialium, tres saltem fuerunt semper aliae rotales congre-

[1] Ita ipse in sua *Praxi* tit. prox. cit.
[2] L. c.
[3] ARCH. ROT., *Diar. Camer.*

gationes, quibus nullum speciale nomen inditum est, et simpliciter audierunt: « Congregationes Rotales ». Harum una fiebat « singulis « annis in fine iulii vel principio augusti ad ordinandas expeditiones « causarum antea resolutarum et quarum Decisiones propter conti- « nuas occupationes, praecipue de mense iunii, extendi non potue- « runt ». Ita Emerix [1] qui, ne actuum, tempore illo feriali a Rota elicitorum, valor nullitate ab imperitis redargui posset, subiungit: « Et ista Congregatio ac successiva sententiarum prolatio, seu sub- « scriptio, habetur pro actu extraiudiciali et retrotrahitur ad diem « servatorum terminorum, dummodo fiat » (et en ratio ob quam congregatio haec habebatur aut in fine iulii vel initio augusti) « *intra* « *mensem*, prout nominatim disponitur in *Reformatione Pauli V de* « *Auditor. Rotae* §. *Item sententiae* ». [2]

16. – Alia denique rotalis congregatio haberi solemne fuit mense septembri, et in hac quotannis « *Tabella rotalis* » exarabatur, seu rectius, iam exaratam approbationi Auditorum subiiciebatur, ut deinceps posset tuto typis excudenda tradi.

17. - In illa iulii vel augusti congregatione vere ingens erat numerus rerum quae expediebantur: recolam heic, exempli ergo, quod anno 1785 expeditiones fuerunt *109*, quarum 20 incubuit dominus Origo, Decanus, pro causis suis, uni pro domino Riminaldo, ad cardinalatum nuper promoto et, duabus pro bona memoria Ratto, nuper defuncto: 8 dominus De Bayane; 19 dominus Soderini: et Azedo 11, Lancellotti 18; Resta 15; Malvasia (qui, absente Resta valetudinis causa, expeditionibus istius operam dederat) 8; denique 16 Strasoldo et 7 Cesarei. [3]

18. – In rotali congregatione mensis septembris non una *rotalis Tabella* perficiebatur: omnia tractabantur quae rotalis collegii interant. Utile duco heic, speciminis gratia, descriptionem inserere huius congregationis habitae *Die Veneris 5 septembris 1783* quam Camerarius in *Diario* sub ea die et anno exaravit.

« Die Veneris 5 septembris 1783.

« Congregatio Rotalis Aeconomica, [4]

« In hac intervenerunt Rm̃us P.[ater] Riminaldus Decanus, nec non « RR.[everendi] PP.[atres] Origo, Azedo, Flangini, et Lancellottus:

[1] *Praxis*, part. I, tit. XIX.
[2] Cf. vol. III, pag. 325.
[3] Arch. Rot., *Diar. Camer.*
[4] Aliquoties in Diariis inscribitur *Secreta*; aliquoties simpliciter: Congregatio Rotalis.

« Caeteri enim ab Urbe aberant. Quilibet ex dictis RR. PP. in eius « antiquo consedit loco, deindeque ob nuperum sequutum obitum « Rmi P. Ratta, sedium immutatio facta est, ordine ut sequitur

« Rms P. Riminaldus Decanus

« R. P. Mannellius.	R. P. Origo.
« R. P. De Bayane	R. P. Soderinus.
« R. P. Azedo	R. P. Flangini.
« R. P. Lancellotti.	R. P. De Salm.
« R. P. Resta.	

« Post haec laudatus Rmus P. Riminaldus, Decanus, cooperto « capite cum eius bireto, brevem elegantemque peregit allocutionem « in qua prae caeteris certiores reddit RR.[everendos] PP.[atres] « de eius assumpto officio Decanali, attento obitu Rmi P.[atris] Ratta. « Inde factus fuit sermo de nova *Tabella Rotali*, quae ab eodem « Rmo P. Riminaldi ostensa fuit caeteris RR. PP. ipsamque Tabel- « lam typis tradi iussum est. Praefinita fuit aperitio Rotae pro die « prima octobris, et quemadmodum aequitatio facienda fuisset a « RR. PP. de Salm et Resta, tamquam Auditoribus in ultimo loco « sedentibus, atque R. P. de Salm erat ab Urbe absens, nec in die « aperturae Rotae praesens esse poterat, illius proinde vices assu- « mere dignatus est R. P. Origo. Inauguralis oratio fieri solita in « die aperitionis Rotae, cum praecedenti anno peracta fuisset a « R. P. Resta, peragi hoc anno debuisset a Rmo P. Riminaldo, « prout Turni ordo ferebat. Attenta autem Decanali dignitate in « eodem Rmo P. Riminaldo mox concurrente, censuerunt PP.[atres] « ipsum ab hoc, caeterisque levioribus oneribus exemptum esse. « Hinc quae a R. P. Mannellio iuxta ordinem antianitatis Oratio « explenda fuisset, pro eo veluti absente, statutum fuit ut expleretur « a R. P. Origo. Rmus P. D[ominus] Sentmanat, olim Collega no- « ster, et ad Abalensem Ecclesiam evectus, litteras dedit Rmo P. Rimi- « naldo Decano, ad hoc ut Sacro Tribunali nunciaret ipsius ascensum « ad Patriarchatum Indiarum eidem benigne collatum a Catholico Rege, « qui etiam ei munera contulit Capellani, et maioris Eleemosinarii. « Itaque huiusmodi litteris a laudato Rmo P. Riminaldo Decano « perlectis, mandarunt PP.res, ut Sacri Tribunalis nomine, condi- « gnum praefato Indiarum Patriarchae daretur responsum per alias « litteras ab eodem Rmo P. Riminaldo scribendas, qui debita gra- « tiarum et congratulationum officia referret. Ssmus D. noster Papa « Pius VI usque a .proximo praeterito mense augusti per Episto-

« lium Secretariae Status, elegit R. P. Flanginum, Collegam nostrum « in unum ex votantibus Signaturae Gratiae, quae ab eodem Ssmo « D. nostro habebitur die 9 currentis in Palatio Apostolico Quiri- « nali, quod sane munus decorem addidit huic Sacro Tribunali ».

19. – Plura igitur praeter *Tabellam rotalem* acta fuere in illa *Congregatione:* lectorem puto non fugisse quaenam de ratione peragendi praecipuas functiones aperitionis Rotae traduntur, quoad eos qui equitaturi forent et eum qui orationem foret habiturus. Horum meminisse necesse est quum tractabimus de Rotae aperitione.

20. – Superest denique ut aliqua dicamus de Rotis quae nomine venerunt *inculcatae* vel *conculcatae*. Ita quidem vocabantur Rotae in quibus occurreret magna proponendarum causarum multitudo, quae differri non possent: et haec, ut plurimum, per annum erant Rotae novissimae ante ferias generales.

21. – Coronidis ad modum, huic capiti finem dabo, ex *Praxi emericiana* exscribens quae sequuntur: « Congregatur praeterea « Rota nonnunquam tempore feriarum ex mandato Papae, pro habendo « consilio in aliqua controversia seu negocio de repente occurrente, « prout factum refert Coccinus *adnotatione 50* die 11 iulii 1605, ex « mandato Pauli V, cum, occasione obitus Episcopi Melphitani, dubi- « taretur, an beneficia, per eius mortem vacantia, spectarent ad libe- « ram collationem Papae, vel providenda essent de consensu Car- « dinalis Aldobrandini.

22. – « Imo tametsi tempore feriarum ordinarie Rota non con- « gregaretur, erant tamen Auditores tunc occupati non solum in « extendendis decisionibus et expediendis causis, in quibus obtenta « fuit derogatio feriarum; sed etiam poterant si voluissent, procedere « in causis attentatorum et meri possessorii, iuxta adnot. Coccini 261, « n. 243 et 368, et si celeri provisione opus esset, id fecerunt, « sicut prudenter peregit annis praeteritis R. P. Dominus meus Taya « in causa *Tusculana Villae*, specialiter inhibendo tempore feriarum « ne quid hinc inde innovaretur ». [1]

23. – Ceterum in curia romana usque iuris regula invaluit quam Speculator enunciat his verbis: « Nulla lex potest Curiam « Principis coarctare quominus possit quolibet tempore ius reddere « etiam diebus feriatis...: nam ipse (Princeps) est lex animata in « terris ». [2] Hinc Papae quotiens opus fuit, Rotam congregari ius-

[1] Tit. XIX.
[2] *Specul.*, lib. II, partic. I, *De feriis*, § 1, n. 8.

serunt tempore feriarum, et novissime Gregorius XVI ordinavit ut bis mense augusti, bis mense septembri Rota ordinarie congregaretur quotannis pro definitione causarum.

CAPUT XXXX.

De apertura Rotae, et de Rota iuramentorum seu iuramenti.

1. Ad praeceptum Iohannis XXII iubentis « singulis annis, in « kalendis octobris, vel prima sequentis audientiae die, si festum « fuerit die kalendarum ipsarum » ordinationes et statuta Rotae legi *solemniter* debere,[1] iuridicum annum rotalem Rota voluit exordiri solemni coeremonia quae rotali eloquio nomine venit: *Apertura Rotae*, vel etiam *Cavalcata*.

2. – Haec ad annum usque 1848, locum habuit semper prima die iuridica mensis octobris, nisi tamen grave impedimentum - ut ecce alicuius morbi contagium et huiusmodi - obstetisset, ceu *Diaria* et alii rotales fontes testantur et refert ipse card. De Luca in *disc. XXXII, nn. 45, 46. De relat. rom. curiae.* Illo anno, ob polyticas perturbationes coeptum est Rotam aperiri mense novembri die quo iuramentum praestabatur;[2] novusque inductus mos ad Rotae finem perseveravit.

3. – « Ista vero apertura », loco citato asserit De Luca, « fit « cum magna pompa quae nimiam tribunalis maiestatem redolet. « Siquidem, aliis antiquioribus Auditoribus privatim in curribus acce« dentibus ad Palatium Vaticanum, duo Iuniores, in habitu Praela« titio, nempe cum rocchetto, cappa magna, et pileo praelatitio, equi« tando accedunt ad eumdem locum, associatis a duobus Advocatis « consistorialibus, qui pariter equitant induti quodam solemni habitu « violaceo, qui per eos in Cappella Pontificia, et in publicis functio« nibus adhiberi solet,[3] ac etiam a duobus Procuratoribus collegii,

[1] *Const.* « Ratio iuris », *§ 40,* vol. III, pag. 69 et sqq., n. 50.

[2] Die 19 augusti 1850 in rotali congregatione extraordinaria statutum fuit quod « Rotae aperitio futuri anni habebitur non quidem prima die octobris, sicuti *sem*« *per* antequam res publicae subverterentur, sed in prima Rota iuramenti, ceu « postremis hisce duobus annis factum est » (Arch Rot., *Liber S. Rotae 4*).

[3] Duravit mos iste ad annum usque 1707 quo celebris controversia excitata est advocatos concistoriales inter et Auditores Rotae. Praetendebant advocati qui domum duorum equitantium Auditorum ibant ad eos associandos, quod Auditor eis deberet obviam ire et in latum dexterum excipere. Quod abnuentibus Auditoribus concedere, advocati primum ab equitando abstinuerunt, et Rota deinde eos non amplius invitavit (cfr. vol. III, nn. 386, 387, 388, 389, 390). Unde innumerae controversiae de quies scripsi superius in capite *De advocatis.*

« praecedente in copioso numero qualificato ac solemni equitatu plu-
« rium curialium ac nobilium virorum et Aulicorum familiarium car-
« dinalium cum magna quidem solemnitate et pompa ». Tam magna quidem ut die 3 oct. 1644 Otthobonus et Corradus, equitantes, habuerint « comitatum celebrem 400 et amplius equitum ». [1] Viae per quas equitatus transibat, arena conspargebantur, et vix ac equitatus Vaticanum palatium ingrediebatur, magnum aes aeneum campanum s. Petri intonabat et una simul aliud parvum Rotae. [2]

4. – Ad Vaticanum vix ac duo Auditores equitantes pervenerant, sacrum cuncti in Cappella audiebant, eoque finito omnes ibant ad cubiculum, ubi dimissis cappis ac super scannis conscendentibus, legebantur ab uno ex Rotae notariis constitutiones, innumera nobilium, advocatorum et curialium turba audiente. [3]

5. – Constitutiones quae legebantur, erant: I) *Ratio iuris* Iohann. XXII; II) *Decens et necessarium* Benedicti XII; III) *Quamvis* Gregor. XI; IV) *In apostolicae* Martini V; V) *Finem litibus* Innoc. VIII; VI) *Festa palatii;* VII) *In eminenti* Alexand. VI; VIII) *In throno iustitiae* Pii IV; IX) *Universi agri* Pauli V, quas per extensum legas suis locis in huius operis III volumine. Verum, saltem novissimis temporibus, uniuscuiusque constitutionis ea tantummodo legebantur quae praecipua visa sunt, prouti eruitur ex libro constitutionum novissimo quo ista solum transcripta inveniuntur.

6. – Lectis constitutionibus, unus ex Auditoribus brevem sed elegantem orationem habebat super recta administratione iustitiae et recta causarum tractatione. Et haec oratio fiebat per turnum. Adnotat namque Celsus in suo *Diario* sub die 19 sept. 1650: « Licet inter « Auditores, excepto Revmo Decano », utpote cui orandum erat ubi Rota inviseret novos summos Pontifices, ceu tradit Emerix, « ser-

[1] *Diarium Otthob.*, fol. 36[t], n. 154.

[2] *Liber S. Rotae 2,* pag. 483-489.

[3] Ibi, pag. 279-280. - Card. De Luca, l. c., missam non memorat et asserit Auditores cum cappis audivisse lecturam constitutionum: puto huius auctoris narrationem in hisce res male referre utpote nulla ex *Diariis* emergat ratio cur retineamus soeculo XVII res secus peractas fuisse ac soeculo insequente. Quinimmo eas uno eodemque modo et tunc gestas fuisse eruitur v. g. ex adnotatione Celsi qui sub *die 5 oct. 1650* scripsit: « Completo itinere ad palatium Vaticanum, « descenderunt de Mula in atrio per quod ducitur ad Stantias, ubi celebrata « Rota, et praesentibus omnibus, iverunt ad easdem Stantias, recepti ab aliis Audi- « toribus ibi exspectantibus. Statim fuit celebrata Missa de Spiritu Sancto: deinde « in alio loco, assistentibus Advocatis Consistorialibus et quampluribus curiali- « bus ac magno personarum numero, fuerunt perlectae Bullae, et a domino Alber- « gato habita oratio, qua perfecta, statim redivimus ad locum ubi Rota celebratur, « ibique, postquam ianuis clausis permansivimus per breve spatium, fuit nobis « iniunctum ut deberemus redire super Mula ad aedes nostras, prout fecimus ».

« vetur ordo in facienda oratione praedicta, ita ut quando omnes illam « habuerunt, de novo incipiat turnus, nihilominus quando adest Audi- « tor novus qui illam nunquam habuerit, ad hunc spectat huiusmodi « onus » etsi turnus non fuisset completus.

7. — Dixi supra n. 1 usque Rotam fuisse apertam aut kalendis octobribus, aut prima iuridica non impedita die immediate proxima, nisi tamen grave impedimentum quominus hoc fieret prohibuisset. Ita v. g. anno 1485 Rota aperta est mense novembri ob pestem per Urbem grassantem (*Manuale 13*). At impedimentum debebat esse vere grave: nam anno 1481, petentibus Auditoribus, num propter pestis suspicionem Sanctissimo placeret ferias prorogari, Roderigus Borgia, Vice-Cancellarius, nomine Papae, *amicis suis praecipuis*, sua manu scribebat, Papam ipsis litteras daturum fore: quod reapse factum est per manus archiepiscopi Salernitani sub die 20 sept. illius- anni: « Vult itaque », scribebat iste, « ut omnino institutum predi « ctum tam laudabile, statuto tempore servetur ». [1]

8. Quinimmo, cum Rotae persuasum esset, Cavalcatam locum non posse habere nisi kalendis octobribus, vel prima octobris iuridica die non impedita, Papa tamen incoronato, anno 1676 quo Innocentius XI, electus die 21 sept., die 2 octobris nondum coronatus fuerat, Auditores dubitarunt « an et quando deberet fieri solita Cavalcata. Aliqui « enim ex Dominis dicebant, se valde dubitare an illa posset fieri « die veneris 2 oct., quia Ssñus coronabitur die dominico sequenti..., « et non videtur conveniens quod fiat Cavalcata solemnis ante coro- « nationem Ssñi; dubitabant quoque, non posse fieri die lunae imme- « diate sequenti, quia illa non erat prima dies rotalis octobris in qua « solet fieri; et adducebant exemplum anni 1656 in quo post cessatio- « nem pestis fuit de mense decembris aperta Rota sine solemni Caval- « cata. Sed quia de anno 1644, die 14 sept., electus fuerat similiter « s. m. Innocentius X et pariter coronatus die 4 octobris, Domini mihi « ordinarunt, ut in antiquis *Diariis* perquirerem quid tunc observa- « tum fuit ». [2] Facta vero perquisitione, reperiit Emerix tunc Rotam apertam fuisse ante coronationem Papae, cum Cavalcata. Quapropter illo anno 1676 ad Ssñum accessit et petiit obtinuitque veniam Rotam aperiendi die 2 octobris, praevia solemni Cavalcata, etsi Papa coronatus non esset. [3]

[1] Vol. III, pag. 201-202, n. 122.
[2] ***Diarium Emerix***, fol. 105, n. 100.
[3] Ibi, fol. 105ᵗ, n. 102.

9. – Ast, soeculo XVIII, solemnis haec ceremonia in maximum discrimen venit. Benedicto XIV regnante, rotalium stylorum observantiam vulgo derisui haberi coeptum est, et quidem eo magis, quo magis Auditores eidem haerebant. Polyticae subsequutae illius temporis vicissitudines quibus ab imis fundamentis adnisum est sacrum romanum Imperium supremamque Papae polyticam iurisdictionem evellere, in res ecclesiasticas tantum contemptus hominum animis indiderant, ut omnes aspernarentur et eas potissimum quae iam ludibrio habebantur. Rotae Auditores visi sunt non aeque - ut par fuisset - librasse indubia intumescentis in dies procellae signa, quae, soeculo exeunte, divina omnia humanaque suo vortice eversura foret. Proinde, quam ingruentibus malis parem medicinam parando, potius ipsi ineptis iam et per senectutem fatiscentibus institutis inhaerendo, labentem suarum rerum ordinem sustentari posse, rati sunt. Factum idcirco fuit quod anno 1764 « domum suam ambobus ex iisdem qui « equitarunt Auditoribus revertentibus, vix unus aut alter inventus « fuerit qui illis comitaretur ».[1] Re commoti, Auditores per insequentem iuridicum annum omni suasionum conatu curiales excitarunt ad interessendum Cavalcatae; sed adeo parum profecerunt, ut decreverint curribus, non autem equis, uti. Et ita factum fuit insequente mense octobri 1765: quo, insuper, et nova ludificatio iisdem supervenit; nam tam ad Vaticanum accedentes, quam eo recedentes, ante arcem sancti Angeli praetereuntes ab ipsa militum cohorte nullum obsequii signum praesentationis armorum receperunt.[2] Voluerunt - heu quantum inepte! - a Vice-Castellano hoc honoris signum petere et sibi comparare pro insequente anno; sed non magis obtinuerunt quam ipsi vulgo suae vanitatis magis magisque hiatum prodere; ita ut minorata in dies penes homines tribunalis maiestate illiusque existimatione, ad annum 1787 deventum est, quo « omissa fuit solemnis equitatio... quia nec satis tutum, nec deco- « rum visum est Patribus quod ipsi equitantes procederent in maxima « hominum turba, qui ad Pontem Sancti Angeli hinc inde turmatim « convenerant, utut Reum ductum ad supplicium prospectarent ».[3]

10. – Ast, anno 1800, rebus in pristinum restitutis, solemnis equitatio restituta est.[4] Ita quidem fieri perseveratum est, uti scripsi iam, ad annum usque 1848.

[1] *Liber S. Rotae 2,* pag. 619-650.
[2] Vol. III, pag. 678-679
[3] Ibi, pag. 617, n. 487.
[4] Ibi, pag. 623, n. 499; pag. 624, n. 501. etc.

11. – Neque praenarrata diei mutatio una fuit quam soeculo XIX aperitionis Rotae solemnitas passa est. Nam Auditores, attentis temporum circumstantiis, decreverunt mulis currus esse subrogandos, firmo tamen manente coeremoniae nomine Cavalcata.

12. – Ioseph Bondini in suo saepius citato opere novissimum Cavalcatae stylum refert (*ibi, pag. 21-22*): et ex narratione illius liquido scatet omnia ut antea peragi consuevisse, exceptis die et mense mutatis et equitandi modo.

13. – Quinam ex Rotae notariis bullas legeret, mihi constabilire neque antiquis *Manualibus*, neque *Diariis* fas fuit: puto tamen aliquam regulam eos inter observari consuevisse, et, si quid opinor, forte fuit antianitatis.

14. – Post vero latam ab Urbano VIII constitutionem de secreto servando, kalendis octobribus cum ceteris Rotae constitutionibus legendam, notarii hanc legendi muneri incubuerunt ad annum usque 1702.

15. – Eo anno, in exsecutionem mandati Clementis XI, instaurata est *Rota* quam vocarunt *iuramentorum* vel *iuramenti*, qua Auditores, Adiutores et Secreti urbanianam constitutionem de secreto servando iurabant.

16. – Fuit tunc in more positum, Rotam iuramentorum faciendam esse quotannis immediate post Rotae aperitionem: sed, cum per integrum mensem octobrem et per primam medietatem novembris perpaucae causae proponerentur ita ut facile omnium rusticatio protrahi posset ad diem 15 novembris, hinc aliquot post annis Rotam iuramentorum prima rotali die post primam medietatem novembris fieri occeptum et dein perseveratum est.

17. – Constitutionis tenorem legebat Decanus: deinde singuli Auditores iurabant: intromissis in aulam rotalem Adiutoribus et Secretis, constitutionem legebat Decani Adiutor et iuramenti formulam: post illum ceteri omnes iurabant, servato ordine antianitatis Auditorum.

18. – Porro munus constitutionem legendi non personae Adiutoris, sed Studio Decani demandatum fuerat. Adeo ut anno 1745, absente Adiutore Decani, eam Rota voluit legisse primum Decani, Secretum, « cum hoc, antiquo usui consonum esse, fuerit comper« tum ». [1] Et anno 1748, absentibus Adiutore et primo Secreto, eam legit alter Decani Secretus. [2]

[1] *Liber S. Rotae 2,* pag. 392.
[2] Ibi, pag. 403-404.

19. – Anno 1828, absente Adiutore Decani, Auditores antiquae consuetudinis immemores, ancipites fuerunt utrum ius esset primo Secreto Decani vel Adiutori Subdecani: facto, constitutionem legit primus Secretus, sed alte Decanus declaravit id factum fuisse sine praeiudicio aliorum Adiutorum, si illud in posterum detegeretur. [1] Ubi vero pauci adessent ex addictis Rotae Studiis, tunc Adiutor senioris Auditoris constitutionem legit, ceu contigit anno 1785. [2]

20. – Consulto hoc capite haec de Rota iuramentorum describenda erant, utpote quia, quum Rotam aperiri incoeptum est mense novembri, Rota aperta usque fuit die Rotae iuramentorum, ceu *Diaria* et *Liber S. Rotae* apertissime testantur et ego superius *n. 2*, retuli.

De studio causarum.

CAPUT XXXXI.

De prima Studiorum die. - De Registro causarum seu Diario Rotali. - De « Ristretto ».

1. – Omnibus iudicialibus actis causae praeparatoriis expletis, ad eiusdem causae studium deveniendum erat tandem aliquando, antequam illius relatio a Ponente Coauditoribus, seu corresponsalibus, fieret, et inde deveniretur ad sententiam.

2. – Cum Leges summopere iudicibus commendent super causarum meritis mature secum deliberare, cumque Capellani Auditores iam inde ab remotioribus tempestatibus de hac matura deliberatione secum habita in tenore sententiarum testimonium apertissimum dixerint, operae praetium est de huiusmodi studio causarum sedulam hoc in opere disquisitionem instituere. Nam prorsus verum est, maximam iustitiae et sapientiae laudem qua Rota romana per soecula celebrata est, praesertim causarum studia ipsi paruisse.

3. – Profecto operam perderemus, si ex admodum variis et aequivocis indiciis quae textus, hodie noti, forte exhibere videntur, aliquid de antiqua studiorum methodo statuere vel hypothetice componere conaremur. Hoc tamen unum teneo, posse tuto affirmari, ab causarum studio extorres usque fuisse Capellanorum Auditorum notarios, nedum quia studio causarum incumbere, stipendii notariorum non

[1] *Liber S. Rotae 4*, pag. 352-353.
[2] *Diarium Camerale*, anno 1785, sub die 18 novembris.

esse, iure compertum est; sed et quia in notariis tam parva et modica requirebantur, ut incapaces omnino reputandi essent tanti muneris obeundi. Ac insuper qui super meritis causarum mature deliberare debebat cum Capellano Auditore, iam illius quasi Adsessor erat, cui proinde magna debebat esse iudiciorum scientia et notissima honestas iudicandi: non ideo simplex *scriba*, sed vir ipsa Capellani Auditoris honorificentia honorandus et spe proemiorum ad studiorum labores perferendos provocandus. [1]

4. – Quapropter si notariis, seu scribis, Capellani Auditores potuissent auditionem testium et similia acta perficiendi mandatum dare, et hoc reipsa fecerunt, nullibi legitur notariorum opera usos Auditores fuisse in studio causarum.

5. – Scribens supra [2] de *Adiutoribus Studiorum* innui quaedam munia per eos expleri solita fuerint in Rota. Heic quae illorum fuerunt in studio causarum narratione tradam.

6. – Materiam scribendi sumens ab citato saepius opere Iosephi Bondini, [3] dicam quae novissimis annis in rotalibus Studiis peragebantur. Puto tamen res usque ita peractas et antea fuisse, cum de historum stylorum initiis memoria non exstet, et in textibus ii dicantur ideo observari quia a maioribus traditi.

7. – Et hisce praeiactis, rem perficiamus. Triduo ante diem rotalem, statutam in *Rotino*, non multo post meridiem, in domo cuiuscumque ex Auditoribus unumquodque Auditorum Studium congregabatur. Studium vocabatur congressus Auditoris, Adiutoris Studii cum duobus vel tribus Secretis. [4]

8. – Per spatium circiter unius primae horae, exspectabantur partium litigantium procuratores, qui deferre debebant exaratas ab advocatis defensiones et allegata iura; quae in scriptis cum essent, appellatione veniebant *Scritture* (defensiones) et *Sommarii* (fasciculum vel fascicula documentorum seu allegatorum iurium).

9. – Interim, eadem prima hora, iunior ex *Secretis* Registrum causarum quae in proxima praeterita Rota ab unoquoque Ponente fuerant propositae, componebat, eas ita disponens ut signatis die et anno quo Rota locum habuit, a suis sinistris in pagina describeret,

[1] *Cod. l. Studiorum labor.*

[2] Cap. XX ssq.

[3] Op. cit. a pag. 29 usque ad pag. 37.

[4] « Chiamasi Studio Rotale là unione insieme di un Auditore di Rota con un « Avvocato ed un Dottore di leggi, poi con due: e il primo s'ha nome di Aiutante « di Studio, e gli altri due (che qualche rarissima volta si portano a tre o dal Decano, « o, abilitando a ciò fare il Papa) si appellano Secreti » (Bondini, l. c., pag. 28).

per ordinem antianitatis Auditorum, a Rño Decano ad iuniorem descendentem, nomen uniuscuiusque Auditoris et prae singulo nomine singulas causas ab unoquoque Ponente propositas, has disponens iuxta alphabeti ordinem, attenta litera initiali nominis dioeceseos sub quo unaquaeque causa appellabatur: uniuscuiusque causae nomen immediate sequi faciebat titulo quaestionis et nominibus litigantium, et denique responso dato ab Auditoribus.

10. – Ita, verbi gratia, Rota habita die lunae 9 februarii 1784 descripta invenitur:

Rñs P. D. Riminaldus, Decanus. [1]	Imolen. [2] Subhastationis, [3] inter Antonium aliosque Fratres Alanzoni et Iulium Fuschini aliosque Creditores patrimonii Com. Antonii Alanzoni. [4] *Affirmative in omnibus.* [5]
	Ferrarien. Reintegrationis, inter Nicolaum Costanzi uti dominum litis effectum per obitum Marchionis[seu] Margaritae Ciccognara Romei, et Philippum Batti et Luciam Triacchini. *Iterum proponatur et videant 5^us et 6^us.*
R. P. D. Mannellius.	Nihil. [6]
R. P. D. Origo.	Nihil.
R. P. D. De Bayane	Romana. Transactionis super Hereditate paterna quoad Reservata inter Angelum aliosque Fratres Moscardini et Concursum Creditorum super Patrimonio Antonii Moscardini. *In Decisis et acriter moneatur. Franciscus Corradini.*
	Tyburtina. Immissionis, in Specie Super Quinto Dubio quoad Praedium Valle Stragara inter Clementinam Gorgari Guidetti, et Franciscum et Nicolaum Lanciani. *In Decisis.*
R. P. D. Azedo.	Nihil.

[1] Nomen Auditoris Ponentis.
[2] Nomen loci, seu Dioeceseos.
[3] Titulus causae.
[4] Nomen partium litigantium.
[5] Responsum rotale.
[6] Idest: nihil proposuit.

R. P. D. Flangini.	Nihil.
R. P. D. Lancellottus.	Romana. Donationis inter Comitem Philippum et Iosephum Pasolini: *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*
	Eadem.[1] Reintegrationis inter eosdem. *Dilata.*
R. P. D. Resta.	Nihil.[2]

11. – Huiusmodi causarum registrum Secretus componebat, res sumens a *folio* de quo sermo erit infra. Et causarum Registrum vocatum est *Diarium* quippe quod post descriptas causas quisque Auditor in suo Registro adnotare dietim consueverat quotquot ex contingentibus rebus, cum Rota convenientibus, sibi visae fuissent notatu dignae.[3]

12. – Saepius in *Diariis* haec locutio occurrit: *Coram me.* Secretus hac usus est ad significandum nomen Auditoris penes quem studiis causarum incumbebat et cuius *Diarium* exarabat scripto: ita factum fuit ut usque intelligeretur *Diarium* esse Auditoris et alius neminis, ac esse liber rotalis, non autem privatae personae cuiusvis. Deinde *Diariis* Auditorum nomen fuit: *Diarium Rotale* v. g. Seraphini, vel Oradini, vel Pamphilii, vel Peñae, etc.

13. – Specimina adnotationum *Diariorum* habentur in quotquot ex *Diariis* exscripsi in hoc opere, quorum deinde quanta sit auctoritas nemo est qui non videat.

14. – Vix ac Secretus registrum causarum perfecisset, scripturarum et summariorum uniuscuiusque causae unum conficiebat fasciculum, cui nomen erat *Mazzo.* Hic bene colligabatur laciniis et in carthula quae dorso illius praefigebatur, signabantur qualis Rota fuerit in qua causa fuerat proposita, utrum nempe Rota *dubiorum*, vel *memorialium*, vel tantummodo *congregatio rotalis*, et dies et annus quo Rota habita fuit.

15. – Haec quidem, ut facilius possent carthae huiusmodi prae manibus haberi quoties vel finirent termini dilationum, vel eis opus esset quum Decisio extenderetur, aut partes litigantes eas sibi restitui

[1] Idest: Romana.

[2] Hoc adduxi exemplum quod exscripsi ex *Diario Camerali,* eo consilio ut probatum maneat unum idemque fuisse tam singulorum Auditorum quam Camerarii sistema exarandi Registrum causarum, seu Diarium.

[3] *Diaria* si quis pervolvat forsan aliquot rerum adnotationes reperiet quae prima fronte nullam connexionem cum Rota videntur habuisse. Exempli ergo Cavallerinus multa retulit de Alexandro VIII illiusque gente, quae, quam Rotae historiae condendae, perpetuandis curialium detractionibus inserviunt potius.

peterent. Quae omnia uno verbo consueverunt significari *riassunzione; riassumere.*

16. – Interea temporis quo iunior Secretus his operam dabat, novarum proponendarum causarum scripturae et summaria ad Studium a causarum procuratoribus deferebantur. Hae ita dispescebantur ut in uno loco cubiculi in quo Studium congregabatur collocarentur quae pertinebant causae quarum Auditor erat vel Ponens, vel corresponsalis, ceterae vero in quibus, uti in Rota veluti pragmatice dicebatur: *Non vi si entra*, seu quarum Auditor neque Ponens erat neque corresponsalis, in alio, seiuncto a primo.

17. – Regula erat, ut Auditor eadem prima Studii die causas omnes videret quarum vel esset Ponens, aut in quibus sibi esset suffragium, seu consilium, ferendum. Hinc Adiutoris Studii moderari erat studium causarum, ita ut sibi et Secretis, qui omnes postea de peracto studio relationem Auditori facere debebant, quaenam essent causae studendae Adiutor statueret.

18. – Et in more fuit positum quod causarum, quarum Auditor erat Ponens, vel quae maioris essent difficultatis, sibi studium reservasset Adiutor; ceterarum vero studium distribueret Secretis.

19. – Diligentissime quisque scripturas et summaria uniuscuiusque causae, a se studendae, rimabatur, et uniuscuiusque quisque in scriptis conficiebat *summam*, seu, uti in Rota vocabatur: *Ristretto*. Facta, ex quibus oriebatur ratio dubitandi, brevibus verbis restringebantur, ea deducendo non tantum ex advocatorum narrationibus, sed ex allegatis ab utraque parte contendente documentis. Item et iuris argumenta hinc inde deducta. Summa, seu *Ristretto*, in scriptis uniuscuiusque causae fiebat.

20. – Hisce finitis, Studium primae diei finiebat quiete: Adiutor Studii et Secreti domus suas repetebant, in cubiculo Studii scripturis et summariis cum confectis summis, seu *Ristretti*, relictis penes Auditorem.

CAPUT XXXXII

De alteris duobus Studii diebus.

1. – Die immediate insequenti, *de mane* iterum Studium congregabatur in domo Auditoris.

2. – Hoc, primo, hac mane peragebatur, ut nempe Secretus iunior exararet quod pragmatice nuncupabatur *il foglio.*

3. – In huiusmodi *foglio* omnes causae, etiam eae in quibus partes fuissent contumaces, quarum Auditor esset Ponens et corresponsalis describebantur. Praeponebatur nomen uniuscuiusqne Ponentis iuxta turnorum ordinem quo causae in Rota propositurae forent: post unumquodque Ponentis nomen, dioeceseos nomina et tituli causarum, uti in *Diariis*, adnotabantur: hinc inde nomina partium litigantium uniuscuiusque causae et respectivorum procuratorum. Unam inter et alteram causam tantum spatii relinquebatur quantum praesumebatur sufficiens ad inibi describendum responsum a tribunali daturum.

4. – Ad id *il foglio* conficiebatur, ut norma esset relationibus et discussionibus causarum quae hac mane in Studio locum habebant.

5. – Siquidem Auditor, Adiutor Studii et Secreti in unum congregati sequenti ordine relationes et discussiones peragebant; nempe: Auditor, folium legens, primam causam in eo descriptam alta voce legebat prouti scriptum erat in eodem folio. Tunc is qui illius causae studio incubuerat sero antecedenti ac de ea confecerat *Ristretto*, illius relationem viva voce faciebat, facta enarrans et adducta ab utroque litigatore iura pandens, denique hac mane prima vice, quid ipse sentiret super merito eiusdem causae aperiens.

6. – Eo tacente, Auditor, servato inter ceteros praesentes in Studio antianitatis ordine, singillatim ad pandendam propriam sententiam invitabat: ipse vero ultimo suam patefaciebat; et super expositis sententiis, praesertim si opiniones concordes non essent, plus minusve longa discussio habebatur, quin tamen haec, consueto, ulla concluderetur conclusione. Nam hac Studii mane non deliberabatur, sed tempori tempus dabatur, ut maturius super unaquaque re deliberari denique valeret. Item, si casus ferret, ordine et ratione, inspiciebantur carthae topographicae, diagrammata domorum et similia.

7. – Et his, quae ad plures horas deducebantur, expletis, unusquisque in domum suam revertebatur.

8. – Profecto non ad otio vel requiei indulgendum, sed ad continuandum sedulo causarum studium. Etenim horis vespertinis, Auditor solemniter, Adiutor Studii et quisque Secretus. domi propriae habitationis manere debebant et manebant reipsa, parati ad auscultandas quae vocabantur *Informazioni* (informationes) advocatorum, procuratorum et non raro ipsarum litigantium partium.

9. – Coram Capellanis Auditoribus causarum s. a. p., saltem per ea tempora quorum copiosiora numero documenta archiviis manent (nisi perbrevis excipiatur annorum periodus soeculi XV-XVI

de qua testatur Gomez [1] et quae ab pontificatu Alexandri VI ad pontificatum Pauli III duravit) nunquam advocati causarum patrocinia seu defensiones (vel uti appellabantur *Informationes*) viva voce egerunt. consilium Clementis IV sequuti, de quo loquitur Speculator in titulo de *Requisitione consiliorum;* sed semper « datis ab Auditoribus dubiis, « Advocati de iure in scriptis respondebant ». [2]

10. – Verumtamen tum advocati, quam procuratores et ipsae partes nunquam destiterunt officium subiectionis et honoris Auditoribus praestare, eos invisendo hac altera Studiorum die. Et huiusmodi visitatio magna pompa fieri solemne fuit. Nam litigatores, si e nobilibus et praecipuis gentibus essent, ipsimet Auditores invisebant vel ad eos familiares suos *Gentiluomini* - uti nuncupabantur - mittebant; advocati vero et procuratores talari habitu induti ad Auditores accedebant. Hic autem eos recipiebat « sulla soglia della camera dell' In- « formazione » - uti scribit Bodini - et cum eis nedum praecedentiae leges, sed et omnes urbanitatis ceremonias adamussim servabat.

11. – Celebris est in fastis Rotae lucta qua, hac de re, Auditores inter et advocatos consistoriales decertatum est soeculo XVIII. [3] Lucta tandem finem habuit et pax inter decertantes facta est: tunc et advocati consistoriales participes facti iterum fuerunt frigidarum potionum quas Auditores, se invisentibus ultimis aestivis Rotis hac altera Studii die, opipare offerre consueverunt.

12. – Et eaedem personae, hac altera studiorum die, pro lubitu, consuescebant et Adiutores Studiorum et Secretos adire. - Et hoc humanitatis officio altera studii causarum dies claudebatur.

13. – Inutiliter ne huiusmodi informationes peragebantur? Sunt qui hoc putant: ego vero reor, non inaniter Rotales, litigatores audivisse, cum etiam inter conversandum aliquid ad rerum veritatem lucidius detegendam usque hauriri a loquentibus possit. Imo testatur Emerix: [4] « Conducit vero huiusmodi audientia quamplurimum ad « facilitandam resolutionem causarum, quia Procuratores in illa ore- « tenus, plerumque ita clare et distincte factum proponunt et Advo- « cati tam docte et sapienter iuribus et rationibus confirmant, ut « Auditores qui illos attente peraudiunt, et difficultates quas sentiunt « bene insinuant, ut advenientibus Scripturis multo minore et quan- « doque exiguo etiam labore resolutionem capiant: imo si, ut multi

[1] *Proëm. ad Reg. Cancell.*
[2] Gomez, l. c.
[3] Arch. Rot., *Diaria;* vol. III, pag. 466, nn. 388, 389, etc.
[4] *Praxis,* tit. XVII.

« utiliter faciunt, in causis quae alias propositae fuerunt, suffragia « sua et antiquas propositiones resumant et difficultatem propter « quam causa dilata fuit, intermedio tempore quo audientia vacat, « anticipate examinent, aut etiam novas scripturas ad se tempe- « stive deferri procurent, saepe in ipso die audientiae ab una vel « etiam pluribus causis se expediunt, atque ita laborem cui uno « die vix essent pares, per rectam temporis distributionem, facilem « reddunt ».

14. – Profecto, ex emericiana descriptione patet de tempore celeberrimi Auditoris informationes orales maioris ponderis ac momenti fuisse quoad studium causarum, quam novissimis tempestatibus veteris Rotae non fuerint. Attamen etiam, hisce tempestatibus, litigatoribus vel eorum procuratoribus et advocatis prorsus non incidisse de causis suis in conversatione cum Auditoribus sermonem, profecto non est praesumendum. Quinimmo credo ego, hisce novissimis tempestatibus potius quam re, specie tantum factum fuisse quod informatio ad simplicem humanitatis manifestationem reducta fuerit: necesse enim erat, clamores de vetusto more tunc temporis alte strepentes, mitigare.

15. – Utcumque: utillima quidem erat specialis informatio quae **tertia Studii die,** de bono mane, ab advocatis, procuratoribus vel partibus litigantibus ipsis Adiutori Studii fiebat in domo eiusdem Adiutoris. Hic, quavis ceremonia dimissa, omnes auscultabat.

16. – Deinde, certa hora statuta, ad domum se conferebat Auditoris, in qua congregatos inveniebat Auditorem et Secretos incumbentes studio *Responsionum* (*Risposte*) quae hinc inde ab advocatis, scriptis datae in contradictorio fuerant.

17. – Adiutor Studii responsiones, si et quatenus ei fuisset opus, legebat. Congruo autem temporis spatio ab illius adventu delapso, Auditor *folium* resumebat et, eum legens, singillatim unamquamque causam enunciabat, narrans quid super unaquaque sentierit heri ille qui illius studio incubuerat. Brevis inde discussio, in qua ratio habebatur de iis quae in responsionibus deducta erant: et denique conclusio, quae non raro dissona erat ab sententia die antecedenti emissa, iudicio efformato « non sulle cose dette nel dì innanzi, ma secondo « che quelle... studiate, o udite, o vedute, inclinato abbiano dal canto « loro l'umano giudizio ». Ita Bondini, l. c.

18. – Hisce vero peractis et Auditore ab aula Studii discesso, Adiutor et Secreti ibidem manebant et votum in scriptis in unaquaque causa cuius studio quisque operam dederat, extendebat.

19. – Ratio autem qua votum extendebatur haec erat. - A sinistris scribentis describebatur nomen Auditoris et dies et annus quo Rota habebatur; in medio paginae, alte, nomen dioeceseos et titulus causae, et, immediate post, formula dubii vel formulae dubiorum, et responsum quod coram Deo, omnibus mature deliberatis, visum est esse dandum. Deinceps, breviter exponebantur rationes in facto et in iure quibus motum fuerat Studium ad ita opinandum, seu tale responsum dandum. [1]

20. – Si autem causa alias proposita fuisset, votum, in antecedente illius propositione editum, reassumebatur, novoque uniebatur. Nec difficile erat praeteritum votum invenire quippe quod unumquodque rotale Studium appositum locum habebat aptissime accommodatum, in quo maximo ordine vota servabantur sub rubrica uniuscuiusque Auditoris.

21. – Verum in causis, quae proponebantur per *Memoriale*, vota non edebantur quippe quod dubia deessent.

22. – Pro istis causis, Secretus iunior praeter *folium*, supra descriptum, in alio folio, magnitudine non excedente dimidiam illius partem, adnotabat omnia Memoralia in quibus Auditor erat corresponsalis, linquens inter unum et alterum Memoriale tantum carthae spatii, quantum sufficeret ad inibi conscribendam responsionem quae unicuique Memoriali danda decidebatur mane secundae Studii diei.

23. – Vota exarata, in capsula lignea, clave claudenda, reponebantur, una simul cum *folio* et *medio folio*. Praeterea Studii Adiutor, si casus ferret, ad eandem capsulam reponebat aliquot carthae foliolos in quibus descripserat ipse causas quarum Auditor futurus esset Ponens: hoc, ut Auditor eas posset corresponsalibus suis notificare.

24. – Clausa capsula, eidem religatae in *Mazzo*, omnes ceterae causae in quibus *Non si entra*, adiungebantur; et Adiutor et Secreti abibant. Auditor vero, iis discessis, vota edita relegebat, eaque subsignabat, suum describens nomen a sinistris, subtus data quae iam qui votum exaravit conscripserat, uti supra dictum est. Et si aliqua visa fuissent Auditori in voto immutanda, haec ipse sua manu immutabat, ceu videre est in meo III tomo pag. 334, n. 207 quo unum publico ex istis votis, Auditoris manu signatum et correctione adauctum.

25. – Cum bis in hebdomada Rota haberetur, bis in hebdomada Studium congregari necesse fuit: deinde, ut studio causarum opera

[1] Exemplo sit n. 207, mei III vol., pag. 334-335.

daretur, utrum feriati dies occurrerint vel non, minime attendebatur. Quapropter si Rota iis diebus ab iudiciis abstinebat, studiis e contra insudabat; ita quidem dies Dominicae semper, natalitia Sanctorum quae essent festum palatii ut plurimum, ab Auditoribus eorumque Adiutoribus et Secretis in causis tam sedulo studendis ventilandisque insumebantur. « In diebus feriatis » scribit Emerix in sua *Praxi* [1] « nunquam Rota congregatur, tametsi iidem dies intra annum (iuri- « dicum) studium aut informationes quas Auditores singuli in suis « privatis aedibus excipiunt, non impediant. Imo *semper dies dominici* « et pleraque alia Festa etiam maiora intra annum, ut sunt Festa « Ascensionis, Annunciationis B. M. V., et Apostolorum Petri et « Pauli, studio rotali vel informationi et quandoque etiam Cappellis « pontificiis, seu aliis occupationibus publicis addicti sunt, cum magno « Auditorum incommodo, qui fessi ad aedes suas revertuntur, et saepe « ut sibi conscientiaeque suae satisfaciant, studia et laborem ultra « mediam noctem protrahere coguntur ».

26. – Oculis igitur insilit quomodo pars feriarum rotalium non exigua quin desidiae, labori potius inservisset: neque quem fugere potest quanta de causa Auditores - rebus ita compositis - in tenore sententiarum dicere potuerint, secum causas matura deliberatione ventilasse. – Ac insuper, cum 12 fuissent Studia rotalia seorsim in Urbe exsistentia, in quibus praeter Auditores, saltem 36 personae (tres pro unoquoque Studio) in iure peritae causas ad trutinam revocabant quin uni cum ceteris tempus suppeteret ad sententias conferendas, patet, iustitiam in Rota - rebus ita dispositis - necessario sancte administrari debuisse. Optimo iure igitur Aegidius Bellemera asseruit, [2] alium non esse locum in mundo ecclesiastico ubi causae ita bene terminarentur, sicuti in Rota; nedum ob copiam peritorum quae ibi erat, sed et « ob dissertissimum modum causas audiendi, « consulendi et decidendi ».

CAPUT XXXXIII.

De locis in quibus Rota congregabatur et de ordine quo in Rotis Auditores sedebant.

1. – Causarum studio domi cuiusvis Auditoris expleto, die rotali praefinita in Tabella (uti scripsi) Auditores in unum congregabantur

[1] Tit. XIX.
[2] Conclus. 37, *De Appellat.*

ad relationes faciendas consiliaque danda causasque definiendas, eo sese conferentes ubi Rota sedem habebat.

2. - Primis Capellanorum Auditorum tempestatibus, quum quisque Capellanus Auditor, separatus et ab ceteris aliis seiunctim causas sibi commissas audiebat, ubinam resideret quum a consiliariis, sibi per Papam datis, consilia petebat, et quum iuxta accepta consilia causam fine debito terminabat, historicis monimentis penes me non constat. Puto tamen haec omnia peracta fuisse in ipso Papae palatio, seu ubi Papa residebat, cum iure communi cautum sit iudices et iudicia Principis in ipsius Principis basilica residere et perfici debere. [1] Quinimmo, si reipsa Avenione summi Pontifices scriptis consignarunt leges quas longaeva romanae curiae praxis induxerat, absque dubio asserendum esset Capellanos Auditores nostros in palatio Papae sedisse ad iudicia facienda: nam Iohannes XXII in ordinatione sua *Ratio iuris* sub § *3*, praecepit: « Auditores ... bona hora diebus singulis iuridicis ad Pala-« tium conveniant, et immediate post pulsationem campanae ... inci-« piant sedere ad audiendum causas et dictum Palatium non exeant « donec partes satisfecerint suis terminis coram eis ». [2] Ita ut Benedictus XII, immediatus Iohannis XXII successor, iisdem Auditoribus aulam iudiciorum extruere fecerit in novo apostolico palatio. [3] Quod non fecisset, nisi lege cautum fuisset Auditores causarum palatii, in palatio iudicia perficere debere, et non alibi.

3. – Ideo, sive quando Auditores facti ad invicem Coauditores, causarum relationes et consiliorum requisitiones fieri coeperunt coram ipsa Papae persona, sive postea semper (*regulariter*) tum ante, quum post, ordinationem Iohannis XXII praecitatam, vel in ipsa aula consistorii, vel in sua particulari sede a Benedicto XII iisdem in palatio constituta, congregabantur.

4. – Regulariter - inquam - nam iustis intervenientibus causis, alibi Capellani sese congregarunt aliquoties. Etenim anno 1431 documentis edocemur eos convenisse ad ius dicendum, seu Rotas locum habuisse, in ecclesia sanctae Mariae ad Martyres, seu Rotunda, [4] anno 1478, in ecclesia S. Eustachii [5] et, serius, nempe de annis 1670

[1] Novella LXXXII, c. III. *Sedebunt.*

[2] Cfr. vol. III, pag. 69, n. 50. - Iussum Iohannis apprime concinit iussui Imperatoris in cit. *Novella,* l. c.

[3] Cfr. vol. II, pag. 27.

[4] Arch. Rot., *Invent. et Testam.*, part. I, n. 1.

[5] Vol. III, pag. 195, n. 117.

in conventu s. Mariae de pace;[1] de anno 1670, die 5 dec. in apostolica Cancellaria.[2]

5. – Ast, iis exceptis, residentia Rotae in Urbe fuit palatium Papae tum ad Vaticanum, tum ad Quirinalem, et in utroque loco suas habuit aulas et Cappellam; ad Quirinalem, eis assignatas primitus a Paulo V, et deinde ab Innocentio XII;[3] ad Vaticanum primitus eis assignatas a Gregorio XI, postea ab Urbano VIII et demum a Clemente XIII.[4] In *Diariis* assignationis residentiae in palatio propriae, quum assignatio a Pontifice facta est, diligens retexitur descriptio.

6. – Congregabatur autem Rota in una vel altera Papae residentia, prout Papa ipse in illa vel in ista pro anni tempore actu resideret. Verum in palatio Vaticano, duas fere semper Rotas haberi solemne fuit, primam nempe octobris in qua tribunal magna pompa aperiebatur, et ultimam Rotam anni iuridici, quae tenebatur de mense iulii, ubi indicebantur feriae generales, a Praefecto domus solemne dabatur convivium, terminatoque convivio, scutata 100 auri in auro ex nunquam satis laudabili instituto fel. rec. Clementis VIII distribuebantur.[5]

7. – Narrat Bondini[6] quod Auditores « ab antico si sedevano « in circolo, come su tante cattedre, con innanzi un ingegno che ser- « viva loro per porsi ginocchioni e pregare, e ad un tempo per porre « i scritti e per notarvi sopra le decisioni. Era un ordine maesto- « sissimo; e le pitture che lo ritraggono non senza commuovere a « divozione e rispetto possono rimirarsi ».

8. – Cum eodem auctore qui rem ad amussim et quamscite narrat, recolere praestat ordinem quo Auditores in congregationibus suis sederunt, quippe quod hoc ad intelligentiam complurium quae sum narraturus valde iuvet. Prosequitur igitur ipse ibi: « E comechè « ne' posteriori tempi alcuno cambiamento prevalesse, pure in sostanza, « quale egli era, si rimase. Conciossiacosachè sedendosi poi in ordine « quadro attorno un tavoliere » Auditores ita sedebant ut « dirim- « petto alla porta » (cubiculi in quo Auditores sedebant), « sta il « Decano, e, dall'uno e dall'altro lato suo, i due più anziani Auditori

[1] Ibi, *Diar. Emerix,* fol. 98, n. 64.

[2] Ibi, l. c.; in summa impedito palatio, Papae linquerunt Rotam, ubi maluerit congregari, prout ipsi declaravit olim Sixtus IV, (*vol. III, pag. 201-202, n. 122*).

[3] Vol. III, pag. 333, n. 204; vol. II, n. 205; Bondini, l. c., pag. 23.

[4] Arch. Rot., *Diaria;* Bondini, l. c., pag. 23.

[5] Emerix, *Praxis*, tit. VIII.

[6] *Del Tribunale,* etc., pag. 57.

« gli seggono accanto, dando esso la destra al più antico. In faccia « poi al Decano dimorasi l'ultimo Auditore, avendo a' fianchi d'am- « bedue le parti il penultimo ed il terz'ultimo. Negli altri due lati « sono disposti i rimanenti, secondo che comporta la di loro anzia- « nità ». Haec omnia in *Diariis*, praesertim *Cameralibus*, uno ictu oculi conspiciuntur in schemate quod fere quotannis inibi in principio anni rotalis describitur, hoc modo:

I.

II. III.
IV. V.
VI. VII.
VIII. IX.
X. XI.

XII.

9. – Emerix, describit his verbis sellas quibus utebantur Auditores in Palatio Vaticano. « Notandum est » - ita ipse - « circa mensam « gradatam cui Auditores in Palatio Vaticano assident, disposita esse « quatuor altiora scamna in quibus singuli terni sedent, in primo, « videlicet, quod portam respicit, Decanus, in medio duorum in « receptione antiquiorum; in altero, huic opposito, novissimus in « medio aliorum duorum in receptione iuniorum, et reliqui in scamnis « collateralibus, quisque secundum ordinem suae receptionis, prout « melius et oculariter apparet ex delineatione seu figura Rotae et « ordinis secundum quem hodie in illa sedemus:



10. – Huiusmodi sedendi ordo valde, uti dixi, interest novisse, nam ex eo scire datum est quinam fuerint uniuscuiusque Ponentis consiliarii seu corresponsales. Nam post quam *chori Rotae*[2] seu *turni* inventi fuerunt, stylus fuit, ut ii Auditores essent consiliarii seu corresponsales in causis qui a sinistris sederent Ponentis causarum. Ideo Decani corresponsales erant III, V, VII et IX Auditor. Si vero v. g. fuisset Ponens Subdecanus, scilicet II Auditor, illius corresponsales erant I, III, V et VII Auditor, quippe qui a sinistris secundi Auditoris sedebant. Et ita porro.[3] Haec quidem lector memoret, ut facilius intelligere valeat quae dicenda erunt in capite *De consiliis* in quo referam novationes inductas a Benedicto XIV et postea a Clemente XIII sublatas.

CAPUT XXXXIV.

De Capellanis Auditoribus causarum I, II et III gradus s. p. a. seu de choris aut turnis rotalibus.

1. – Profecto huiusmodi sedendi et consilia dandi invectum et usque religiosissime, etiam ultimis Rotae temporibus servatum, ordinem iuridica quidem, et praecipue historica, ratione carere dicet nemo.

2. – Nam, etiam postquam papale forum decretis lugdunensis concilii I necessarium factum pro causis devolutis, in nostro auditorio ne litigatoribus illa naturalis et positivi iuris auxilia deessent quibus quivis in inferiori tribunali abunde fruuntur, saltem speciem exsistere trium iudicialium instantiarum constitutum est.

3. – Hinc contigit, ut causae s. a. p. - non ante tamen, ut videtur, pontificatum Iohannis XXII - in tres gradus distinguerentur, prouti vel primo iudicio ipse subiicerentur, vel secundo, vel tertio, ita ut ideo primi gradus, secundi gradus, tertii gradus respective causae appellarentur.

4. – Et quia eae, quocumque in gradu penderent, nonnisi Capellanis committebantur, factum est quod ne in omnibus et singulis gradibus ab iisdem personis audirentur et iudicarentur, Capellanorum numerus in tres partes dispesceretur, quarum uni demandata fuisset cognitio causarum primi gradus; alteri secundi; et; denique, tertiae, tertii gradus.

[1] Emerix, *Praxis*, tit. XVI.
[2] Penia in suo *Diario* Turnum vocat, *Chorum*, (*vol. III, pag. 318, n. 181*).
[3] Cfr. Bondini, l. c. pag. 58, capoverso: *I voti anco.*

5. – Documentis non scatet utrum iam hinc a die quo collegialitas Capellanorum tribunali orta est, mos iste initia sumpserit. Profecto persuasum est sub Iohanne XXII et Benedicto XII morem praedictum fuisse in viridi observantia, ceu horum Pontificum Regestra late comprobant.

6. – Sedulo huiusmodi Regestrorum documentis inspectis, patet, Capellanos Auditores assumi consuevisse ab ipso Papa ab audientia causarum unius gradus ad illam causarum alterius gradus, ita ut qui fuerant Auditores causarum primi, transirent ad audiendas causas secundi, et qui secundi transirent ad audiendas causas tertii gradus. Sed num ex hoc aliquid maius vel minus iurisdictionis et praeeminentiae, praeter eam quae ab antianitate matriculae profluebat, conlatum fuisset Capellanis Auditoribus, documentis aperte non definitur; quamvis videatur nil inde ipsos coepisse in sua iurisdictione et praeeminentia augmenti, ex eo quod, quum causae videntibus omnibus tractarentur, indifferenter omnes sua vota seu consilia depromerent, ceu patet ex documento ab Schneider citato in nota 1, pag. 57.[1]

7. – Ex facto tamen quod ita numerus Capellanorum Auditorum in iudiciis peragendis dispescebatur, multi opinati sunt in tres gradus divisos fuisse antiquitus Capellanos Auditores, Capellanis Auditoribus tribuendo appellationem qua Pontifices tantummodo significarunt apertissime instantiae iudicialis gradus causarum palatii sui. Et quoniam genuina Pontificum documenta scriptorum multos latebant, multique ea rimati, etiam novissimis hisce tempestatibus nostris, non fuerunt, hinc ut rem explicarent in varias ac prorsus falsas abierunt opiniones, uti v. g. ostendit in suo praecitato opere *Die Römische Rota*, etc. Ego Schneider (pag. 48 et ssq.).

8. – Puto tamen novissimis Rotae Auditoribus consuevisse committi causas primi gradus, senioribus servatis causis secundi et tertii gradus, quippe quod seniores Auditores cum ob diu exercitum munus iudicandi melius iunioribus honestatem iudicandi noscerent et saltem antianitatis nota iunioribus praecellerent, congrue in reformatores iuniorum Auditorum sententiarum poterant assumi.

9. – Et ne lector existimet, me non secus ac ceteros scriptores, res divinationibus confingere, insertum heic volo, exempli ergo, documentum quod exscripsi ex Regestro manuscripto Benedicti XII, in Arch. Vat. asservato.[2]

[1] *Die Römische Rota*, etc.
[2] L. c., anno III.

10. – Causa de qua in documento agitur, coepta fuerat, sedente Iohanne XXII qui « Causam appellationis huiusmodi et negocii princi- « palis » Hermanno de Praga « Custodi Ecclesie Pragen., eiusdem « Sedis Capellano *tercii, tunc primi, gradus* causarum et Apostolici « Palatii Auditori audiendam commisit et fine debito terminandam ...

« Postmodum vero, dicto Hermanno per dictum predecessorem « (Iohannem XXII) *assumpto in Auditorem causarum secundi gradus* « *Palatii supradicti*, [1] idem predecessor causam huiusmodi ... (nempe « appellationis) Oliviero de Cerzeto, Capellano ... *Auditori causarum* « *primi gradus* et Palatii ... audiendam commisit et fine debito ter- « minandam ... qui pronunciavit ...

« A qua quidem sententia, pro parte Canonicorum ad dictam « (Sanctam) Sedem exstitit appellatum. Nosque causam appellationis « huiusmodi ab eadem sententia interiecte, venerabili Frati nostro « *Guillermo Audeberti, Episcopo Apten. tunc Preposito S. Petri* « *Arien. Morimen diocesis, Capellano Nostro et Auditori causarum* « *secundi gradus* et Palatii predictorum, audiendam commisimus et « fine debito terminandam, qui legitime in causa huiusmodi proce- « dens ... per suam diffinitivam sententiam pronunciavit ... bene et « legitime per dictum Magistrum Olivierum fuisse processum et sen- « tentiatum ... eiusque sententiam confirmavit ...

« A cuius sententia pro parte dictorum Canonicorum et Capituli « fuit ad nostram audientiam appellatum ;

« Nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio Magistro « Aymerico Gerardi, Archidiacono Elnen., Capellano Nostro, *Audi-* « *tori causarum tercii gradus Palatii supradicti*, audiendam commisi- « mus et fine debito terminandam, qui in huiusmodi *ultime* appellatio- « nis causa procedens, iuris ordine servato, per diffinitivam sententiam « pronunciavit, decrevit et declaravit, per dictum Guillermum in dicta « causa bene et legitime processum, pronunciatum et sentenciatum « fuisse et esse, ipsiusque sententiam, in quantum de iure potuit, « confirmavit ... prout in Instrumentis publicis inde confectis dictorum « Olivierii, Guillermi et Aymerici sigillis munitis, plenius dicitur con- « tineri. Nosque, etc. ... ».

11. Ex hoc igitur documento quod veluti specimen tot aliorum in Regestris existentium transcripsi, quae supra asserui, liquido scatent ; nam non Auditores dicti fuerunt in textibus primi, secundi vel

[1] Adverte, lector : cum Benedictus haec scribebat, Hermannus iam erat Auditor tertii gradus : hinc hic in hoc documento ostenditur Auditor causarum et primi et secundi et tertii gradus.

tertii gradus, sed causae; Auditores prius deputabantur ad audiendas causas primi gradus, postea per Papam assumebantur in Auditores causarum secundi et deinde tertii gradus; gradus intelligebantur de iudicialibus instantiis palatii, nulla habita ratione praecedentium instantiarum coram inferiore iudice.

12. – Porro, mos huiusmodi multo tempore non viguit: sunt qui ad 10 annos[1] eum coarctant, sed prorsus erronee, cum ab anno 1323 ad integrum pontificatum Benedicti XII certe illius vestigia in Regestris reperiantur.

13. – Utcumque; mos huiusmodi qui, nil cum maioris aut minoris iurisdictionis Auditoribus concederet, nonnisi difficultates et forsan contentiones inter Auditores progigni natus erat, in aevum vivere non poterat.

14. – Eo vel magis quod causae maiorem praeseferentes difficultatem neque Papam permisisse neque Capellanos Auditores ausos fuisse per eorum aliquot tantummodo hinc a principio et non per omnes videri, ratione ipsa dictante, praesumendum est.

15. – Et revera etiam tunc temporis aliquoties causas fuisse per omnes dominos Auditores tractactas quae adhuc supersunt documenta demonstrant, uti v. g. documentum a Schneider citatum in nota 1 pag. 57,[2] in quo legitur « prout totum Collegium domino- « rum Auditorum rote iudicavit et consuluit ... ».

16. – Ceterum, data Capellanorum Auditorum iuridica figura quae etiam per id temporis mutata non fuit quippe quod causae eis commissione speciali committebantur, et eorum quaevis iurisdictio cum morte Papae expirabat, poteratne trium instantiarum graduum tam stricta et praecisa distinctio sustineri in palatio?

17. – Nisi tamen admittamus, Auditores unius gradus causarum in veros delegatos Papae, non amplius in simplices Mandatarios, illa distinctione conversos fuisse: quod tamen tunc tantum facto specialis commissionis et expiratione potestatis Auditorum cum morte Papae componi posset, ubi conversio illa sustineretur contigisse singillatim pro unaquaque causa. Ast negari nequit, hac in hypothesi contradictionem progenitam fuisse; nempe: dum v. gr. Auditores causarum secundi gradus, utpote delegati Papae, superiores erant in his causis Capellanis Auditoribus primi gradus quorum sententiam revidebant et forte reformabant, istorum tamen pares erant in

[1] Schneider, l. c.
[2] L. c.

ceteris causis quae omnium opera erant tractandae et revera tractabantur. Contradictio quidem incongrua et simultatum et incommodorum fons uberrima.

18. – Utcumque; mos brevi finem habuit; non vero tantundem necessitas ne omnes causae ab omnibus viderentur; nedum quia non omnes eiusdem essent difficultatis, sed et quia congruum erat ut saepius possent litigatores sua iura coram Papa probare tuerique, ita ut eis illa trium instantiarum saltem species non deesset; et quia, data magna decidendarum causarum mole quarum iudiciis ter in hebdomada Capellani Auditores tunc temporis incumbebant, impossibile fere erat ut omnes et singulae causae viderentur ab omnibus, tot iudiciorum curae et labores inter varios erant distribuenda.

19. – Hinc appellatio causarum primi, secundi vel tertii gradus sublata est; sublatum deinde fuit onus Papae assumendi Auditores de uno ad alterum gradum. Tres instantiae manserunt; sed ita causarum commissiones in unaquaque instantia dabantur, ut unicuique eiusdem causae diverso Ponenti diversi forent necessario Auditores consiliarii. Quapropter res ita ordinatae fuerunt ut Ponenti tot numero essent in unaquaque instantia Auditores consiliarii, seu (uti serius appellati sunt) *corresponsales*, quot numero efformarent tertiam partem existentium Auditorum: et Ponens cum suis corresponsalibus Chorum - uti appellabatur, saltem sub fine soeculi XVI -[1] seu Turnum - uti postea vocatus est - conflabat. Causa a primo turno tractata, si appellatio fieret, alteri turno committebatur, cuius Ponens novos haberet corresponsales qui in illa causa consilium nondum dederant: item, si a secundo turno appellatio fieret, tertio Ponenti causa committebatur cui corresponsales erant Auditores qui nondum in ea causa votum deprompserant. Hoc autem ut necessario contingeret statutum fuit ut unicuique Ponenti corresponsales non essent nisi qui a suis sinistris Auditores sedebant.[3] Hisce semel constabilitis, Cancellariae apostolicae quotannis (et quoties per annum in sellarum ordine ob recessum unius vel alterius Auditoris mutatio contingeret) tradebatur ordo sedendi Auditorum in Rota. Agnoscens ita Vice-Cancellarius qui fuissent primo uniuscuiusque causae Ponenti corresponsales, sciebat cuinam ex Auditoribus causa foret commit-

[1] SCHNEIDER, l. c.

[2] Vol. III, pag. 318, n. 181.

[3] Haec regula bene notetur. De hac ita in sua *Praxi* tit. XVI, testatur Emerix: « Notandum, secundo, quod vota porriguntur sinistrorsum in omnibus causis « etiam in illis quae videntur ab omnibus Dominis, ut semper prior dare suffra- « gium incipiat qui Ponenti proximus a sinistris assidet ».

tenda secundo, et serius tertio Ponenti. Ita, v. g., quum Auditores certo duodenario numero conclusi fuerunt, si causa quaedam primo committebatur, puta, X° Auditori, hic corresponsales habebat VIII, VI, IV et II Auditores; nempe quatuor Auditores, qui efformabant tertiam omnium Auditorum partem. Cum autem Ponens suum non proferret votum, alter Ponens illius causae esse poterat II Auditor cui corresponsales erant I, III, V et VII. Hic VII Auditor ponens, eadem de causa, tertius poterat esse, qui corresponsales habebat IX, XI, XII et X Auditor. Hic poterat iure suum votum in hac causa quae tertio videbatur in Rota proferre, quia quamvis illius fuisset primus Ponens, in ea tamen suum votum nunquam protulerat.

20. – Rebus hac ratione dispositis, iam quaeque causa per omnes Auditores transibat: in unaquaque omnes suum consilium et votum promebant: et cum quisque turnus non ab ceteris Auditoribus procul, sed omnibus coram, causas tractaret, ceteris pleno fruentibus iure, si vellent, interloquendi,[1] quaevis aberat aemulationis vel simultatis occasio. Nullus enim dici poterat inter eos maior aut minor, cum ipse Decanus, ceu quivis alius Auditor, suum votum promeret nunc corresponsalis in primo, nunc in secundo, nunc in tertio huius vel alterius causae iudicio; et miro in modo factis firmabatur principium, Auditorum unam eamdemque esse potestatem, ita ut causa uni commissa censeretur cuilibet commissa, quia in Rota, tota iurisdictio erat Papae.

21. – Quod ut validius consisteret apertiusque pateret, et stylus inductus fuit singularis in ordine causas in unaquaque Rota proponendi. Nam haec fuit praxis, de qua testatur in sua *Praefatione*[2] Ansaldus, scilicet: si in hac hodierna Rota primus causas proponere occepisset Decanus, ceteri Ponentes ceterarum causarum erant qui a suis sinistris sedebant Auditores usque ad quintum inclusive; in Rota vero insequente, primus proponere incipiebat subdecanus; post quem ceterarum causarum Ponentes erant qui a dexteris illius sedebant usque ad quintum inclusive; « et sic alternatim de Rota in Rotam ». Et idem Ansaldus in huiusmodi stylo vidit « quandam speciem anti- « quae divisionis inter Auditores primi et secundi gradus ». Quod tamen mihi non probatur; nedum quia non Auditores fuerant, sed causae, primi et secundi gradus; sed quia ipsae causae fuerant et tertii gradus, cuius proinde species in tali stylo nullimode servabatur. Potius huiusmodi stylus inductus fuit, uti innui, ut quaevis

[1] Arch. Rot., *Diarium Emerix,* fol. 116, n. 134.
[2] *Decis. Ansaldi Praef.,* n. 17, § Retinetur.

vel umbra evanesceret illius superioritatis vel praeeminentiae quae facile oriri potuit ex praememorata divisione causarum, et quae nequibat contentiones et aemulationes non gignere inter Auditores, pares inter sese et quoad gradum praelaturae et quoad iurisdictionem.

22. – Et cum causae hoc ordine tractarentur in Rota, scite vulgo dicebatur: *Causae in Rota rotant*, vel *rotantur*, quatenus revera per integrum Auditorum circulum circumagebantur iudicandae.

23. – Haec rerum ordinatio, documentis, quae ego novi, num Auditorum industria vel potius Auditoris contradictarum iussu, vel ipsius Papae mandato fuerit, necne, inducta, non edocemur. Tempore suo, Emerix persuasum habebat ita res ordinasse Auditores: scribit enim ipse sub *die 11 febr. 1678*,[1] quo « unus ex Dominis extra « ordinem voluit votare tametsi (causa) illa videretur tantum in Turno « et in ea iam esset resoluta per tria suffragia contra unum: Domini « dixerunt, quod tametsi secundum rigorem unusquisque Auditor « possit suffragium ferre in qualibet causa, etiamsi non sit in Turno, « nihilominus, *de stylo observari solito ab antiquo*, hoc non fit nisi « per modum discursus et consilii ne alioquin praebeatur occasio de « facili perturbandi ordinem resolutionum, *dignis de causis a maio-* « *ribus nostris religiose servatum* ».

24. – Quisnam ex corresponsalibus primus proferret consilium seu votum vel suffragium, certo asseri nequit. Emerix in sua *Praxi*[2] et Bondini[3] qui harum Rotae rerum plenissimam notitiam callebat, dicit primum loqui consuevisse qui immediate a sinistris Ponentis sedebat et alios deinde: e contra Ludovicus Romanus, Rotae Auditor, sibi proposita quaestione « quis debeat primo loqui? » respondet: « De iure senior » et ponit exceptionem inquiens, secus observari a dominis de Rota qui in *consiliis dandis* a iunioribus incipiunt. Probabiliter utrumque verum fuit, scilicet: soeculo XV mos viguit quem Ludovicus memorat: postea quem Emerix et Bondini tradunt soeculis XVII et XIX in observantia fuit.

25. – Et heic, ut quae hucusque exposui magnae auctoritatis testimonio fulciantur, et difficultas quae a multis fieri solet, causas nempe in Rota in quavis instantia ab eisdem iudicibus iudicatas fuisse, evanescat, opportunum duco exscribere quae in sua *Praxi* de turnis rotalibus scribit Emerix, sub tit. XXVII; « Illud spe- « ciale est in Rota, quod causae in prima, seu ulteriori, instantia

[1] Arch. Rot., cit. *Diarium Emerix*, l. c.
[2] Tit. XVI.
[3] L. c.

« semel in illa terminatae, in gradu appellationis in tertia seu ulte-
« rioribus instantiis, in eadem (Rota) iterum committi debent, et
« propterea ne partes quae succubuerunt, exinde timorem concipiant,
« inolevit ab antiquo stylus ut causae distribuerentur per Turnos ;
« ita ut plerumque illae quae in uno Turno decisae fuerunt, com-
« mittantur ultimo corresponsali istius Turni, vel alteri Auditori
« immediate sequenti, quo facto illi qui in primo consilia praebue-
« runt, sese in secundo immiscere non possunt.

26. – « Imo si - ut quandoque contigit - Turni per obitum, vel
« per promotionem alicuius Auditoris interim immutati fuerint, vel
« causae per plures et plures instantias in Rota resolvantur, accidit
« nonnunquam, ut ad eumdem Auditorem revertantur qui in una
« ex praecedentibus pronunciavit, ut animadversum fuit in *Melevi-*
« *tana-Viridarii, 21 ianuarii 1676* coram Me (Emerix), id fit sine
« partium litigantium suspicione, tum quia - ut supra *de Sententiis*
« dixi - Ponens, seu Relator, illas profert non secundum propriam
« opinionem sed secundum corresponsalium suorum consilia; tum
« quia ipsimet corresponsales, seu Auditores, non adhaerent tena-
« citer priori sententiae vel opinioni, sed quoties ex novo facto, vel
« iure, seu etiam ex antiquo melius delucidato advertunt eam in
« facto non subsistere, vel minus recte in iure applicari, sine diffi-
« cultate consilia in melius mutant ».

27. - Ceterum summopere invigilabatur ne in subsequentibus Turnis vel iidem corresponsales antecedentis Turni, vel aliqui ex iisdèm, novis Ponentibus adessent. Poterat enim hoc contigere ubi vel mors vel promotio alicuius Auditoris accideret: hisce enim in adiunctis, fiebat mutatio sellarum, ascendentibus Auditoribus - ita exigente decursu matriculae, seu antianitatis - usque Decanum versus, ita ut qui v. gr. sederet in VIII loco (si vacaret una ex superioribus sellis) ad VII ascenderet, qui in VI sedebat, ad V ascenderet, et ita porro. Profecto certis in adiunctis fieri poterat, uti dixi, ut corresponsales secundi Ponentis, - sellarum facta immutatione - invenirentur iidem qui fuerant corresponsales Ponentis primi Turni.

28. – Quod si fieret, fas erat litigatoribus « recurrere ad Signa-
« turam Iustitiae, quae solebat mandare Regenti Cancellariae ut depu-
« taret alium (Ponentem), ut rescriptum fuit in *Romana Fideicom-*
« *missi-Muti de Bubalo*... die Sabbati 17 febr. 1690 » et in aliis, quas refert cardinalis Petra. [1]

[1] *Comment. ad Const. Apost.*, tom. IV, pag 53, n. 40.

29. - Sed anno 1764, sub die 13 ianuarii, Rotae Auditores animadvertentes « nonnihil detrimenti iustitiae irrogari iis controversiis, « pro quarum dilucidatione accessus aliquis rotalis peractus est: si « alii quam qui in faciem loci accesserant ob sedes mutatas suffra- « gium tulissent, ... licet praxis tribunalis ita se haberet nonnullis « existentibus exemplis ut definitae fuerint controversiae ab uno « Turno post quam alter accessum expleverat, nihilominus Domini « in eum sensum iverunt ut consulendi causa iustitiae bono in hisce « casibus, Rmus Decanus ex se ipso posset alium antiquo subro- « gare Ponentem cui maiores numero Patres responderent ex iis « qui loci faciem inspexerant ». Super quo, Decretum factum fuit ab omnibus subscriptum, et *Libro Sac. Rotae* ex integro insertum.[1]

CAPUT XXXXV.

De Relationibus.

1. – Hisce in genere dictis de choris seu Turnis rotalibus, nostrum est nunc cum Auditoribus aulam rotalem ingredi et enarrare quanam ratione causae inibi proponerentur. Hoc quidem nobis liceat hodie; non item licuisset quum Rota viveret, quandoquidem tunc sanctissime servatum fuit, neminem, nec ipsos s. r. e. cardinales, in aulam Rotae, sedentibus Auditoribus, quavis de causa intromitti.[2]

2. – Ex hoc, non sine magna difficultate, quae sum mox narraturus percepi ac tuto in vulgum spargo.

3. – Igitur, Auditoribus in sede Rotae in unum congregatis, rocchetto et cappa indutis, sacroque in cappella audito, aulam iudiciorum, quae anthonomastice aulam Rotae audiebat, ingrediebantur et ad propriam uniuscuiusque sellam unusquisque eorum se conferebat. Et oratione ad Spiritum Sanctum dicta,[3] senior Auditor causas ponebat in Relationibus.

4. – Heic animadvertendum est, in unaquaque causa dubia oriri posse vel super iure in casu applicando, vel super eiusdem causae factis. Facile quisque percipit, dubia facti dilui non secus posse nisi per media processualia: haec quidem Ponens experiebatur in confectione processuum, ideoque dubia facti in relationibus ponere

[1] *Liber S. Rotae*, 2, pag. 643.
[2] Arch. Rot., *Diaria*.
[3] Vol. III, pag. 697, n. 593.

nequibat. Poterat quidem dubia iuris in relationibus ponere: immo debebat, stante sui officii natura ex qua nil erat defenire, nisi prius facta relatione; et, urgente iuris communis praecepto, « iudicem « custodire debere leges et secundum eas proferre sententias, eique « facta licentia, si quid putaverit esse dubium, de his Imperatori « nunciare et consulere eum, ut discat quae necessaria sunt et « ita quod agendum est explicet, et faciat iusta simul et ratio- « nabilia iudicia: vult enim legislator obtinere quod suae volunt « leges ».[1]

5. – Exinde duo styli enati sunt: unus *relationes* proprie dictas, *faciundi:* alter, *consilia petendi:* ille in finem tendebat ius dubium efficiendi certum et firmum; iste vero, merita causae iusto rationabilique iudicio definiendi: in *relationibus* dubia iuris proponebantur a Ponente; in *petitione consiliorum*, Ponens verum et certum dubium, ex actis causae elicitum, prudentiae Coauditorum proponebat, ut ex eis disceret quanam sententia esset causa terminanda.

6. – Hinc, *relationes* scite definit Speculator, nempe: « iudicis, « *de iure dubitantis*, ad Principem missa consultatio ... et quidem « facienda in omni casu, sive sit causa civilis, sive criminalis, cum « *de iure* dubitatur: secus quando super facto ».[2]

7. – « Quando autem sit relatio facienda, clarum est quod « super quolibet iuris dubio priusquam illud sententialiter declare- « tur ... Generaliter autem quoties expedit ex causa iusta et neces- « saria fit relatio, exemplo Moysis qui, ingressus tabernaculum, que- « relas populi ad Dominum referebat, ut secundum eius imperium « iudicaret ... ».[3]

8. – Iuxta haec praecepta, quae Speculator inniti ostendit legibus tum civilibus tum canonicis, et Auditores causarum s. p. a. relationes consueverunt facere semper; initio, ipsae Pontificis personae; serius, ceteris Coauditoribus.

9. – De tempore Speculatoris, quinam fuerit modus faciendi relationes, ipse Speculator tradit, scribens; « Sed et Auditores gene- « rales palatii domini Papae, qui eius vice causas audiunt, eidem « domino singula litis dubia *viva voce* referunt, Moysis exemplo ... ».[4]

[1] Novell. LXXXII, cap. XIII et XIV; *Cod.* libr. VII, tit. LXI, *de Relat.*, l. 1, si quis.

[2] *Specul.* libr. II, part. II, *De relat.*, § 1, 2, 3.

[3] Idem, ibi, l. c.

[4] Idem, ibi, § 4, n. 8.

10. – Quapropter Auditores nostri, ab ceteris iudicibus relationes facientibus, in hoc discrepabant, quod *viva voce* referrent Papae, dum ceteri in scriptis, coram partibus legendis, partibus per manum publicam dandis, et per partes, sigillatis ad Papam deferendis.[1]

11. – Adeo ut, dum ceterorum iudicum aut auditorum causarum relationibus fas erat partibus contradicere, hoc possibile non fuerit in auditorio causarum palatii, nedum quum relationes factae sunt ipsi Papae personae, sed et postea quum relationes fieri consueverunt coram Coauditoribus. Nam, uti superius innui, relationes factae sunt etiam quum Papa a rotalibus iudiciis abfuit, et ideo Auditor cui causa commissa erat appellatus fuit *Referens* seu *Ponens*, quia causa, vel causas sibi commissas Coauditoribus referebat, eam, vel eas, in relationibus ponendo.

12. – Et relatio etiam tunc viva voce fiebat, non autem in scriptis; ipsaque *iuris puncta* concernebat, non vero *facti dubia*.

13. – Posset hic iudiciorum praxeos inexpertus obiicere, me a vero haec asserendo aberrare, quippe quod Rotae non iuris principia firmare, sed causas decidere fuisset, ideoque causae in relationibus nedum ponebantur ad iuris dubia diluenda, sed ad ipsas causas in suis concretis factorum adiunctis dirimendas.

14. – Ast obiectio ruit, si animadvertatur, duo fuisse uniuscuiusque iudicii momenta; nempe: unum, quo firmabatur ius in causa applicandum; alterum, quo, post firmatum ius, causa decidebatur: in illo *relatio* propie dicta locum habebat, in isto autem causae discussio et decisio.

15. – Quapropter quoties contingeret in causis singulis dubium seu dubia iuris exurgere, causae non semel, sed bis, ter, quater et amplius, proponebantur in Rota antequam deciderentur; toties scilicet, quoties opus fuisset ad omnia diluenda iuris dubia; nec decidebantur antequam ius non esset apprime firmatum.

16. – Heic tamen adnotatum volo, stylum faciundi relationes proprie dictas, seiunctim a petitione consiliorum, prima soeculi XVII medietate finem accepisse, iis de causis de quibus sermonem faciam inferius n. 20. Ideo quae de iisdem *relationibus* scripsi, vel ero scripturus, ad oevum referantur quod ante illud soeculum effluxit. Etsi etiam soeculo XVII et deinceps *relationes*, proprie dictae, factae non amplius habitualiter sint, attamen, necessitate urgente, non raro locum habuerunt.

[1] Idem, ibi. § 4, nn. 1, 2 et 3.

17. – Et ex stylo huiusmodi faciendi relationes, complures alii styli dimanarunt: primo, rescribendi *Dilata*: quo verbo significabatur, causae definitionem ad aliam insequentem Rotam fuisse dilatam, adhuc Auditoribus super iure disputantibus. Profecto huiusmodi rescripto utebatur Rota quoties aliis etiam de causis resolutio fuisset retardanda:[1] sed praecipue hac de causa dilatio decisionum contigit. Quod si relatio causae locum habuisset non multo ante ferias Natalitias, vel carnis privii, vel generales, loco verbi *Dilata*, rescribebatur vel *post Agnos*, vel *post pisces*, vel *post Reges*, uti in capite *De feriis* scripsi.

18. - Alter stylus enatus est, conficiendi *librum particularem conclusionum, seu resolutionum, seu Decisionum Rotae*. In antiquioribus *Diariis* huius *libri particularis* mentio occurrit non semel:[2] et hi libri ab unoquoque Auditore confecti sunt certissime ab pontificatu Benedicti XII, quorum antiquius exemplar habemus in *Decisionibus* Fastolfii qui in Rota sedit sub Benedicto XII[3] et in *Decisionibus Novis, antiquis*, in *Conclusionibus* Aegidii Bellemera, et in Decisionibus Simonettae, Cassadori, Gomez, Paleotti et ceterorum quae in unum collectae reperiuntur in celebri collectione, vulgo, ab sua inscriptione, appellata « *Diversorum* ».

19. - Num ante Benedictum XII stylus iste viguerit, penes me historicis documentis non constat; etsi putem revera hinc a Clemente IV, a die nempe quo Capellanorum Auditorum tribunal collegiale factum fuit, necessitate cogente, *librum particularem* sibi confecisse unumquemque Auditorem.

20. - Siquidem stylus conficiendi libros Decisionum particulares sub initio soeculi XVII finem accepit, ubi scilicet ars typis libros cudendi id effecerat, ut iura iuriumque interpretatio in vulgatis quamplurium iurisconsultorum operibus et praesertim in vulgatissimis praeteritorum Auditorum particularibus Decisionum Rotae libris fere certa et communia facta essent. Antea vero necesse erat, ut unusquisque Auditor sensus Rotae in discussis iuris punctis sua personali industria sibi servasset; necesse erat, ut quae senserit Rota in antecedentibus propositionibus uniuscuiusque causae apprime nosceret, ne

[1] De dilationibus longum sermonem habent RIDOLPHIN. in sua *Praxi recent.*, et BONDINI in suo, saepius a me citato, opere. Nisi historiam generalem Rotae tribunalis agerem, ex istis auctoribus multa hausissem: sed haec particularem iurisprudentiae rotalis historiam spectant.

[2] ARCH. ROT., *Diarium* Seraphini, v. g. sub die 13 ianuarii 1567 Seraphinus adnotat: « c. Olivario-Romana. Pecuniaria. Domini persistunt in resolutis. *Vide in « libro particulari mearum Decisionum* ».

[3] Cf. vol. II, n 127, pag. 26.

eorum oblitus in ultimis eiusdem causae propositionibus in varios sensus cum enormi iustitiae laesione, abiret. Hinc necessitas pro unoquoque Auditore doctissimas, quas Auditores in Rota habuerant iuridicas discussiones, dietim non numeri ordine, sed prout sese quaestiones offerebant scriptis consignandi.[1] Ter in haebdomada Rota fiebat; complura dubia in unaquaque Rota proponebantur: expleto anno iuridico, etsi brevibus verbis singula discussio referretur, iam multae paginae scriptura impletae erant: paucos post annos, hae in librum ex sese coalescebant. Et cum quisque Auditor sibi et ad proprium usum scripsisset, *liber Decisionum Rotae particularis* iam exaratus erat.

21. - Hisce de causis, soeculis XIV, XV et XVI *libri particulares* exarati sunt: ast eaedem causae num minus urserant soeculo XIII? Ideo puto hinc a Clementis IV pontificatu, initia stylum libros particulares Decisionum conficiendi sumpsisse. Utcumque: certe viguit insequentibus soeculis, uti inferius, capite *De Collectionibus Decisionum rotalium*, ostendam, et soeculo XVII ineunte, desiit.

22. - Porro, hos libros pervolventi Decisiones inibi relatas nonnisi in dubii iuris punctis captas fuisse patet manifeste. Quicumque Auditor eas scripserit, paucis vel effusis verbis scripserit, facta causae non narrat, sed indigitata causa in qua orta fuit dubitatio, hanc exponit et sensus Rotae vel summatim tantummodo refert, vel glossis adornat, vel impetit, vel approbat, recitatis non raro etiam Auditorum nominibus qui hanc vel illam opinionem sequuti fuerant. Sibi scribebat Auditor: ideo in suo libro res prouti suis oculis suisque auribus in Rota perceperat, referebat.

23. – Scatuit igitur stylus Decisionum Rotae particularem librum conficiendi ex stylo relationum faciendarum: prouti, ex eodem prodiit interna Turnorum evolutio.

24. – Etenim accidit in Rota, ceu ubique et in omnibus accidere solet, quod non facile hominum iuridicae opiniones in unam sententiam convenirent: complures erant Auditores numero; ut plurimum iuris Doctores reipsa famosi; semper a dissitis mundi partibus diversisque scholis conquisiti. Hinc nedum opinionum varietas, sed et auctoritas easdem substinendi. Et non clarum ius utique poterat a diversis diversimode interpretari.

25. – Quapropter consilio vere sapienti, ne discussiones fierent immortales aut saltem in detrimentum administrationis iustitiae aequo

[1] ARCH. ROT., Marianus de Cuccinis in *Proëmio* ad Decis. *Nov., Ant.* etc. in codice incunabulo dictarum Decisionum.

plus diuturnae, in more positum fuit, tunc esse habendam uti conclusam quaestionem quum vel omnes Auditores, vel eorum maior pars, in unam sententiam convenissent.

26. – Hoc in casu, vel communiter ab iurisconsultis et scholis tradita sententia acceptabatur in Rota, et tunc dicebatur, Rotam hanc *canonizasse;* vel alias ab Auditoribus recepta iuris interpretatio, iterum recipiebatur, et tunc solemne fuit asserere, Rotam eamdem *firmasse:* vel amplectebatur ex variis opinionibus una prae alia, et tunc edicebant Auditores sese, vel Rotam, sententiam *tenuisse.*[1]

27. – Hae vel his similes locutiones et in libris particularibus, et in posterioribus Decisionibus usque occurrerunt, ut litigatoribus pateret, Rotam iudicasse vel iuxta ius certum, vel iuxta ius non aeque firmum in sua interpretatione.

28. – Contigebat autem non raro, in opinionum conflictu, ut Auditores in aequalem numerum hinc inde dispescerentur: tunc, dilata decisione, dilata discussione, haec reassumebatur in Rota insequente: et in hac si ex una parte haberetur maioritas numeralis Auditorum, ad causae decisionem fiebat gressus.

29. - Quod si neque in secunda Rota huiusmodi maioritas pro una parte adfuisset, iterum iterumque disceptabatur, usque dum iuris punctum firmatum esset.

30. – Et hoc relationibus singulare fuit - prouti colligitur ex conclusionibus praesertim Aegidii Bellemera - quod nempe ipsae fierent nedum Auditoribus corresponsalibus Ponentis, sed universo tribunali, iure praeditis omnibus Auditoribus interloquendi, sicut reipsa interloqui consueverunt. Ita quidem Ponentes quum partibus quid in relationibus causarum fuisset conclusum edicerent, vere dici poterant, Rotam tenuisse, vel sentiisse, vel canonizasse hoc vel illud iuris punctum. Rota enim universa, non solum Turnus, dubium iuris disceptaverat, illudque definierat.

31. - Rebus tali ratione compositis, nemo non videt, iuris principia quae Rota firmavit, solidissima basi innixa non haberi ab omnibus nequivisse. Ab omnibus, inquam: et in primis, ab ipso Papa, cui, prae ceteris, nota erat et singulorum Auditorum praecellens iuris eruditio, et disertissimus modus iuris principia constabiliendi in relationibus. Ideo tuto assumere potuit rotales sententias, etsi latas in

[1] Horum omnium superabundans probatio est in decisionibus, *Novis, antiquis, Fastolf*, conclusionibus Bellemerae etc., quibus nedum tales locutiones occurrunt, sed expresse refertur, conclusionem unamquamque fuisse per omnes, vel per aliquot ex Auditoribus tantum conclusam.

particularibus causis, in generales Ecclesiae leges, eas Regestris decretalium inserendo, prout Papae fecerunt reipsa.

32. - Ceteri vero et privati iurisconsulti et publici iuris magistri, merito quidem ardentissimo hiatu conquisiverunt libros particulares Auditorum; merito in eis imprimendis, vix ac enata est, insudavit ars typographica. Iuridicarum rerum curiosis hominibus in iure magister esse non poterat Rota sapientior.

CAPUT XXXXVI.

De Dubiis et de propositione ac decisione causarum.

1. – Facta itaque - ut in praecedente capite scripsi - relatione, haec conclusa habebatur quum in unam sententiam vel omnium Auditorum unanime vel illorum maioris partis suffragium convenisset. Et huiusmodi conclusionem Auditores omnes in *folio* describebant ut postea in uniuscuiusque *Diario* iterum describeretur; Ponens vero etiam in *dorso informationum* (cartharum scilicet illarum quae fasciculum seu positionem causae efformabant) eidem conclusionis, brevissimis verbis conceptae formulae, praemittens datam sub qua tribunal in illam devenerat. [1]

2. – Hoc autem peragendum erat a Ponente ut partibus litigantibus innotesceret, nedum iuxta quod ius, sed et intra quos fines esset in casu causa disceptanda. Siquidem Rota dubia iuris, in causa illa oborta, diluens, facile deprehendebat utrum scite, vere et proprie elicuisset Ponens ex eadem causa dubium vel dubia sub quibus causa proponenda foret pro illius definitione. Saepe enim contigebat quod - uti *Diaria* centies testantur - Rotam cum rescripto quo ius firmatum fuerat, decretum daret: « *Reformato* (vel *reformatis*) dubio « (vel dubiis) - aut etiam: *Detur dubium* », cuius verborum formulam vel ipsa concinnatam in eodem decreto tradebat, vel concinnandam linquebat ab Auditore Ponente.

3. – Prima fronte videretur stylus hic ordinationi Vice-Cancellarii, datae anno 1375, [2] contraire, cum Ponenti mandatum esset ut ex causis eliceret dubia certa et vera super quibus habere posset consilia: immo intellectu difficilem sese perhibet, cum Ponens in relationibus poneret praecise dubia.

[1] Arch. Rot., *Diaria et Positiones.* - Cfr. cap. *De studio causarum.*
[2] Cfr. cap. *De Rotis Dubiorum.*

4. - Verum, mandatum Vice-Cancellarii dubia iuris non concernebat super quibus consilia non petebantur a Ponente, sed ampla discussio ut innotesceret et firmum maneret ius in casu applicandum. Mandatum huiusmodi discussionem causae spectabat, quae recte et celeriter fieri non potuisset, nisi certum et verum quaestionis punctum determinatum fuisset, extra quod citraque, partes suas allegationes et iudices proprias disceptationes agere nequivissent.

5. – Profecto ex processualibus actis quaestionis punctum determinare, illudque sub certa et vera verborum formula in modum quaestionis, seu dubii, concipere, Ponentis erat, cui reipsa tantummodo Vice-Cancellarius iussum fecerat anno 1375. Sed si contigisset quod ubi Ponens dubia iuris in relatione proponeret, non recte dubium causae elicuisset, vel etiam nullum adhuc elicuisset ex causae actibus firmato iure, Rota vel iam elicitum reformabat, vel, antea non elicitum, dabat.

6. – Ast, sive cum Ponens elicere voluisset dubium, sive cum vel reformatum aut datum a Rota accepisset, illius erat rem cum partibus litigantibus perficere. In actis enim causarum studendis, partium procuratoribus vel advocatis nemo aptius adiumento esse poterat Ponenti pro dubiis certis et veris eliciendis, et summi partibus interesse erat ut, ex causa, certa et vera elicerentur dubia.

7. – Hinc factum est quod si Rota primitus dubium dedisset, illud Ponens partibus datum communicaret, illudque partes acceptare debebant. Quod utique similiter contingebat ubi Rota iam elicitum reformasset.

8. – Si vero, ante relationem dubium esset eliciendum, in more positum fuit, hoc perficere communi Ponentis et partium studio et labore: hocque commune studium et labor, una verborum phrase significatum est, nempe: *Dubii* (vel *Dubiorum*) *concordatio.*

9. – Et cum - rerum ipsa dictante natura - hinc iam ab ipsis exordiis Auditores necessitatem persentire debuissent opera et studio partium utendi, reor iam ex tunc initia coepisse stylum qui ad diem usque 20 septembris 1870 immutatus pervenit, citandi partes coram Auditore Ponente, vel eius Studii Adiutore, ad *concordandum dubium.*

10. – Equidem, usque ad diem 20 septembris 1870 stylus pervenit. Nam *Regolamento legislativo e giudiziario* Gregorii XVI, datum anno 1834, sub § 1028, contra placita eorum qui morem dubiorum penitus abrogari volebant [1] disposuit, in Rota et in plena Ca-

[1] Cfr. vol. III, pag. 639, n. 530.

mera « le cause maggiori di scudi 500 si proporranno ... con le « formule dei Dubbi » et § 1029: « Le formole dei Dubbi da pro- « porsi nel Tribunale della Sacra Rota saranno tratte dalla domanda « introdotta innanzi i giudici di primo grado; nelle sole cause decise « dalla Sacra Rota si proporrà la formola: An sententia rotalis sit « confirmanda vel infirmanda. La formola: An constet de re iudi- « cata, seu potius de causis restitutionis in integrum, è riservata « per le sole cause di restituzione in intiero ». Et in « *Pratica e* « *procedura del Tribunale della S. R. Rota* » testimonium habetur de viridi styli observantia.

11. - Verum, certis in adiunctis, fieri poterat ut prudens et utile duceret Ponens, sive Studii Adiutor (cui demandata fuit cura eliciendi dubia causarum, uti scripsi in cap. XXII) ipsum dubium, vel dubia, per se elicere et concinnare, eaque iam concinnata acceptationi partium proponere: hoc in adiuncto partes citabantur ad subscribenda dubia, in ipsa citationis cedula descripta.

12. – Quod si ex litigatoribus diligentior, ipse dubia elicuisset eaque concinnasset in verborum formula, instans coram Ponente ut adversa pars citaretur ad concordanda dubia, nil vetabat quominus Ponens citatae parti illa proponeret subscribenda a diligentiori proposita et ab se acceptata.

13. – Attamen - ceu ex hucusque dictis manifestum est - haec omnia quae ad meliorem dumtaxat causae tractationem ordinata fuerant, nihilque aliud spectabant praeter faciliorem veritatis et iuris dicundi cognitionem, inter iudicialia acta neque accenseri poterant, neque reipsa accensita unquam sunt. [1]

14. – Deinde, neque ipsa Ponentis relatio, in Rota facta, etsi tam haec quam dubii concordatio essent acta officialia Ponentis.

15. – Animadvertendum est heic, quod si partes non convenissent coram Ponente in dubii vel dubiorum concordationem, tunc Ponens relationem faciebat Rotae, et Rota dubium, vel dubia, dabat.

16. – Itaque iure per relationem firmato (ubi, iuris dubiis exortis, haec locum habere debuisset) et dubiis concordatis, Ponens utrique parti congruum temporis spatium assignabat quo allegationes quaeque suas pararet easque scriptis Ponenti et illius corresponsalibus traderet: decretoque statuebat Rotam, seu diem rotalem (unam ex iis quae descriptae erant in Tabella rotali) qua causa proponenda foret pro discussione et definitione causae.

[1] Emerix, *Praxis*.

17. – Et statuta die, allegationum distributione peracta, studioque causae completo, Auditor Ponens causam in Rota praefinita proponebat.

18. – Tunc locum habebat causae propositio. Illius merita turnus videbat, super iisdem consilia praebebat ut secundum ea Ponens tandem aliquando definiret.

19. – Hinc, post inductum turnorum stylum, Ponens quamvis praesentibus et auscultantibus ceteris omnibus Auditoribus, solis tamen corresponsalibus causae merita proponebat, et soli corresponsales consueverunt consilia praebere, meritis ipsis causae discussis et ventilatis.

20. – Vidimus iam quaenam fuerit turnorum ordinatio. Nunc opportune tradamus quaenam fuerit ipsorum agendi ratio et exinde subsecuta evolutio.

21. – Porro stylus hinc ab initio fuit, tunc retinendi causam decisam, quum in unam sententiam concurreret suffragium vel omnium vel maioris partis corresponsalium.

22. – Contingere poterat tamen - et reipsa saepius contingebat - suffragia hinc inde in paritatem dispesci: hoc in adiuncto, rescribebatur: « *Iterum* (causa) *proponatur* ». Interim hinc inde maiori diligentia studio causae incumbebant Auditores et novae a partibus informationes petebantur a Ponente, eisdem communicatis Rotae sensibus. Et in Rota subsequente quae statuta fuerat quum rescriptum prodierat: « Iterum proponatur », iterum discussio causae fiebat.

23. – Tunc si maioritas suffragiorum pro una parte concurreret, usque ad secundam medietatem soeculi XVII capta est Decisio. Si vero suffragia adhuc scissa in paritatem mansissent, decretum dabatur: « *Iterum proponatur et videant Quintus et Sextus* ». Hoc quidem datum est hisce praecisis terminis, post reductum numerum Auditorum ad 12, ubi turni ordinarii conflari potuerunt quatuor corresponsalibus: antea vero, scilicet antea Sixtum IV, quot Auditoribus conflarentur ordinarii turni, quotque corresponsales adderentur, dicere non est, cum varius fuerit quovis tempore numerus Auditorum, eorumque complures, ut plurimum, non adessent, servitiis sanctae sedis alio incumbentes. Ast exquisitum est, post Sixtum IV, hoc rescripto significasse Rotam quatuor ordinariis corresponsalibus Auditoris illius causae Ponentis esse addendos Quintum et Sextum. Ii, in vim huius decreti, causae studio incumbebant, et die praefinita, facta a Ponente propositione illius causae, votum suum proferebant.

24. – Si maioritas votorum uni parti faveret, causa decisa habebatur: usque ad initium alterae medietatis soeculi XVII. Sin autem, rescribebatur: « *Videant omnes* » scilicet universi Auditores, et tunc in nova causae propositione, cum 11 tantummodo suffragium ferrent quippe quod Ponens suffragium non dabat, maioritas suffragiorum pro una parte necessario obtinebatur.

25. – Bis animadverti, usque ad medium soeculum XVII ita fuisse processum. Nam tunc temporis, antiquissimam praxim quae nullam pati posse immutationem videbatur, soeculo XVII immutari adnisum est. Ipsi Rotae Auditores opus aggressi sunt, qui medio soeculo in causis *Romana: Residui dotis* coram Meltio, *Sabinen: Castri Montis Libretti* et denique in *Bononien. Successionis de Zanis* ianuario 1656, nescire se dixerunt quo casu resolutio pro maiori parte votorum capi solemne fuisset in Rota, et reipsa resolutionem non coeperunt.[1] Nescio ego quonam iure huiusmodi dubitatio oriri potuisset: nam cum anno 1673 eadem dubitatio exorta esset, cardinales Cerrus et Otthobonus qui fuerant Auditores Rotae responderunt Rotae sciscitanti « *semper* in huiusmodi casibus praevaluisse pluralitatem votorum, « ita ut in huiusmodi casibus *ab antiquo* capta fuerit resolutio pro « illa parte pro qua stabant plura vota, etiamsi superarent in uno « voto tantum suffragia contraria, et de hoc exstare plura exempla « Decisionum quae incipiunt: Domini pro maiori parte censuerunt, « responderunt, vel similibus ».[2] Et decretum datum fuit « *ut huius-* « *modi stylus in posterum inconcusse servaretur* ».[3]

26. – Ast tunc temporis in curia praepotens factus fuerat acerrimus Rotae adversarius, Ioannes De Luca. Per longa tempora quibus advocatum egerat vir profundi ingenii et iuris scientia praeeminens, sed inquietus et pugnax, uti tanti tribunalis gloriam et decus admiratus fuerat, dolens quod suis Neapolitanis locum in eo non esset,[4] ita lacessitum sese sentiit quum pluribus in causis victus a Rotae iudicio exiverit. Et qui multa typis vulgaverat, saepius datas a Rota Decisiones acrius censoria virgula carpens, Auditorum Rotae animos in se facile concitaverat, quibus probabiliter crimini dabat se, doctrina maximus cum esset, nullius potiri hierarchiae gradus in curia potuisse.

27. – Vir itaque, die 21 septembris 1676, a Benedicto Odescalchi, qui ea die electus in Papam nomen sibi Innocentium XI indi-

[1] ARCH. ROT., *Diarium* Celsi.
[2] Vol. III, pag. 428, n. 318.
[3] Ibi, l. c.
[4] DE LUCA, *Relat. De Rom. Curia,* disc. 32.

derat, in *Auditorem Sanctissimi* assumptus est.[1] Auditoribus Rotae accensebatur Flaminius Taya, vir novitatum amator, et rigoris quo Rota usa erat in sua admissione[2] non immemor. Et ecce mense novembri 1677, Auditor Sanctissimi litteras accipit a cardinale Cerro qui « videbatur aliquo modo revocare in dubium stylum antiquum « capiendi resolutionem a maiori parte votorum ».[3] Deinde Auditores ad pedes Pontificis, illi exponentes rationes ob quas anno 1673 decretum tulerant de huiusmodi stylo in posterum inconcusse servando, et a Papa ad suum Auditorem missi.[4] Interim recursus contra Tayae agendi rationem, et denique Papae voluntas, per suum Auditorem Rotae pandita, « ut in posterum servaretur stylus capiendi resolu- « tiones a maiori parte suffragiorum, cum hoc tamen moderamine « quod in prima propositione non facile capiatur resolutio cum prae- « ponderantia unius solius suffragii, et quod quando causae videntur « a Ponente cum quatuor Corresponsalibus; in discordia duorum suf- « fragiorum cum tribus, ordinetur ut videat sequens (corresponsalis) « et si in repropositione iste Dominus conveniat cum duobus et ita « vota sint paria, tunc ordinetur ut videant omnes Domini et in sequenti « propositione capiatur resolutio ».[5]

28. – Ioannes De Luca factus fuit cardinalis et, non multo post, morte oppetiit die 5 februarii 1683 utique a Rota, cui quantum potuit tantum molestiae intulerat, implanctus:[6] die vero 8 illius mensis « Decreta alias facta in causis quae sunt videndae ab omni- « bus Dominis vel a Ponente cum quatuor Corresponsalibus iterum « fuerunt approbata ».[7]

29. – Sed quia « per huiusmodi Causas quae ab aliquot annis « plurimum multiplicabantur » Auditores nimium erant praegravati, laudabilis ordo turnorum confundebatur et pluribus in casibus fere inutile evadebat litigatoribus beneficium appellationis quippe quod iam in prima instantia omnes Auditores suum protulerant votum, eisdem Decretis additum est, « ut donec aliter de licentia Sanctis- « simi statuetur, in posterum in causis etiam aliquoties in Turno « sine resolutione propositis rescribatur ut videant Quintus et Sextus « antequam demandetur ut omnes Domini videant ».[8]

[1] Vol. III, pag. 431, n. 325.
[2] Vol. II, n. 496, pag. 175-176.
[3] Arch. Rot., *Diaria*.
[4] Ibi, *Diarium Emerix*.
[5] Vol. III, pag. 443-444, n. 329.
[6] Ibi, pag. 446, n. 357.
[7] Ibi, pag. 447, n. 358.
[8] Ibi, l. c.

30. – Mortuo vero Innocentio XI eiusque successore, anno 1693 die 20 aprilis, Rota decrevit stylum antiquum reassumere.[1]

31. – Verum stylus huiusmodi non ita mordicus observandus Auditoribus videbatur « quin perpensa gravitate causae ex iudicio « eorumdem Dominorum votantium quandoque non potius expedi- « visset differre resolutionem » sicut accidit die 24 Februarii 1676 in causa *Faventina Haereditatis* commissa eñio cardinali Columna *de voto* Rotae, qua discussa, etiamsi tria vota ex quinque fuissent concordia, dilata fuit.[2] Item tenaciter stylus non erat observandus in causis quae in tribus ultimis Rotis de mense iunio proponebantur extra numerum, quippe quod, data multiplicitate causarum, mature ut par erat omnes non poterant perpendi.[3]

32. Denique soeculo XVIII aliam in praxim Rotae novationem induxit Benedictus XIV, celebri constitutione anni 1746 « Iustitiae et « pacis ». Sanxit ipse, ad celeriorem causarum in Rota vertentium expeditionem ut « firmo remanente stylo, seu consuetudine, proponendi « pro prima vice omnes causas in Turno ordinario in quo quatuor... « Auditores suffragium ferant, si tamen in posterum, in prima seu « ulteriori alicuius causae propositione, propter... suffragiorum aequa- « litatem, decisiva resolutio prodire nequeat, non amplius... rescribi « oporteat, ut hactenus rescriptum fuit: *Videant quintus et sextus;* « sed statim ab ipsa prima vice rescribi volumus: *Iterum proponatur* « *et videant quintus, sextus et septimus*, ad hoc nimirum ut in altera « causae propositione omnino prodeat illius resolutio: decernens, ipsam « huiusmodi causam semper deinceps cum quinto, sexto et septimo, « usque ad extremam illius definitionem remanere ».[4]

33. – Ast hanc etiam Rotae praxeos Benedictinam immutationem Carolus Rezzonico (olim Rotae Auditor) cum in pontificatu Benedicto XIV successit vocatus Clemens XIII, Motuproprio mensis octobris anni pontificatus sui secundi, cassavit, resque in pristinum restituit.[5]

34. – Neque mutationem passae sunt soeculo XIX quo Ponenti ius datum fuit suum votum proferre in causis:[6] nam ex hoc nihil

[1] Vol. III, pag. 452, n. 372.
[2] ARCH. ROT., *Diarium Emerix.*
[3] Ibi, l. c.
[4] Vol. III, pag. 523, n. 421.
[5] Ibi, pag. 572, n. 467.
[6] « Sezione VII. - Della S. Rota. - § 325. Tutte le cause ... si decidono per turno « da cinque giudici, compreso il Ponente che sarà il relatore e darà il suo voto » *Regolamento legisl. e giud., a. 1834*).

aliud profluit praeter maiorem celeritatem diffinitionis causarum, quum turno ita constituto quinque votantibus, facilius suffragiorum maioritas obtineretur.

35. – Ex relationibus, et ex ratione ventilandi merita causarum, oriri necessario maximamque firmitatem nancisci debebat praxim aliam, seu stylum, hinc a primaevis romanae curiae temporibus inconcusse servatum. Siquidem iure communi cautum est iudicem « utramque partem saepius interrogare numquid novi addere desideret, cum hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causa per iudicem, sive ad maiorem potestatem referenda sit » ; [1] hinc in exsecutionem huius legis in more semper positum fuit, Adiutores causarum in palatio, cardinales fuerint vel Capellani, saepe et saepius partibus mentem suam manifestasse ut melius possent ab ipsis informari antequam ad definitivam sententiam devenissent. Et huius styli iam habemus testimonium in tenore sententiae a duobus cardinalibus latae mandato et auctoritate Clementis III, qui profitentur se utramque partem si quid novi addere vellet saepe et saepius audivisse « ut *iuris* et *moris est* ». [2]

36. – Ideo, tuto asseri potest, tum ubi (initio curiae romanae) Auditores dati vel concessi relationem sibi datis a Papa Consiliariis faciebant, sive ubi eidem Papae coram ceteris Auditoribus, sive uti solis Coauditoribus tum ante tum post invectum dubiorum morem, captas resolutiones, seu Decisiones pluries fuisse semper partibus manifestatas officio Auditoris referentis seu Ponentis.

37. – Et cum huiusmodi resolutiones seu Decisiones ideo partibus panderentur, ut ab eis Auditores melius informari valerent, sententiae non erant, neque iudiciales actus; pluries tamen repetendi cum iuris esset *saepius partes interrogare* si quid novi addere vellent. [3]

38. – Hisce positis, in sessione rotali in qua Ponens unius causae, dubia iuris suis Coauditoribus proponebat, facta causae et allegata hinc inde a litigatoribus iura referebat: deinde *dubitabat*. Super dubiis discussio aperiebatur, et haec vel super solo iure vértebatur, vel firmato prius iure, super meritis causae in iure et facto concludebat.

39. – Hoc secundum si fieret, ad causae Decisionem deventum erat, et una tantum Ponentis relatio sufficiens fuerat. Quod, ut plurimum, contingere solebat.

[1] *Cod.*, libr. III, tit. I, l. 9.
[2] Vol. III, pag. 5-6, n. 4.
[3] Emerix, *Praxis*, part. I, tit. XXI.

40. – Verum quaecumque fuerit conclusio propositorum a Ponente dubiorum in quibus finaliter omnes vel maior pars Auditorum remanserant, eadem conclusio brevibus admodum verbis concipiebatur quam Ponens in dorso fasciculi cartharum causae, qui audivit *Informationes* describebat, signato die et anno quo resolutio prodiit, et ceteri omnes Auditores in proprio *Diario* uti retuli in capite *De Studio causarum* § 1, n. . . . adnotabant. Et hoc breve rescriptum vere et proprie erat causae Decisio, « uti Rota antiqua, media et moderna « protestari professa est ».[1]

41. – Ponens, insuper, et ceteri omnes Auditores quisque in suo particulari libro Decisionum Rotae - uti fuse in praecedenti capite scripsi - quae principia iuris vel canonizata, vel firmata, vel tantummodo a Rota fuerant tenta, adnotabat, in suum usum et commodum.

42. – Denique Ponentis erat partibus datam decisionem pandere. Quod peragere poterat vel voce, seu oretenus, vel scripto, prout maluissent partes: etenim Pius IV iubens captae decisionis cum iuribus et rationibus copiam partibus tradere, hoc iussit faciendum tantummodo ubi id partes petiissent, *prouti antiquitus fieri consuevit.*[2] Est tamen heic animadvertendum in Rota « morem ac stylum viguisse « non compellendi victricem partem ut Decisionem acciperet, cum « elapso decennio gauderet pars victa beneficio novae audientiae « quae in camera, uti aiebant, concedi solebat » (*Liber S. Rotae 2, pag. 659*, sub die 13 maii 1765).

43. - Quum igitur, partibus petentibus, copia Decisionis cum iuribus ac rationibus erat tradenda, tunc Rotae decisio quae tota erat in brevibus verbis in dorso fasciculi causae et in *Diariis* descriptis seu in *Rescripto rotali*, erat *extendenda*: seu, huic rotali rescripto addi debebant iuris principia et disposita, quae in casu Rota amplexata erat et iuxta quae esset in eodem casu procedendum concluserat, deinde facti adiuncta et rationes ex quibus ius exortum erat. Decisio Rotae hac ratione extensa saltem soeculo XVI appellata est *Discursus dandus partibus;*[3] postea simpliciter *Decisio.*

44. – Hac usque ratione *Discursus* seu *Decisiones* exaratos fuisse probant quot adhuc manent eiusmodi *Discursus* seu *Decisiones Rotae:*

[1] De Luca, *De Relat. Rom. Cur.*, disc. XXXII, n. 80.

[2] Vol. III, pag. 297 ssq., n. 165.

[3] Ita v. gr. In Decis. 355. *Diversorum,* tom. I, ubi legitur: « Quia alias de hac « materia in *discursu*, partibus dato, ad quem discursum nunc Domini in multis se « retulerunt etc.... » et in *Diariis* antiquioribus in quibus saepius legi est: « Vide « discussum extensum « vel « vide extensam in dorso Informationis », etc.

nam quaevis Decisio incipit a compendiosa causae *facti specie*, quam, coronidis instar, sequitur *dubium* a Ponente in Rota propositum, et Rotae *rescriptum*, saepissime uno verbo constans, uti v. g. *Affirmative* - vel - *Negative* - vel - *Reproponatur* et huius generis. Et en Rotae Decisio. Postea subsequuntur iura et rationes, a Ponente deprompta ex votis seu suffragiis sibi datis a suis corresponsalibus post factam in Rota causae discussionem et decisionem.

45. - Quambene Emerix, in sua *Praxi*[1] Discursus seu Decisiones describit, inquiens: « Decisiones rotales non sunt sententiae, « ut erronee nonnulli, praesertim extra Curiam, existimant; sed tantum « quaedam compilatio consiliorum Dominorum Auditorum, quae per « Ponentem, seu Relatorem, panditur utrique parti litiganti ante sen- « tentiam, ad hoc ut antequam ad illius prolationem deveniatur, dedu- « cant in facto et in iure quidquid pro illarum confirmatione vel revo- « catione respective deducenda habent...; suntque *extraiudiciales* « et fiunt ad magis investigandam veritatem ». Quinimmo Innocentius X, qui olim fuerat Rotae Auditor, asserebat, Decisiones Rotae *fieri tantummodo pro memoria partium non autem ad alios effectus*, uti in suo *Diario* tradit Celsus sub die 21 maii 1649.

46. - Discursus seu Decisiones extendere, uti dixi iam, Ponentis erat, qui hoc officium adimplebat per suum a studiis Auditorem, cui quidem erat praecipuum munus et ob quod aliquam pecuniae summam percipiebat quae - pro maiori vel minori difficultate Decisionis - in scutis a tribus ad triginta erat ei a litigatoribus numeranda, ceu supra tradidi, scribens de Studii Adiutore.

47. - Quapropter Discursus seu Decisio nedum extraiudicialis, sed actus erat officialis non tribunalis, sed solius Ponentis. Exinde profecto factum est, quod extensae Decisiones non fuerint ad archivium repositae, ante annum 1688: et quae inibi in pluribus voluminibus contentae hodie adhuc reperiuntur, sine ordine, tum chronologico, tum antianitatis Ponentium, inveniantur collectae de industria privata Auditorum, non certe de mandato officiali tribunalis.

48. – Sed *anno 1688*, die vero *12 ianuarii* hoc Rota - proponente Iacobo Emerix, Decano - edidit *Decretum de conservandis Decisionibus et rescriptis Rotalibus per Camerarium pro tempore*,[2] cuius tenor est ut sequitur:

49. – « Quia saepe contingit post decessum vel recessum Audi- « torum ab Urbe, Decisiones originales deperdi, aut etiam incor-

[1] Ibi, tit. XXI.
[2] Arch. Rot., *Liber S. Rotae*, et *Diar. Cam.*

« rectas vel alteratas typis successu temporis mandari; idcirco hodie « me proponente, Domini decreverunt quod omnium Decisionum, in « posterum extendendarum, tradi debeat copia authentica per Ponen- « tem subscripta Thesaurario nostro, qui curam habeat ut omnes in « fine cuiuscumque anni, ordine antianitatis Auditorum, colligentur « in uno thomo et reponantur in archivio nostro; ad effectum ut de « earum existentia et tenore nunquam amplius dubitari possit et « curiales ac partes litigantes promptam ac commodam illarum inspe- « ctionem habere valeant.

« Ad eum finem ordinatum etiam fuit eidem Thesaurario ut in « Diario, in eodem archivio reponendo, adnotet non solum omnes « resolutiones positionum, sed etiam memorialium ac quaevis alia « pro recta iustitiae administratione et laudabili stylo Tribunalis ser- « vando, in posterum decerni contigerit ».

50. – Sed animadvertere praestat hinc ab anno 1652 actum fuisse de conservandis in archivio Decisionibus: narrat enim Celsus sub *die 11 octobris* praedicti anni, propositum fuisse « quod unusquisque « ex Auditoribus deberet in fine anni exhibere et relinquere in Rota « copiam Decisionum per ipsum extensarum, ad effectum illas con- « servandi perpetuis futuris temporibus, et reponendi in Archivio: « sed quamvis omnes id approbaverint, tamen nihil conclusum fuit ».

51. - Huius decreti in vim nata et efformata est collectio rotalium Decisionum quae in rotali archivio secreto asservatur, quaeque sub primis suis temporibus ad amussim praefato decreto respondet, ita ut in ea omnes Decisiones subscriptionem referant Auditoris, vel Decani: et est integra. Sed posterioribus temporibus, lacunas habet[1] et signaturis caret. Hisce tamen non obstantibus, Decisionum rotalium collectio est cui nulla comparari potest abundantia Decisionum et pondere auctoritatis.

CAPUT XXXXVII.

De Rotalium Decisionum valore et de earumdem Decisionum collectionibus.

1. – Si igitur rotales Decisiones extraiudiciales erant et illarum extensio ac partibus traditio officialis actus erant unius Ponentis, non autem totius tribunalis, si ideo tantummodo anno 1688 Rota

[1] Cf. vol. III, pag. 597, n. 470.

eas asservare decrevit ad unicam effectum « ut de eorum exi-« stentia et tenore nunquam amplius dubitari possit, et curiales ac « partes litigantes promptam ac commodam illarum inspectionem « habere valeant », prudens lector a me quaerat quantinam rotales Decisiones, Rota vivente, factae fuerint, et quanti nunc faciendae sint, quaenam sint et quanti valeant earum Decisionum in vulgus circumeuntes collectiones.

2. – Quibus quaestionibus ut faciam satis, dico, maximi valoris Decisiones fuisse in iudicio illarum causarum in quibus unaquaeque respective fuerat capta et partibus utcumque manifestata. Siquidem inferius, in capite: *De sententiis*, videbimus sententias dandas fuisse penitus conformes Decisionibus ante expeditionem emanatis, ita ut quaelibet sententia suas decidendi rationes haberet in decisionibus quae eam in eadem causa praecesserant. Hinc, in unaquaque causa quae definitiva sententia clausa fuisset, rationes decidendi inveniuntur extensae in Decisionibus, et pars dispositiva in tenore sententiae.

3. – In causis vero quae, quacumque ex causa, definitiva sententia terminatae non sunt, una vel duo vel etiam tres aut quatuor Decisiones quae forte fuissent emanatae, nil aliud fuerunt, et sunt adhuc, quam indubium testimonium sensus in quem tribunal devenerat in illo statu et termino causae: et nihil amplius.

4. - Nam cum Rota suas ederet Decisiones easque partibus panderet nonnisi ut si quid novi addere vellent partes ipsae tam in iure quam in facto deducerent, et ita, iustitia si exigeret, a decisis recederet Rota, sententia non expedita, suspensum mansit tribunalis iudicium quod exspectavit rationes ex quibus in hunc vel in contrarium sensum decisa finaliter sententia statuisset. Excepto tamen casu, quo tres inveniantur Decisiones conformes. Etenim tali in adiuncto deficientia sententiae non indecisioni tribunalis, sed incuriae vel insolvibilitati aut huiusmodi partis victricis tribuenda est. Exquisitum enim est, ex parte tribunalis dari consuevisse sententiam quoties tres haberentur Decisiones conformes.

5. – Ceterum, etiam in iudiciis causarum, cuiusvis Decisionis valor non absolute est pensandus, sed relative ad naturam *actionis* a litigatoribus prosequutae. Nam v. g. in actionibus universalibus scilicet petitionis haereditatis, familiae herciscundae, etc., tot Rota consuevit diversa iudicia instituere quot particulares actiones in universali continebantur. Ita quidem in actione universali petitionis haereditatis, unum fiebat iudicium super Immissione, in quo dubium proponebatur, *an constaret de bono iure actoris* ad capiendam controversam haereditatem;

aliud autem iudicium erat super fructibus eiusdem haereditatis, in quo dubitabatur: *an et a quo tempore deberentur actori fructus.* Porro in unoquoque iudicio, quod contemporanee locum habebat, Decisiones dabantur: in primo generaliori, generalia principia et quasi theorice definiri solemne fuit, haeredi ius esse ad fructus haereditatis a momento ipso quo successio aperta fuit, nulla facta disquisitione bonae vel malae fidei possessoris. In altero vero contemporaneo iudicio particulari *De fructibus,* generalis illa regula tam absolute professa et rigide amplexata, mitigabatur, in iustitiae lancem posita bona fide possessoris eiusque habita iusta ratione, ita ut invariata regula fuerit quoad fructus, iuxta praeceptum traditum ab Iustiniano in institutionibus *lib. IV, tit. XVII, De officio iudicis* § *2*, hos haeredi, data bona possessoris fide, deberi a die motae litis, quo de iure in possessore praesumitur bonam fidem cessasse. [1]

6. – Quapropter hodie in iudiciis causarum, si casus ferat ut veteris Rotae Decisiones iudicibus praebeantur, omnes et singulae quotquot in qualibet causa Rota tulit praebendae sunt, ut ipsi eas omnes rimando et ad invicem conferendo animo hauriant quinam reipsa fuerit sensus Rotae, et qualis revera a Rota in casu sententia prodierit.

7. – Extra iudicia vero et pro interesse in causa non habentibus, valor rotalium Decisionum diversimode aestimatur. Siquidem cardinalis Petra asserit « Rotae Decisiones articulum iuris decidentes, in statu Ecclesiastico habuisse vim legis ». [2]

8. – Emerix autem in sua *Praxi* fatetur; [3] « Decisionum Rotalium omni tempore maxima fuit auctoritas, ita ut multi insignes Iurisconsulti .... voluerint, eas praevalere communi opinioni ». Et hodie puto pluris non esse faciendas.

9. – Decisionum autem collectiones quod attinet, ex expositis tum in capite *De studio causarum*, ubi *De Diariis* scripsi, tum ex iis quae duobus immediate praecedentibus capitibus disserui et de particulari Auditorum libro Decisionum Rotae et de *Discursibus* partibus dandis, iam liquido patet tres inveniri rotalium Decisionum collectionum species.

10. – Cum enim rotalis Decisio tota sit in rotali rescripto quo a Ponentibus dubia proposita, dimissa sunt, prima et potissima earum

[1] Cf. in Collectionibus tum *Recent.* tum *Volantium,* Decisiones *Immissionis* et oculis perspicies quae ego heic retuli. Vide etiam Emerix, *Praxis*, tit. *de fructibus.*

[2] *Comment. ad Const. Apost.*, tom. III, pag. 27, n. 53.

[3] Tit. XXI, in fine.

collectio rotalibus *Diariis* constat. Et revera, vetustiora *Diaria* rotalis archivii simpliciter inscripta fuerunt, vel *Conclusiones Rotae* vel *Compendium Resolutionum seu Conclusionum Rotae Diversorum*. Et haec collectio ditissima archivii, ab anno incipit 1564, et cum aliquibus non magnis lacunis, ad diem pergit 20 septembris 1870.

11. - Sed collectio ista potius quam Decisionum Rotae, proprius appellanda esset collectio *Diariorum* rotalium: nam quum soeculo XVIII, opera praesertim domini *Elephantutii* (Fautuzzi), comitis Ravennatensis, undique conquisita sunt vetera *Diaria*, et Rota prius decreto suo,[1] serius vero constitutione « Cum primum » anni 1770[2] Clemens XIV, sanxere, unumquemque Auditorem ob promotionem vel mortis causa e Rota exeuntem eidem linquere debere inter carthas ceteras, etiam suum *Diarium*, haec facta non sunt ad colligenda rotalia rescripta, quae alibi dietim scriptis consignabantur, sed ipsa *Diaria*, praesertim ob *adnotationes* contingentium pro tempore rerum, in *Diariis* ab unoquoque Auditore exaratas.

12. - Et profecto, Elephantutius qui exscribere fecit ex originalibus existentibus vel in domo Pamphiliorum, vel penes Patres Iesuitas, vel alibi, *Diaria* Pamphilii senioris, Poeniae, Coccini, Otthoboni, et duorum Emerix, excepto *Diario* Pamphilii qui ex integro exscriptum est, ceterorum nonnisi iussit *Extractum fieri*, constans omnino solis adnotationibus, exclusis rescriptis rotalibus. Copia vero antiquiorum *Diariorum* Seraphini a quonam ordinata fuerit, vel in quem praecise finem nescio ego. Rotalia rescripta refert et adnotationes: sed hae numero sunt adeo paucae et tam brevibus verbis conceptae, ut si facta fuisset praecisio rescriptorum, paucae paginae scripto fuissent completae.

13. - Utcumque: in *Diariorum* voluminibus, facto, rotalia rescripta lecta sunt, et ideo eorum collectionem efformant uberem, etsi incompletam.

14. - *Diarium Camerale*, e contra, ad hunc praecise finem confici iussum est ut omnia rotalia rescripta, data tum in causis dubiorum, tum in memorialibus, colligerentur et in archivio conservarentur, et est vera et propria horum rescriptorum collectio officialis, quatenus officio Camerarii mandatum fuit anno 1688[3] eamdem *Diario* concinnare. Et illius auctoritas ideo est undequaque firma.

[1] ARCH. ROT., *Liber S. Rotae*, 2, pag. 632.
[2] Vol. III, pag. 598, n. 471.
[3] Cf. caput *De Dubiis et Decis. caus.*

15. – Ast parum vel nil extra Rotam haec collectio *Diariorum* tum Cameralis tum rotalium cognita fuit, quae intra rotalis secreti septa, nata et efformata, in secreti archivii Rotae pluteis usque in praesens fere imperturbata dormivit. – Magis notae sunt ceterae collectiones in quibus vel Decisionum Rotae libri particulares Auditorum vel Discursus seu Decisiones partibus in causis datae continentur.

16. – Singillatim de unaquaque ex istis duobus Decisionum Rotae speciebus tractationem instituens, eam sub duobus separatis capitibus perficiam.

CAPUT XXXXVIII.

De Decisionum Rotae Libris particularibus Auditorum.

1. – Si quovis tempore sciendi quomodo uniuscuiusque causae dubia dimissa fuerint *Diaria* necessitas progenuit, defectus librorum ob non adhuc inventam artem typographicam, difficultas sibi comparandi manuscriptos libros, Auditores compellebant ad scripto firmandum in alio libro, a *Diario* diverso, quidquid in discussione cuiusvis causae, praesertim super punctis iuris, disputatum fuisset in qualibet sessione rotali.

2. – Duo exinde utillima consequebantur, nempe et varias doctissimorum Auditorum sententias super quolibet discusso iuris puncto cognoscere et memorari, et ingenium proprium iuridicis materiis exercere sicque sese ad discutiendas iam semel propositas vel quasvis alias eiusdem aut similis argumenti causas in posterum proponendas, magis idoneum, paratumque praebere.

3. – Et revera, antiquiores quae adhuc supersunt rotales decisiones indubitate ostendunt non uno libro contentos fuisse veteres Auditores. Nam Bellemera memorat in suis Conclusionibus, et citat suum *sexternum magnum.* Ita in *Conclus. 462*, de Praeb.: *Scripsi super hoc plenissime in sexterno magno.* Et in *Conclus. 77*, eiusd. tit.: *Vide in libro disputationum mearum ubi de hoc mentionem feci, quamprolixe super hoc disputavi, ideo non insisto hic.* Seraphinus autem in voluminibus sui *Diarii* quam frequenter citat *librum suum particularem suarum Decisionum.* Ita (ut uno saltem exemplo rem firmem) sub die 13 ian. 1567 adnotat « c. Olivario. – Romana – « Pecuniaria. – Dm̃i persistunt in resolutis. *Vide in libro particu-* « *lari mearum Decisionum* ».

4. - Stricte personales, hi libri sinebant Auditori adnotare discussiones habitas in Rota, ipsarumque veluti processum verbalem perficere, factis etiam nominibus Auditorum qui hanc vel illam opinionem exposuerunt vel sequuti sunt: et una simul libertatem ipsi linquebant inibi illas defendere rationes quae sibi visae fuissent probabiliores aut quas ipsi in Rota firmius sustinuerant, et non decisarum causarum discussionem etiam referre, sola excitandi ingenii causa. Labor igitur omnino proprius Auditoris, ab Auditore in exclusivum usum proprium confectus, nullimode publicae luci destinatus. Adeo ut in eo non unus ex Auditoribus inseruerit Decisiones ab se ipso datas extra Rotam, ut ecce Cassadorus, Puteus et alii, et fere omnes non dubitaverint eas a Rota captas resolutiones criticare acerbius quae sibi visae fuerint minus apte deliberatas.

5. - Ut exemplis has meas conclusiones comprobem, exemplum sumam a decisionibus Bellemerae. In Conclusione *143 de Procurat.* scribit Aegidius: « . . . in hoc fuit concors consilium, excepto uno « legista. Nunc tamen credo contrarium: . . . divisa fuerunt alia vice « consilia, quia quatuor tenuerunt de processu, videlicet Dm̃i Simon « de Regno, Robertus de Stratton, Galhardus de Nova Ecclesia, et « ego : ceteri quinque contra, videlicet Dm̃i Petrus de Sacernato, « Thomas de Amantis, Guilermus Gallus, Ioannes de Bayrolis, Arnol- « dus Carram et Petrus de Narra ». - Item in *Conclusione 98,* scribit. « Sententia lata, etc. . . . scriptor male scripsit istam Conclusionem, « quia prout iacet de iure non videtur posse procedere ». - Et *Conclus. 103 de probat.:* « Cave, restringe, modifica et determina istam « Conclusionem per Conclusionem unam insequentem, etc, ». Et denique in *Conclus. 42, de lit. constet:* « Ista conclusio, prout iacet « non procedit . . . et puto quod in dicta Conclusione aliquid ex « inadvertentia est omissum, vel forte Dm̃i in exitu consiliorum « factum non intelligentes, indeliberate responderunt, sicut vidi quan- « doque accidere ».

6. - Soeculi XV Auditorum scripta archivium non servat hodie : at non ideo concludendum est, ipsos nil scripsisse, uti inferius ostendam. Sed soeculo XVI Auditorum scripta complura in archivio asservantur, ex quibus hic, ex. g., perpauca hauriam exempla. Igitur, Petrus Andraeas Gambari librum suum particularem aperit, referens discussionem habitam in Rota diei 22 maii 1522, quo fatetur: « Ego « tacui quia adhuc habebam os clausum : » et prosequitur exponens quae ipse super dubiis propositis dixisset, si ei loqui fas fuisset. Item Iacobus Puteus habet longam decisionem quae est *165, I. libri,*

quam his verbis concludit : « Nil fuit decisum, resolutum ; sed gratia « excitandi ingenii ista dicta fuere. Et causa erat coram d. Ioanne « Paulo, proposita 10 oct. 1541 ». Tres autem primae Decisiones Putei, datae ab eo fuerunt extra Rotam ; novissima autem, cum iam existeret cardinalis.

7. – Multiplicare possem exempla ; sed cum facillime valeat diligens et sedulus lector ea sibi colligere ex istorum Auditorum libris typis editis, ea praetergredi non dubito.

8. – Heic utilius duco adnotare huiusmodi Auditorum morem sibi *librum particularem* conficendi causam fuisse cur eadem decisio unius causae, « a diversis diversimode conscripta » reperiatur, uti quin factum explicent, nonnulli auctores cum Tanaglia animadverterunt. Quamvis, profecto, non decisio proprie dicta a diversis diversimode conscripta sit: decisio enim, sive Rotae *conclusio*, eadem fere verbis a diversis conscripta usque est: rationes autem decidendi, sive motiva, vel melius glossa quam quisque Auditor in Rotae conclusionem quamvis, seu Decisionem exaravit, est utique *a diversis diversimode conscripta:* quisque enim abundabat in sensu suo, librum suum particularem in proprium usum scribens.

9. – Et quod res ita reapse se habeat, ostenditur ipso titulo quo hi libri inscripti sunt tum ab ipsis Auditoribus, tum ab Editoribus cum typis edi coeperunt. Nam omnes et singuli inscribuntur: *Decisiones Rotae*, quippe quia omnes et singuli referunt Decisiones datas a Rota in causis in quovis libro contentis: sed titulo illi generali et communi, specificum alium addiderunt et Auditores et Editores, nempe nomen Auditoris auctoris libri, casu usi genitivo: et sic hi libri appellantur: *Decisiones Rotae Bellemerae*, *vel Simonettae*, *vel Andreae Gambari*, *vel Cassodori*, *vel Fabii Accoramboni*, *etc.* Ita quidem unicuique suum tributum est, nempe Rotae quod Rotae erat (*Decisiones Rotae*) Auditori quod erat Auditoris (*nomen illius* in casu genitivo). [1]

[1] Ne autem res sine debita probatione maneat, heic sequatur saltem unum exemplum. Oculis perspiciet lector quomodo una Rotae decisio diversimode a diversis glossata vel conscripta sit. Seligo ex Decisionibus Rotae Simonettae et Cassadori:

SIMONETTA.

Coram Cassadoro fuit dubitatum: An exspectativa ad duas collationes possit capere duo beneficia in eadem collatione? Et fuit conclusum quod sic, et quia alias fuit iudicatum, nisit Ordinarius de secundo bene providisset: quia verba exspectativae de se inferunt ad duo beneficia in eadem diocesi, tamen ex beni-

CASSADORUS.

Quod in proxima decisione fuit omissum, fuit postea de mense maii 1523 in una causa *Bergomen. seu Çremonen. Clericatus de Romano,* coram me pendente in tertia instantia, decisum; videlicet quod expectativa ad duas vel plures collationes et ad totidem beneficia posset effectuari in una et eadem collatione

10. – Consulto in *Nota* ad § superiorem hoc sum usus exemplo, quia ex eo non tantum liquido patet unius conclusionis Rotae non eodemque modo ab utroque Auditore decidendi rationes referri, sed quia ostenditur, ipsum Ponentem causae in *suo particulari libro* Decisionum scribentem ita scripsisse, ut prorsus quis convincatur eum sibi, non vero partibus litigantibus, scripsisse. Cassadori enim Deci-

gnitate *c. Mandatum. de rescript.* Rota dimittebat hanc interpretationem, quae interpretatio tunc habet locum quando adversarius non consentit, ut in dicto *c. Mandatum.*

quoad utrumque, vel omnia prout contingerat, quia exspectans acceptaverat duo beneficia vacantia per obitum unius in eadem dioecesi; et hoc, ex quo Ordinarius collator non contradixerat, neque beneficium *de Romano,* quod erat alterum de acceptatis, contulerat taliter quod, non repugnantibus verbis exspectativae, ut in praecedenti conclusione est adductum, seu consideratio quae colligitur ex *cap. Mandatum. de rescript.* quod Papa non intendit gravare Ecclesiam de duobus, nisi id exprimat, ut ait Ioan. Andreas in *c. pen. col. si. eo. ti. in VI,* et post expressum in dicta decisione, procedat ex mente iuris, seu ex verisimili et coniecturata concedentis voluntate, vel ex eius consuetudine, ex qua insurrexit praesumptio tacitae voluntatis, secundum varias expositiones *Ho. et Abb.* post alios scribentes in *c. Mandatum.* communis opinio est *Io. de Lig. But. et Cal.* quo refert *Abb. in d. c. col. si.* quod secundae literae ibi non peccant insurretione, nec sunt ipso iure nullae, sed quod uterque tam primus quam secundus excludatur via exceptionis, non via nullitatis, ut tenet Abb. in *dict. c. et sequitur Fel. in ca. capitulum. col. 3 in verbo literae. e. t. at Imo. in d. c. mandatum. col. 2.* volens quod valeat secunda gratia, conditionaliter tamen, quamvis referat quod *Io. Andr.* in dicta *c. pen. ac But. in d. c. capitulum.* distinguendo videantur concordare opiniones, et haec sit pars quod non ipso iure, sed ope exceptionis est communis et ex quo proxima decisio, ut exspectativa gratia intelligatur distributive, non collective, fundatur in ratione *d. c. mandatum.* sequitur vera conclusio ut accipiatur distributive effectualiter si excipiatur, alias collective si Ordinarius in fructu provisionis gravamen patiatur, quod gravamen considerat Abb. in *d. c. mandatum.* in princ. et ita iudicavi.

sionem legenti patet sine ulla difficultate, Cassadorum Ponentem inibi inibi non eo modo scripsisse quo scripsisset pro litigantibus qua Ponens.

11. – Praeterea, ex ipso tenore Decisionum iis in libris contentarum non dubie colligitur, *libros particulares* tam stricte personales fuisse, ut ad Rotam non devenerint nisi in casibus extraordinariis, si contigerit eos veluti quemcumque alium privati doctoris aut testis consultare. Enim vero, ut exemplis insistam, citatus Simonetta coram quo quaedam causa *Ginnen.* (alias Viennen) pependit per 19 annos, quaeque, a Rota non resoluta, tandem fuit ab ipso composita, hanc paucis lineis refert in suo *libro particulari*, declarans in fine se causam concordasse. Cassadorus, e contra, eamdem causam refert, longissimam retexens super ea disertationem, quam concludit inquiens causam non fuisse decisam sed concordatam a Simonetta Ponente *ut ab eo audivi.* Ita Cassadorus, qui rem percepit de viva voce, *non autem de scripto* Simonettae. – In Decisionibus Putei [1] Puteus scribit: « prout pluries « dicebatur in Rota iudicatum, et praesertim in una Caesaragustan. « Archiep. de Daroccha pro Hier, Tonsos contra Villaverda, et tunc « Simonetta, ostendit *annotationes suas*, in quibus attestatur ita per « antiquos doctores iudicatum fore ».

12. – Hinc mirum non est, quod praefati libri fuerint vocati *Adnotationes* uti patet ex mox citat. Puteo; *Memorialia* uti in Decis. Putei et aliorum, vel simpliciter *Adnotata* aut *Scripta*, *collecta*, etc. Erant enim revera adnotationes, seu uti italice vocarentur hodie: *Appunti o Memorie*, quas quilibet Auditor ut iurisprudentiam tribunalis quae in dies efformabatur sequi potuisset, et ne oblivioni darentur doctae discussiones quae in Rota contingebant fieri, denique ut sciret quomodo, cur, quando haec aut illa causa discussa fuit.

13. – Ex hoc infero quod, cum Puteus refert in discussione causae fuisse producta *Scripta seu collecta Ludovici Romani*, qui paulo *infra ... dicit quod iterum fuit in Rota et quod fuit decisum*, etc., librum particularem Decisionum Ludovici Romani quem in Auditorem elegerat Martinus V significet indigitasse. Quod, prout testatur *Moroni in suo Dizionario*, voc. *Uditori in Rota*, etiam Ioan. Franciscus Pavini, qui fuit creatus Auditor a Pio II (an. *1458-1464*) *librum suum particularem* Decisionum Rotae non tantum sibi confecit, sed imo in vulgum edidit. Hinc videtur non posse asseri, soeculo xv nullam fuisse exornatam Decisionum Rotae collectionem, uti quidam scri-

[1] Decis. 191, lib. I.

ptores autumarunt; si tamen admittere velimus hos libros particulares Auditorum *Collectiones Rotalium Decisionum* esse iure dicendos; quod ego non posse admitti censeo, ut infra demonstrabo.

14. – Forsan quis quaeret: Eccur igitur illius soeculi vix aut ne vix quidem memoria istorum librorum aut istarum collectionum exstat? Et responsio in promptu est. Nam, uti iam demonstravi, hi libri particulares, privata res erant singuli Auditoris cui nec obligatio erat, nec congruebat librum suum Rotae relinquere cum a Rota abiisset. Hinc factum est quod hi libri, pro earum permagna parte, deperditi sint, vel quia promotus Auditor relicta Rota, suum librum veluti sibi et aliis inutilem destruebat; vel quia, die mortis praeoccupatus, librum ipse linquens suis haeredibus, isti illius valorem nescientes, cum inutilibus chartis una simul everterunt. Nec tempestatibus illis adhuc exarserat Editorum aviditas, cui debemus posteram fere innumerarum rotalium Decisionum conservationem, quum nondum ars typis libros edendi esset inventa. Et polyticae vicissitudines illarum tempestatum non ultima ratio fuerunt ob quam ingens librorum multitudo iusto hominum desiderio sublata irreparabiliter est, ceu, ut puto, evenit de particulari libro Mercurii de Vipera: etenim *Libro Rotae* scimus Mercurium de Vipera « in excidio Urbis fuisse « captum et exstinctum an Dmi 1528, septimo kalendis iulii ». Quomodo his in adiunctis *liber* illius *particularis* nobis poterat manere? Et de facto non mansit: dolendum sane! nam Cassadoro teste, Mercurius de Vipera fuit *vir profundae memoriae*, cuius scientiae laudes Cassadorus passim in suis Decisionibus concinit.

15. – Ita ut ad nos pervenisse dicendi sint tantum ex particularibus Auditorum libris illius soeculi ii quorum originale seu authenticum exemplar vel Rotae, particulari aliqua de causa, relictum est, vel in manus venit aut haeredis aut Editoris qui illum exscribere et in vulgus spargere curarunt. Opinor, Rotam ipsam aliquoties sibi procurasse originalia nonnullorum ex huiusmodi libris, praesertim cum ageretur de Auditore famoso, ut ecce Simonetta cuius particularis libri saltem duo manuscripta exemplaria in archivio asservantur; et Puteus, cuius particularis libri Decisionum authenticum exemplar « Manu « eiusdem scriptum, Romae in illustri et copiosa bibliotheca Revm̃i « d. Francisci Poeniae Rotae Decani asservabatur, ut publicae com« moditati et Advocatorum praesertim Studiis consuleretur » teste Francisco Rubeo, in rom. curia Advocato, qui ex praedicto exemplari authentico Putei Decisiones imprimendas curavit an. 1612; et Ludovicus Gomex, cuius particularis libri authenticum exemplar in biblio-

theca Coccini, Decani, iacebat et ex quo emendata editio illarum Decisionum prodiit an. 1623.

16. - Hinc malo fato, perpaucorum Auditorum *particulares libros* Decisionum Rotae hodie nosse datum est. In archivio, praeter Decisiones soeculi XIV de quibus infra habeam sermonem, exstant libri particulares 1° Simonettae, 2° Cassadori, 3° Accoramboni, 4° Putei, 5° Guidoboni, 6° Veralli, seu Caputaquen, 7° Gambari, 8° Achillis de Grassis iunioris, quae eodem continetur volumine ac liber Simonettae, et paucorum aliorum.

17. – Publici vero iuris facti sunt, per typis editam, collectionem appellatam *Diversorum* libri 1° Oradini; 2° Cottae; 3° Rubei; 4° Aldobrandini; 5° Robusterii; 6° Seraphini; 7° Lancellotti; 8° Blanchetti; 9° De Grassis; 10° Bubali; 11° Bravi; 12° Binarini; 13° Vicecomitis; 14° Veralli; 15° Cantucci; 16° Fabae; 17° Accoramboni; 18° Antonii Augustini; 19° Mohedani; 20° Marsicani; 21° Putei; 22° Sanctae Crucis; 23° Tholomei; 24° Paleotti; 25° Thomae de Tanis; omnes Auditores soeculi XVI.

18. – Esset nunc definiendum quandonam incoeperit mos conficiendi *librum particularem* Decisionum: sed documentis non constat. Probabiliter, post *Diaria* nam cum ista conficerentur dietim in ipsa sessione rotali – uti retuli scribens *De Studiis rotalibus* – difficile admodum erat nedum durante sessione, sed et post hanc sub unoquoque resoluto dubio glossam seu commentarium apponere, cum nonnunquam – ad cetera – charta deficeret:[1] deinde pernecesse fuit commentaria ad resolutiones separatim extendere, et ita librum particularem condere.

19. – Hac deinde ratione, *Diarium* mansit memoriale Conclusionum Rotae: liber particularis Decisionum, testimonium discussionis habitae in Rota – seu rotali sessione – vel melius iuridicorum sensuum Auditorum in unaquaque iuridica quaestione, in Rota discussa. *Diaria*, igitur testimonia actuum tribunalis: *libri particulares*, testimonia doctrinae Auditorum.

20. - Hinc in *Diariis* congruit adnotare accidentia per dies facta, tribunal spectantia, ut ecce mortem Pontificis, ingressum vel egressum Auditorum et similia: in particularibus libris, istarum rerum nullas, sed tantummodo iuridicas quaestiones.

[1] Bellemera in concl. 19 scribit: «*Charta mihi non sufficit ad scribendum. «Cogitabis. Aegidius*».

CAPUT XXXXIX.

De Discursuum seu Decisionum Rotae collectionibus « Coram » nuncupatis.

1. – Soeculo XVIII ineunte, mos huiusmodi conficiendi *librum particularem* desiit in Rota; et novissimi Auditores qui hunc particularem librum confecerunt enumerantur Poenia et Coccinus. Quanam de causa? Archivium hanc non pandit; aliunde tamen nosse mihi datum non est: opinor vero huiusmodi moris cessationem tria praecipue generasse, nempe: 1) artis typographicae diffusio qua omnis generis auctorum libri ad manus omnium facillime devenerunt: hinc cum et veterum et novissimorum Auditorum particulares libri editi fuerint typis, moderni Auditores iurisprudentiam Rotae prae manibus habebant; et haec iam efformata erat, praesertim opera neothericorum soeculi XVI, inter quos non ultimus emicat, *suo libro particulari Decisionum*, Puteus;

2. – 2) superabundans multitudo praedictorum librorum, quae Auditoribus persuasit inutile, imo potius damnosum fore, novos huiusmodi libros saltem in vulgum spargere. Adeo verum ut Innocentius X, olim Auditor Rotae, nunquam permiserit *librum particularem* avi sui imprimi, imo nec ab ipso cum fuerat Auditor factas Decisiones: quia « aegre ferebat quod Decisiones imprimerentur, asserens ex impres- « sione huiusmodi plura in dies oriri absurda »; [1]

3. – 3) denique, data magna facilitate habendi scripta, typis excussa, litigatores quam manu exaratam, typis impressam, extensam Decisionem seu Discursum potius sibi tradi petierunt. Hinc Ponentes, occupati in extendendis Discursibus, qui plures simul eodemque tempore erant sibi extendendi, tempore et modo carebant conficiendi librum suum particularem Decisionum. Haec ultima ratio causa fuit cur Studia rotalia augescere labore et consideratione coeperint. Nam Auditor qui tot Discursus partibus dandos debebat brevi tempore extendere, per se ipsum solum nequibat sarcinam portare: Adiutore idoneo ideo opus habuit qui, ex integro aut ex parte sarcinam una secum portasset. Praetereaque, tunc temporis Auditores non solum causarum studio et definitioni incumbebant, sed s. sedi multiplicibus modis et mansionibus inserviebant: unde propterea tempus deerat illis librum particularem componendi.

[1] ARCH. ROT., *Diarium Celsi*, sub die 21 maii 1649.

4. – Verum *particularis libri* Auditorum cessatio et finis non utique fuit damno iurisprudentiae tribunalis et scientiae Auditorum. Nam decisio singularum causarum quisque Auditor suo in *Diario* perseveravit scripto consignare dietim: loco vero compendii discussionis habitae et glossae, in Rota successerunt *Discursus* dati partibus a quovis Auditore Ponente, scilicet ab omnibus Auditoribus, cum quilibet Auditor, complurium causarum fuerit Ponens. *Discursus* enim typis impressi partibus tradebantur; impressio eorum vero in complura exemplaria exsequebatur. Ideo facillimum erat ex Discursibus cuiuscumque Ponentis volumen conficere quovis anno et ita scire non tantum omnes datas Decisiones, sed et cuiusvis Decisionis motiva, tum iuris, cum facti.

5. – Insimul collectis Discursibus singulorum Ponentium, iam habebatur volumen, continens non iam ab Auditore datas Decisiones (cum Ponens, uti supra praecedente capite dixi, votum suum in causa a se proposita non promeret), sed Decisiones datas a Rota coram hoc vel illo Ponente. Hinc effingi coepit series collectionum rotalium Decisionum quae « *Coram* » vulgo appellatur.

6. – Differentia igitur intercedens inter Decisiones Rotae contentas in libris Auditorum particularibus et Decisiones *Coram* appellatas, haec est: nempe, illae erant veluti partus ingenii Auditoris scribentis, in lucem editus ut illius memoriae et iurisprudentiae personali auxilio esset; istae vero erant partus aliorum Auditorum qui in illis causis votum suum dederant, et Auditori Ponenti et scribenti nil aliud debebant prater *formam* seu *extentionem* in discursum; compositae non in auxilium memoriae scribentis, sed in usum litigantium. Ideo illae iure nomen habuerunt: *Decisiones Rotae et Auditoris* qui eas scripsit; iste vero *Coram*, ad significandum quod Auditor, sub cuius nomine prodierunt, earum fuit tantum extensor. Illae, spreto ut plurimum facto, in solis principiis iuris exponendis et illustrandis insistebant: istae, e contra, factum in suis essentialibus, necessariis et praecipuis adiunctis narrant, ex eoque quod nascitur ius illustrant et ex iure et facto motiva Decisionis exponunt.

7. – Magna igitur differentia inter has et illas Rotae Decisiones; ex qua facile eruitur differentem esse utriusque speciei Decisionum iuridicum valorem. Nam *libri particulares* Auditorum nullam aliam merentur fidem, praeter eam quam meruit probitas et doctrina Auditoris, auctoris libri, non qua fuit publica persona auctoritative iudicans, sed qua privata, docta et proba persona. Ideo in iudicio frustra eiusmodi liber tamquam documentum probans Decisionem seu conclusionem Rotae ostenderetur, cum officiali veste penitus exutus fuerit.

8. – E contra, discursus Ponentium, cum factum et facti adiuncta referant, exposita partibus litigantibus ut sibi provideant de novo tribunal informando, ut a decisis recederet, cum iuris motiva exhibeant quae considerata et retenta fuerunt a tribunali, cum dati discursus fuerint in aestu litis partibus contendentibus, ab Auditore publica persona seu iudice, inexcepibile documentum sunt et quoad facta in eis contenta et quoad sensum tribunalis super causa ex illis factis enata. Hinc maxima callent auctoritatem in iudicio.

9. – Attamen si Decisiones *Coram* seu Discursus Ponentium sub praenotato adspectu praevalent Decisionibus *librorum particularium*, certum est eas non testificari de iuridica scientia Ponentium, quantum isti deponunt de personali scientia iuris suorum auctorum. Etenim Decisiones *Coram* ut iam dixi, exornabantur a Ponente, rationes tum facti cum iuris desumendo a votis suorum corresponsalium, et hinc Ponens de suo nil Discursibus tribuebat, praeter formam in discursum; ceteras vero omnino de ingenio et scientia sua depromebat Auditor; quas quidem non scripsisset si diminutae scientiae fuisset. Eo vel magis quod, uti etiam superius innui, Discursus, ut plurimum, exornabatur ab Adiutoribus Studiorum. Unde revera factum fuit quod dum de alicuius Auditoris scientia posteri illius nonnisi male testificari debuissent, de decisionibus vero coram eo captis maximas merito ingeminassent laudes. [1]

10. – Quisnam ex Auditoribus primo Decisiones *Coram* ediderit, exacte non definitur: persuasum tamen est, stylum incoepisse initio soeculi XVII et expost semper viguisse. Istae decisiones vel colligebantur ab ipso Auditore cum promotus fuisset, ut ecce Cavalerius, Crispus, etc.; vel a studiis Adiutore defuncti Auditoris, vel ab aliquo ex eius haeredibus, uti pervolventi meum secundum volumen facile oculis insiliet.

CAPUT L.

De ceteris Collectionibus Rotalium Decisionum.

1. – Si Decisionis rotalis nomen eo sensu accipiatur quem illi vulgo tribuimus hodie, scilicet discursus partibus dati, liquido patet, *Diaria* et *libros particulares* Auditorum, inter collectiones rotalium decisionum accenseri non posse.

[1] Unum ex paucissimis huius generis exemplum habemus in Antonio Albergati, de quo cfr. vol. II, n. 491, pag. 168-169.

2. – Non ita tamen sentiendum videtur de decisionum voluminibus quae *Coram* inscribuntur. Haec volumina efformata sunt, insimul collectis decisionibus, datis a Ponentibus in usum litigantium; ad hoc conflata ut collectio discursuum huius vel illius Ponentis efformaretur et ad posteros perveniret, eidem collectioni incubuerit ipse Auditor, vel alius quispiam. Ideo reipsa collectae rotales Decisiones, rotalis iurisprudentia, rotales actus, persona Ponentis nil de suo aliud legenti offerente praeter formam litterariam qua decisiones extensae fuerunt.

3. – Locupletissima est harum collectionum series, quae initia sumpsit initio soeculi XVII, cuius fere chronhistoriam retexo in altero huius mei operis tomo, scribens de unoquoque Auditore, singillatim.

4. – His accedunt collectiones quae vulgo nuncupantur *Diversorum*, *Recentiores*, *Nuperrimae*, *Volantes*. De unaquaque nonnulla animadvertamus.

5. – Itaque, *Diversorum* nomine illa significatur collectio quae inscripta est: *Decisionum novissimarum diversorum Sacri Palatii Apostolici Auditorum* Volumen, etc. Dispescitur in tres tomos et conflatur libris particularibus complurium Auditorum soeculi XVI quorum nomina recensui supra. Nullo nec temporum, nec materiarum ordinem sequitur: et aliquoties nec nomen Auditoris auctoris decisionum designat, eum tantum indigitans cognomine v. g. Decani, vel Caputaquen. et id generis. Quanti facienda sit iam patet: potius quam collectio, inordinata bibliotheca librorum particularium Auditorum soeculi XVI appellanda esset. Uberiori materiarum indice locupletatur. Exemplar quod mihi est, prodiit Venetiis apud Haeredem Damiani Zenarii anno 1618, et dedicata fuit Angelo Grillo Abbati Cassinensi ab Antonio Briolo, bibliopola, qui in litteris dedicatoriis fatetur, se iterum publici iuris fecisse decisionum libros « quos alibi « alias typis extensos aetas sua... viderat et probaverat ».

6. – His novissimis, accesserunt *Recentiores*, collectio nempe illa *Sacrae Romanae Rotae Decisionum* cui manus primus admovit Prosper Farinaccius, celebrer iurisconsultus romanus; dein Paulus Rubeus et demum Ioannes Baptista Compagni, quorum primus collectionis exaravit quatuor prima volumina; alter vero a 5 volumine ad 18 inclusive eam perduxit: tertius denique, a 19 ad 24. Ipsa vero collectio 25 voluminibus continetur, et novissimum volumen exornaverunt Adiutores studii Auditorum s. Rotae qui « Ad lectorem » sic scribunt: « A « redigendis S. R. Rotae decisionibus in corpus earum quae *Recen-* « *tiores* nuncupantur per triginta annos feriatum est, ne congestis « quibuscumque decisionibus absque ullo delectu corpus excresceret

« in immensum. Interim vero... ipsius s. Rotae auctoritate selectae « sunt pro 11 annis decisiones, quae prodeunt praesenti tomo II « partis XIX Recentiorum, illasque dominorum Auditorum studiorum « Adiutores diligentissimi argumentis et summariis exornarunt... ».

7. – Integra collectio divisa est in 19 partes, quarum aliquae subdividuntur in primam, secundam, et etiam tertiam partem: quae omnes efformant numerum 25 voluminum, 12822 Decisiones continentium, quarum prima est sub anno 1558, novissima sub anno 1684. Duo exstant huius collectionis editiones, una Romae peracta, altera Venetiis anno 1697 apud Paulum Balleonium.

8. – Huic tam vastae collectioni ordo quidem, materiarum deerat et exacti indicis complementum quod hac atque illac dispersas legum, doctorum, et tribunalium sanctiones in unum corpus componeret et, amoto negocio, quod incomposita huiusmodi confusaque tot materiarum farrago identidem facessebat, studiosorum usui illas faciliori methodo adaptaret. Hinc nonnulli mediolanensis Athenaei socii, auspice Benedicto Odescalchi cardinali, mediolanensi archiepiscopo, indicem Recentiorum concinnarunt in 5 volumina, eumque inscripserunt « S. R. « Rotae Decisiones Recentiores in compendium redactae » ac anno 1730 typis Caroli Iosephi Galli, Mediolani, publici iuris fecerunt.

9. – Hanc decisionum collectionem alii ante me illustrarunt; sed cum res fuerit omnino a Rota extranea, saltem ad 24 volumen, et 25 auctoritate Rotae conflatum curia tamen improbante, [1] res Rotae proprie et vere non fuit, abs re duco de hac longiorem habere sermonem. Tantummodo animadvertam huic collectioni Farinaccius inseruisse nonnullas decisiones particularium librorum Auditorum.

10. – *Recentiorum* subsequuta est collectio *Nuperrimarum*, quae ad hoc conflata fuit ut in unum colligerentur decisiones rotales a collectione Recentiorum expulsae. Sed omnino perfecta non est, et illius Index in plures tomos distributus imperfectus mansit.

11. – Denique *Volantes* appellatae sunt decisiones quas vel Cameralis Impressor, vel aliquae privatae et innominatae personae in complures tomos religarunt, a Camerali Typographo acquirendo exemplaria decisionum quae dietim cameralis typographia excudebat pro litigantibus. Sunt omnes isti discursus dati partibus, et proinde *Coram;* ea ratione in diversis tomis distributae, qua eas cuivis collectori placuit distribuere.

12. – Denique praeter has recensitas complures aliae minoris quidem molis et ad particularem finem exornatae sunt rotalium decisionum collectiones. Fines operis mei ne praetergrediar, earum duas

[1] Arch. Rot., *Diaria*.

tantummodo memorabor, nempe « Mantissa ad Cardinalem De Luca » in duos tomos distributa, quae prodiit Lugduni anno 1699: huic additus est in separato tomo Index generalis. Altera conflata est a quodam iurisconsulto Ravennatensi. Sedulus ac industrius hic decisionum rotalium conquisitor in unum collegit et plurimos in tomos distribuit eas Rotae decisiones quae de re hypothecaria tractant.

CAPUT LI.

Collectionum rotalium Decisionum expenditur valor.

1. - Ex huc usque dictis de *Decisionibus*, patescit nullam inveniri hodie rotalium decisionum collectionem quae omnes Rotae Decisiones complectatur.

2. – Nam si, decisionis nomen pressius sumentes, rescripta Rotae ad quamlibet discussam quaestionem apposita quaeramus, iam nobis deest illa ininterrupta *Diariorum* series quae, sola, Rotae universa rescripta contineret. Ast *Diaria* serius exordita sunt: quae adhuc archivio rotali manent, non ante alteram soeculi XVI medietatem se extendunt: neque lacunae in eorum serie desiderantur.[1]

3. – Cum autem rescripta rotalia Ponens in dorso informationis describeret, haec hodie nobis manerent si informationum fasciculi omnes servati fuissent; ast eorumdem fasciculorum - seu *positionum* - collectio non nisi soeculo XVII confici et servari coeptum est;[2] et quae quotque lacunae in ea reperiantur rotale archivium rimantibus patet.

4. – Neque ex hoc incuria Rotae tribunal esse mulctandum quis existimet. Nam, praeterquamquod politicae vicissitudines praeteritarum tempestatum multa deperdi causae fuerunt, inutiliter tot cartharum farraginem sibi servare rotale tribunal censuit in quibus testimonia iurium non Rotae sed privatorum describebantur. Eadem ipsa rotalia responsa in qualibet causa edita, particularis interesse erant, ne tribunalis quidem, sed litigantium: proindeque sua non inter erat eadem religiose servare, nisi ad summum *ad memoriam*. Eo vel magis, quod rescripta huiusmodi, seu *decisiones*, actus iudiciales non erant, ut supra innui.

5. – Hisce de causis multo minus suae curae esse ratum est rotale tribunal extensas decisiones, seu datos partibus discursus, ad archivium reponere. Hi discursus, necessario scriptis non extendebantur, nisi *partibus petentibus*, proindeque innumerae decisiones, partibus *non* petentibus, nunquam extensae fuerunt. Imo, ante Pium IV,

[1] Vol. III, praef., XIV, 34.
[2] Cf. Vol. III, pag. 475, n. 402.

partibus oretenus decisionem communicandi mos adeo invaluerat, ut idem Pontifex, constitutione sua « In throno Iustitiae », lege caverit ut pristinus mos eas scripto partibus tradendi prorsus revivisceret. Ubi autem reipsa extenderentur, solius Ponentis, non autem tribunalis, erat rem perficere. – Quinimmo etiam post latum decretum de conservandis discursibus, desidia Camerarli pro tempore, quamplures decisiones deperditae sunt, uti probo inferius in capite *De Camerario Rotae.*

6. – Ad haec, et *libri particulares* conficiebantur : unde quotidiana tribunalis iurisprudentia ab unoquoque facili gradu sequi poterat.

7. – Hinc nisi aliqua specialis ratio subesset cur hunc vel illum datum partibus discursum tribunal sibi servaret, istorum collectio nonnisi a privatis in studiosorum commodum et propriam utilitatem poterat conflari.

8. – Et ita profecto factum est: nam vix ac typis scripta cudendi inventa est ars, post libros Dei, rotales decisiones editores cudi coeperunt. Studiosorum multitudo eas eo hiatu expetebat quo, praeter libros sanctos, nulla scripta res poterat vehementius exquiri. Hinc editores earumdem editionibus mundum veluti obruerunt. Et in aestu typis cudendi, innumerae occurrerunt mendae et corruptiones, ita ut iam sub fine soeculi XVI Rota coeperit tractare « de more quem sequi « oporteat circa prohibitionem Decisionum, quas avaritia Librariorum « vel iam impresserat vel imprimi parabat ».[1]

9. – Et multa reipsa excogitata sunt: sed profecerunt nihil. Nam Rotae zelus curiae visus est potius in lauta lucra ex impressione impressionis directus: adeo ut Innocentiur X, Auditoribus petentibus apostolicum *Breve* « ne in posterum possent imprimi decisiones sine « expressa licentia Dominorum de Rota » morem noluisse gerere.[2]

10. – Quaerenti igitur quanam auctoritate polleant recensitae Decisionum collectiones, liquido ex dictis patet, praeter intrinsecam, ex solidiori doctrina uniuscuiusque decisionis scatentem, de cetero nulla.

11. – *Volantes* vero si omnes constet editas fuisse ab Camerali impressore authenticae haberi possunt; etenim editio illa Cameralis de mandato et licentia tribunalis fiebat et Studii Adiutores invigilabant ut decisio per typos cussa, talis in lucem proderet qualis e studio Auditoris prodierat.

12. – Nunc oculis videas quanam ratione rotalis Decisio descripta fuerit sive in *Diariis*, sive in Libris particularibus, sive in discursus forma pro litigatoribus.

[1] ARCH. ROT., *Diar. Pegnae, die 29 dec. 1590,* fol. 2, ad marg.
[2] Ibi, *Diar. Celsi, 21 maii 1649.*

DIARIUM.

Die lunae 28 aprilis 1572.

ORADINUS - Romana a Bordesia. - *Actus de quibus per testes, deserviunt pro adminiculis ad continuationem prioris tractatus de quo fuit facta alias resolutio.*

(ARCH. ROT., *Diarium*).

LIBER PARTICULARIS Decisionum Oradini. in eadem Romana a Bordesia. die 28 aprilis 1572.

Decisio II.

Domini, stante resolutione facta in praecedenti positione, quod probetur tractatus, prout in ea tenuerunt, ex his, quae modo praesupponuntur colligi, adminiculis pro illo tractatu, quia testes deponunt de vehementi affectione Cardinalis erga Alphonsum quae multum operatur, *Anchar cons. 125.* & probant plures circumstantias, quae licet possent accommodari alijs, quam filijs, tamen a communiter accidentibus magis communiter exercentur per patres erga filios, quam erga alios. Et quia in hac materia videtur sufficere, q. actus praesumptivè concludant ad tractatum filiationis, *Ruin. cons. 289 lib. 2.* Nec obstant, quae adducuntur ad escludendum hanc probationem tractatus. Quia credendum est, Cardinalem virum prudentem, & in negotijs practicum, omnia fecisse pro maiori cautela, ut est illud de emptione officiorum, ne vacarent per obitum Alphonsi, & similiter, quod circa emptiones bonorum extra districtum Urbis, & circa testamenta facienda procurasset haec fieri per legitimos modos, ut impetrando dispensationem, & facultatem testandi, prout & alij faciunt.

(ex Collect. *Diversorum*, p. I, pag. 1, col. II, n. 2).

DISCURSUS DATUS PARTIBUS.

R. p. d. Pirovano.

die 3 maii 1610.

Resolutum fuit decretum Auditoris Camerae esse infirmandum tam capite nullitatis, quam iniustitiae. Nullitas visa est clara, quia pendente causa coram secundo Collaterali in Curia Capitolina, cui ipsi Auditor Camerae remiserat per moderationem suae inhibitionis, non poterat exinde ex solo memoriali Sanctissimi in causa procedere, nisi in vim reassumptionis causa cognita, *l. ubi coeptum, ff. de indic, § quoniam, authent, de testibus,* Osasch. *decis. 78 n. 18* Gabr. *de indic. conclus.* I ea ratione ne diversitas iudicum prolixitatem inducat, argumento *l. qui de crimine, C. de accusationib.* optimè considerat. Felin. *in cap. ex tenore, n. 19 vers. extra dictos casus, de rescript. qui sub num. 18 versic. sexto fallit,* voluit dispositionem 1. ubi coeptum, procedere etiam quòd reus conventus haberet plures iudices paris iurisdictionis, quod optime applicatur, quia senator, & collateralis, sive A. C. ordinariam exercent iurisdictionem in cives Romanos, Vestr. *in sua praxi lib. 2. de senat. Urbis.*

Et eo magis videbatur etiam cessare difficultas, quia in eo memoriali non aderat aliquod speciale decretum, sed Auditori Camerae simpliciter directum & consequenter continebatur parvum rescriptum iuris secundum legem interpretandam, Calcan. *cons. 120 numer. 8. et 9. Dec. cons. 580 num. 2.* Menoch. *de praesumpt. 10. num. 7. e 18.* Unde cum de iure non possit causa avocari per Auditorum Camerae sine causae cognitione, ad *l. ubi coeptum, ff. de iudic.* ut declarant Felin. & Gabr. supra allegati, nullum super memoriali videtur posse costitui fundamentum. Iniustitia verò fuit deducta ex eo, quia Rotulus, & Lucatellus cùm essent creditores Carolis Scutor 874. ex instrumento cum Camerali obligatione, non poterant vigore depositi ex decreto cogi ad recipiendum creditum diminutum, vel in partes, & cum novis conditionibus, *l. haerede, de usuris, l. qui Romae, in principio, ff. de verborum obligationibus.* Sufficit enim si deficiat nummus, ne depositum dicatur integrum, Tiraquell. *de retract. conventional. § 4 gloss. 6. num. 23. et 24.* & ne contineat conditionem, sed fiat pure, & simpliciter, respondit Ias. *cons. 9. num. 31.* Negus. *de pign. in 5. part. princip. membr. 3. in 2. particula, num. 10.* & Menoch. late in utroque casu comprobans, *de arbitr. iudic. lib. 2. casu 232. n. 27 et 47 in non. addit.* Atque ita una tantum parte informante fuit resolutum.

(ex Recent., p. IV, t. I, pag. 70, col. II, n. 80).

CAPUT LII.

De Expeditionibus et novis audientiis.

1. – Causae cuiusvis editis Decisionibus, pars victrix petebat illius *expeditionem*, idest postulabat ut sententia pronunciaretur.

2. – Hoc, ope *Memorialis*, perficiebatur, quod etsi passim in qualibet anni Rota porrigi potuisset et porrigeretur reipsa, in Rotis tamen *Memorialium* frequentius dabatur Auditori Ponenti.

3. – Iste vero, ex constitutionibus Pii IV et Pauli V[1] prohibentibus quominus Auditores quasvis definitivas vel interlocutorias, vim definitivae habentes, sententias expedirent, nisi causa in Rota proposita, acceptum *Memoriale* legebat in Rota ut Dominorum consilium acciperet ac de eorum omnium mandato pronunciaret, si et quatenus hoc eisdem Dominis visum fuisset. Hoc stylo plura confirmabantur, nempe, iurisdictionem in Rota fuisse communem, sententiasque latas semper fuisse non ab uno causae Ponente, sed ab ipso de voto seu consilio universi collegii, ita ut iure quivis Auditor sententiae cuiusvis cedulae subscriptionem apponere potuisset, servato ita stylo inducto a Clemente IV quo Ponens, potius quam ius dicens, factus fuit promulgator sententiae latae (tunc temporis) a Papa cum voto omnium Capellanorum, et (serius) ab universo collegio.

4. – Stylus huiusmodi igitur a primaevis Rotae temporibus suam originem repetit, quum Capellani Papae, dati vel concessi Auditores in causis, de Papae mandato pronunciabant, habito peritorum consilio - uti fusius retuli in capite VIII, scribens de officio Capellanorum Auditorum.

5. – Ast, quandonam poterant partes a Ponentibus petere, et solebant Auditores expeditiones concedere?

6. – Cum lege cautum fuisset, partes esse saepe et saepius interrogandas antequam ad pronunciationem deveniretur, nulla certa potuit regula indici et servari, cum tunc tantum sententiam dici potuisse, aestimari debuit, quum tam partibus quam Auditoribus persuasum fuisset nil novi esse addendum, iusque in casu quantum potuit esse firmiter constabilitum.

7. - Profecto nulla pars sibi persuadere posset se victoriam in iudicio reportasse, nisi saltem binam favorabilem sibi decisionem retulisset. Uti similiter Auditores Ponentem pronunciare non iussis-

[1] *In throno iustitiae*, et *Universi agri*.

sent, nisi status causae et illius qualitas posse tuto ad sententiam deveniri eis non consuluisset.

8. – Hinc, merito Emerix, in sua *Praxi*,[1] testatus est « Rotam « in concedendis Expeditionibus et novis Audientiis, non servasse « determinatam regulam; sed modo facilius, modo difficilius illas « concedisse, prout status et qualitas causarum postulassent ».

9. – Et, cum eodem Emerix, recolam, Rotam « in prima et ultima « Instantia vel etiam in causis quae de iure, vel Statuto, seu Con- « stitutionibus particularibus habebant exsecutionem paratam », consuevisse se faciliorem praebere « in concedenda nova audientia: « quia in prima volebat prius bene formare articulum antequam ad « probationem sententiae procederet, et in tertia Instantia atque in « aliis causis in quibus... non admittitur appellatio in suspensivo, « considerabat, reum subiacere exsecutioni. In secunda vero Instantia « facilius inclinabat (Rota) in concedenda expeditione praesertim « quando causae in prima (Instantia) fuerant in Rota discussae; « quia considerabat, remanere tertiam Instantiam in qua ad satu- « ritatem discuti poterat, si quid forsan remansisset discutien- « dum ».[2]

10. – Praestat heic ex integro tenorem duorum Memorialium exscribere, nedum speciminis gratia, sed ut confirmentur quae superius asserui. Casu selegi, quippe quod una eademque fuerit praxis. Primo sit « *Memoriale pro Expeditione* » causae « *Romana - praetensae Asso-* « *ciationis* - coram De Vais » praesentatum in Rota diei 21 novembris 1738: « Reverende Pater. Supplicat Dominus Papius, Prin- « cipalis, pro causae Expeditione, etsi de unica agatur Decisione, « Associationem denegante: cum enim satis subsistat fundamentum « invaliditatis Contractus Crediti, ut late discussum fuit tam coram « Auditore Camerae, Furietto, quam in sacro Auditorio per binas « vices in altera connexa causa super Salviano, et fortius concurrat « alterum fundamentum defectus obligationis Camillae Maurelli Autricis « dicti Papii, ut late disseritur in adnexa Decisione, Associatio prae- « tensa evanida est, ed ideo indulgendum venit Expeditioni prout « denuo humiliter deprecamur. Quare, etc. Petrus Latinus ». Cui Memoriali Rota reposuit, sub die dicta: « *Audiatur* ».

11. – Eadem die in praefata connexa causa « *Super Salviano* ». Memoriale datum fuit sequentis tenoris: « *Romana - praetensi Sal-*

[1] Tit. XXIII.
[2] Ibi, l. c.

« *viani* - Reverende Pater. *Altera* in hac causa favore Domini Papii, « Principalis, emanavit *Decisio*, *praecedentis confirmatoria*, ab R. P. D. « Ponente, luculenter, de more, extensa, denegans Immissionem Excel- « lentissimo Domino Principi de Alteriis, *prout aeque denegaverat* « *Auditor Camerae*, Furiettus; Cumque tam ex praefatis binis con- « formibus Decisionibus ac altero praecedenti iudicato, emicet insub- « sistentia contrariae instantiae, et multo magis ex fundamentis late « deductis in postrema adnexa Decisione, dictus Dominus Principalis « diuturnis expensis succumbere non valens, supplicat pro causae « Expeditione, et ex benignitate Dominorum Patrum obtinere confi- « dit. Quare, etc. Petrus Latinus ». – Et Rota reposuit: « *Expe-* « *diatur* ».

12. – Ex adductis exemplis iam videas, lector, quaenam fuerit ratio procedendi tum litigantium, tum Rotae. In primo, cum una tantum prodierit Rotae Decisio, et tantummodo adesset antecedens conforme iudicatum Auditoris Camerae, non *Expeditio*, sed *nova Audientia* concessa fuit, rescripto: « *Audiatur* ». In altero autem cum duae emanassent Rotae Decisiones conformes, quibus praecesserat conforme iudicatum Auditoris Camerae, *Expeditio* concessa fuit. In isto, instans Advocatus seu Procurator, utpote qui tres conformes pro se haberet, fatetur se *confidere* obtinere Expeditionem ex benignitate Patrum; in illo, e contra, cum duobus tantummodo gauderet conformibus, putat *indulgendum esse expeditioni*, et hanc humiliter deprecatur. Tutior in illa ob tres conformes, minus tutus in ista quia duo tantum conformes emanaverant, utriusque causae Expeditionem expostulat, indulgentia et benignitate Auditorum invocatis. Et Auditores ubi tres conformes aderant expeditionem indulgent; ubi vero duae, hanc denegant et concedunt adversae parti novam Audientiam.

13. – Ast ex hoc ne inferas, concedi vel denegari consuevisse expeditionem ubi tres conformes adessent vel non: nam v. g. in causa « *Urbevetana Bonorum* » 21 aprilis 1738 coram eodem De Vais, expeditio indulta fuit quamvis duae tantummodo Rotae conformes Decisiones emanassent, neque aliud ullum alterius tribunalis iudicatum praecessisset. Concedere vel Expeditionem denegare ab omnibus pendebat quae cum Emerix supra recolui, et nulla proinde statui certa regula hodie potest, cum nulla unquam exstiterit.

14. – Verum si dato pro expeditione causae Memoriali responsum dedisset Rota: « *Audiatur* » tunc iterum causa in Turno erat proponenda, nisi tamen pars aut partes liti nuncium misissent; si

vero Memoriale dimissum fuisset Rescripto: « *Expediatur* » sententia pronuncianda ab Ponente erat.

15. – Attamen antequam de sententiis scribam scitu necesse est, in novis audientiis et in expeditionibus solemne fuisse, omnes Dominos proferre suffragium « licet in causis decidendis votum non « tulissent. Referunt - testatur idem Emerix[1] - tamen se plerumque « ad Corresponsales quando causam non examinarunt unquam in suo « Turno et Corresponsales ad Ponentem, ... cuius, et domini Decani « sententia in praemissis est magni ponderis, quia Domini plerum- « que deferunt Decano in his et similibus quae stylum concernunt, « et Ponenti, quem supponunt in extendenda Decisione causam matu- « rius examinasse ».

16. – « Porro - subdit Emerix merito: - sicut Corresponsales « deferunt Ponenti, sic ipse quoque illis deferre debet. Et propterea « si in causa plures emanarunt Decisiones conformes, debet ipse - « licet in ea expedienda difficultatem sentiat - se conformare volun- « tati Dominorum ».[2] Ex quibus infertur, Ponentis non fuisse tantummodo audire et veluti machina de voto suorum Corresponsalium pronunciare: poterat ipse, praesertim in discussionibus super istis Expeditionibus, suos pandere sensus eosque moderate tueri, deferendo denique suis Corresponsalibus, et iuxta eorum vota tandem pronunciando. Prouti reipsa usque factum fuit ab omnibus, si tamen excipias Taya, qui non semel difficilem se praebuit in sententiis pronunciandis iuxta vota Corresponsalium, ubi ipse aliter sentiisset.[3]

17. – Denique « post lapsum decennii non poterat concedi Expe- « ditionem, immo neque *duplicatum* Expeditionis ante decennium con- « cessae, nisi denuo proposita causa ». Fiebat tamen distinctio, nimirum: ubi peteretur simpliciter *duplicatum*, non quaerebatur de iustitia Mandati; secus si peteretur pro illius exsecutione. Et Ponens poterat concedere novam Audientiam in Camera (id est in sua residentia) quin proponeret causam in Rota.[4]

18. – Et regula fuit « quod concessa semel nova Audientia vel « Expeditione in plena Rota, non permittebatur de facili novus re- « cursus ».[5]

19. – Denique; anno 1834, Gregorius XVI in suo « *Regolamento « legislativo e giudiziario* » statuit: « § 1042. I tribunali della sacra

[1] Tit. XXIII.
[2] Ibi, l. c.
[3] Cf. vol. III, pag. 433, n. 329; vol. II, n. 496. pag. 175 sqq.
[4] EMERIX, *Praxis*, l. c.
[5] Idem, ibi, l. c.

« Rota e della piena Camera non potranno pronunciare, in terzo « grado di giurisdizione, sentenze difformi dalle due precedenti, se « non viene premesso un doppio esperimento, e se non sono emanate « due decisioni pienamente conformi e contradette dalle parti, quando « siano comparse: non sarà luogo al reclamo, di cui al § 997. La « prescrizione contenuta in quasto § non è applicabile alle cause di « commercio ».

20. – Citata paragraphus vero decernit: « § 997. Le sentenze « proferite sul merito della causa dai tribunali di terzo grado, che « non sono conformi ad alcuna delle precedenti, non si ritengono « come definitive, fintanto che non sia decorso un termine di giorni « dieci dalla notifica alla parte in persona o nel suo domicilio: « durante questo termine potranno essere impugnate in via di « reclamo ».

CAPUT LIII.

De Sententiis.

1. – Decreta causae *expeditione*, observandi erant termini ad sententiam, seu tot dies erant elabendi quot iure communi in Codice statuti sunt, et citandae erant partes ad sententiam.

2. – Interim causae procuratoris erat conficere schedulam sententiae - et solvere propinas seu sportulas iuxta qualitatem causae in quantitate taxata, antiquitus consuetudine et stylo; postea, reformatione Pauli V an. 1611 et subsequentibus ulterioribus reformationibus ad annum usque 1831 quo sportulae seu propinae e medio sublatae fuerunt.

3. – Et quoad propinas seu sportulas, heic adnotatum volo, eas ab anno 1641 quo - ad evitandas omnes controversias quae antea saepe movebantur super praeventione in causis et substulendam quamvis occasionem calumniandi Auditores - ex proventibus iudicialium taxarum facta fuit massa communis apud primarium Curialem, cui Depositarii Rotae nomen fuit;[1] - penes hunc Depositarium debebant a Procuratoribus, usque ad praedictum annum 1831, propinae seu sportulae deponi.

4. – Sententiarum Rotae formula fuit una: recitato nomine Auditoris Ponentis cum titulo *Magistri* et iuris utriusque Doctoris, Capellani Papae, Auditoris causarum s. a. palatii et - si reipsa talis

[1] Conf. inferius caput *De emolumentis Auditorum Rotae*.

fuisset - Referendarii utriusque Signaturae, describebatur titulus causae, nomen litigantium, et, *Christi nomine invocato*, pronunciabatur fuisse propositis Dubiis ita et ita responsum et resolutum.

5. - Tenor igitur sententiae rotalis totus erat in attestatione a Ponente reddita, quod in causa talis, inter tales, die et anno tali fuit resolutum sic et non aliter; brevis itaque et non continens nisi partem dispositivam peracti iudicii.

6. – Rationes vero decidendi seu - uti hodie vulgo dicimus *i considerando* - erant in Decisionibus antea emanatis. Hinc nedum formula sententiae erat rite et recte iuxta stylum concipienda, sed debebat esse omnino conformis latis ante expeditionem Decisionibus, et nil - prorsus nil - contra, aut praeter, vel infra, vel ultra decisa in ea apponi fas erat. [1]

7. – Auditores fuerunt in hoc summopere diligentes. Unius tantummodo memoriae proditum est, in hoc defecisse, nempe Tayae, qui ideo ipsius summi Pontificis censura plexus fuit. [2]

8. Claudebatur sententia subscriptione Auditoris Ponentis et notarii. Sed cum in Rota una omnium fuisset iurisdictio - uti superiori capite IX latius disserui - ita necesse non erat ut sententia subscriberetur ab ipso Ponente: quisquis enim ex Auditoribus eam poterat suo proprio nomine signare.

9. – Rem firmat exemplum quod *ex Diario* Celsi heic exscriptum volo. *Sub die* igitur *6 novembris 1648*, ille adnotat: « Reve-
« rendissimus Decanus ad instantiam Marchionis Vincentii de Nobi-
« libus, proposuit quoddam memoriale in causa *Senogallien-Census*,
« in quo idem Marchio instabat pro mandato, quod D. Ghislerius sub-
« scribere recusabat; et fuit ordinatum quod Notarius accederet ad
« eumdem Ghislerium, et recusante ipso, alius subscriberet in eius
« locum; et quia unus ex Dominis, nempe Corradus, negabat id
« posse fieri, omnes uno ore responderunt, *rem esse indubitatam, et*
« *posse quemlibet ex Auditoribus subscribere pro alio, etiam ipso non*
« *recusante*. Et Decanus allegavit exemplum quod evenit eius tem-
« pore, antequam propinae ponerentur in Massa: videlicet, quod
« decreta expeditione unius causae pendentis coram Coccino qui tale
« decretum non approbabat, recusabat subscribere et signare cedu-
« lam sententiae: unde principalis (scilicet litigans victor) adivit Man-
« zanedum, et de Coccino conquestus fuit quod, non obstante ordi-
« natione Rotae, nollet procedere ad expeditionem. Manzanedus itaque

[1] Emerix, *Praxis*, tit. XXIV.
[2] Cf. vol. III, pag. 433-434, n. 329.

« institit ut Notarius afferret sibi cedulam, quam illico subscripsit et « propria manu firmavit, et propinam pro semetipso recepit, riden- « tibus omnibus et gaudentibus de simplicitate eiusdem Coccini ».

10. – Unum vero necessario faciendum erat, nempe, sententiam subscribere intra terminum *pro servato*. Pius enim IV et Paulus V in suis respective Bullis *In throno iustitiae* et *Universi agri* statuerant, sententias esse subscribendas infra praedictum terminum et publicandas in actis intra 15 dies, et, latas in ultima audientia, infra mensem ; « alioquin pronunciationes huiusmodi pro circumductis « habeantur ».

11. – Exemplum rotalium sententiarum publico in III mei operis volumine: est de anno 1471 : id videas ibi. *n. 109, pag. 179.* Illud perlegens sedulus lector oculis videat confirmationem omnium quae heic exposita sunt.

12. – Verum praxis sententias et Decisiones singillatim edendi, etsi per plura soecula perduraverit, non fuisse tamen videtur in observantia saltem soeculo XIII, prouti demonstrant sententiarum exempla quae leguntur in Regestris Pontificum, quorum aliqua in III meo volumine publico. In illis enim rationes decidendi cum ipsa decisione, seu parte dispositiva, uno complectuntur instrumento.

13. – Attamen quae innui Regestrorum exempla tenorem referunt cedularum a Pontifice approbatarum: et cum in ipsis descriptum non sit utrum saepe et saepius partes fuissent interrogatae prout iuris et moris erat, et inibi non raro se referat Pontifex ad instrumenta ab Auditoribus confecta et suis sigillis munita, forte eaedem Registrorum cedulae veluti synopsis sunt et Decisionum et sententiae, ideo exaratae ut unico documento approbatio et ratihabitio apponeretur Papae simul approbantis et rationes decidendi et sententiam.

14. – Profecto initia novissimae praxis penitus ignorantur: equidem ad Innocentium VIII usque sententias rotales sub plumbo expediri consuevisse, persuasum est; post eum vero ab ipsis Auditoribus; et prima exempla novissimae praxis quae ad nos usque pervenerunt soeculum XV non praetergrediuntur. Et documenta nulla mihi obvia facta sunt ex quibus quaestionem dirimere fas mihi fuisset.

15. – Denique recolit Emerix [1] « quod in Rota frequenter fere- « bantur sententiae per *Contradictas* aut per *Edictum*, secundum « diversitatem casuum, quos distinguunt Coccinus, *Decis. 298 per*

[1] Emerix, *Praxis*, l. c.

« *tot. et Addit. ad Burattum. Decis. 493, n. 4 et sqq.* Si enim citatus « in partibus personaliter ad totam causam, non autem ad aliquem « actum particularem, tamen (ut advertit Rota, *Decis. 26, n. 3 part. 3,* « *Diversorum*) non comparet nec per se nec per Procuratorem, aut « comparet quidem sed deinde a Curia recedit, seu decedit, tunc, con- « stito in actis de absentia vel obitu respective-iuxta tradita per « Rotam *coram Achille* (de Grassis) *de dolo et contum.* - etiamsi « obitus non fuerit Principali in partibus intimatus, proceditur per « officium Contradictarum, et tempore feriarum fiunt citationes per « Edictum et affixiones ad valvas Curiae aut in acie Campi Florae « . . . . si vere citandus degat in loco, ad quem non pateat tutus « accessus, et Auditori prout de stylo solet, per Commissionem tributa « fuerit specialis facultas procedendi etiam per Edictum, tunc constito « in actis de non tuto accessu, decernitur processus per Edictum ».

16. Ast, quaeres, quonam iure Papa, vel eius Capellani causarum Auditores, poterant exsecutionem sententiarum fieri decernere; praesertim ubi vi opus esset? - Iure sacri romani Imperii - uti fusius retuli in primis huius operis capitibus - quo Imperator nedum in spiritualibus, sed et in temporalibus subiectionis et obedientiae erga Papam iuramento tenebatur. Universae enim tum ecclesiasticae tum civiles potestates sub Papae imperio erant, eisque omnibus Papa iniungere pleno iure poterat suos vel suorum delegatorum iudicum sententias exsequi, *in virtute s. obedientiae sub poenis et censuris.* Videas ad hoc exemplum exsecutorialium litterarum quod in IV operis tomo publici iuris facio.

CAPUT LIV.

De Appellationibus.

1. – « Ubi Auditor iam subscripsit sententiam et notarius illam « publicavit infra terminum *pro servato*, hoc est: infra annum, infra « quindecim dies, et - ante Ferias generales - infra mensem iuxta « Reformationem Pauli V, tunc vel pars contra quam prolata est « sententia appelabat coram Auditore, vel, ut frequentius fieri con- « suevit, per cedulam penes Notarium infra legitima tempora appel- « lationem committi, commissionemque in Banco Cursorum praesen- « tari, et citari ad dicendum contra eam illiusque vigore inhiberi, « curabat ». [1]

[1] Emerix, *Praxis*, tit. XXVI.

2. - Hic stylus fuit soeculo XVII quo Emerix haec scripto memoriae tradebat: puto tamen hunc semper et antea stylum viguisse, uti deinceps, etiam post Motumproprium Gregorii XVI an. 1834 per soeculum XIX, cum in *Pratica et Procedura* aperte dicatur: « Quella parte che... sperimentò contrario il giudizio innanzi il Tri- « bunale della S. Rota, potrà, volendo, appellare dalla sentenza mede- « sima... è perciò ch'emetterà in atti della Cancelleria Rotale l'atto « di appello del tenore seguente... ».

3. - Postquam Signaturae Iustitiae tribunal erectum fuit « gene- « raliter pro omnibus utriusque Pontificii et temporalis Principatus « ac etiam particularis Episcopatus Urbis causis et negotiis tam spi- « ritualibus quam prophanis, pro quibus Principem adire oporteat « ad effectum committendi causas appellationis, vel restitutionis in « integrum, sive decidendi controversias super fori competentia... »[1] cedula appellationis ad Signaturam Iustitiae deferebatur, quae, carens iure videndi de rotalium causarum meritis, iudicabat utrum esset appellatio admittenda, vel uti frivola aut defatigatoria, respuenda.

4. - Propter hoc unus ex Rotae Auditoribus interveniebat Signaturae congregationibus, nempe alternis vicibus vel Decanus vel Subdecanus.[2] Utrum vero mos iste duraverit et post latum Gregorii XVI *Regolamento* anni 1834, quo § *336* statutum est: « Tutti « i giudici e Tribunali dello Stato, compresi quelli della sacra Rota « e della piena Camera, sono soggetti al Tribunale supremo di Segna- « tura » atque Rota facta fuit ordinarium tribunal appellationis causarum Romae et civilis Pontificum principatus, mihi non constat. Certum est autem quod quum mos viguit, Auditores duo praedicti adscripti nisi fuerint inter *Referendarios* Signaturae, Papae licentiam speciali indigebant, ut possent Signaturae congregationibus interesse.[3]

5. - Signatura autem scriptis rescripta sua Rotae tradere debebat, quia Rota nequibat procedere *sine commissione* quae in actis sancte servanda erat. Quapropter cum quidam dominus Androsilla, anno 1649 rescribere incoeperit: « Oretenus domino Bichio ut pro- « cedat in devolutivo tantum », Auditores parere noluerunt, adnotantes *novitatem*, inductam ab eodem Androsilla « qui habet pluri- « mum ingenii, sed non multum prudentiae et vult omnia ad modum

[1] De Luca, *Relat. Rom. Curiae*, disc. XXXI, n. 1.
[2] Cf. vol. III, pag. 381, n. 260; et Card. De Luca cit. disc. n. 13.
[3] Ibi, l. c.

« suum ».[1] Et usque eisdem oretenus datis rescriptis parere abnuerunt. [2]

6. – Et merito quidem: nam ad Vice-Cancellarium, aut illius substitutum Regentem Cancellariae, pertinebat distribuere cardinalibus, vel praelatis vel Auditoribus Rotae illas commissiones quae a Signatura admittebantur ac signabantur, et ideo Regens Cancellariae, quamvis non esset iudex ullius causae, Signaturae congregationibus intererat. [3]

7. - Haec quidem novissimae praxis fuerunt: quaenam autem fuerint antea, documentis mihi exquisitum non est: attamen cum adhuc tempore Martini V apostolica Cancellaria dispesceretur in Cancellariam gratiae et in Cancellariam iustitiae et ab una Cancellaria commissiones omnes darentur, non temere autumaretur etiam commissiones in appellationibus ab ipsa Cancellaria tradi consuevisse.

8. – Ideo puto, Martinum V quum statuit « ut in causis in Ro-
« mana Curia pendentibus et quae in posterum quovis modo pen-
« debunt nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nullaque
« appellatio admittatur nisi ab interlocutoria quae vim habeat diffi-
« nitive sententie vel a gravamine concernente negocium principale
« quod non posset per appellationem, a diffinitiva interpositam repa-
« rari: appellationes ante diffinitivas sententias aliter factas et quid-
« quid inde secutum fuerit penitus (irritans) et hoc ad appellationes
« iam emissas super quibus commissiones nondum fuerunt praesen-
« tate extendi (volens) alie vero super quibus commissiones fuerant
« praesentate, terminentur et in illis non liceat secundo appellare »;
uni Vice-Cancellario hanc constitutionem tradidisse illique mandasse - prouti idem Vice-Cancellarius inibi testatur - illam publicare et in libro Cancellarie ponere, die VII aprilis anno V. [4]

9. – Et ideo forsan ubi Iustitiae Signatura erecta fuit, statutum est ut eidem adesset Cancellariae Regens, quia aequum visum est, vetustissimum Cancellariae ius saltem sub hac forma sartum tectumque servare.

[1] Vol. III, pag. 373, n. 253.
[2] ARCH. ROT., *Diarium Celsi*.
[3] DE LUCA, citat., disc. n 13.
[4] Vol. III, pag. 106, n. 62.

CAPUT LV.

De Exsecutorialibus et Mandatis.

1. – Ubi rotalis definitio transiisset in rem iudicatam, ad illius exsecutionem deveniendum erat. Ad hoc Rota decretum exsecutorium dare consuevit usque, quod nomine Exsecutoriale vel Exsecutoriales litterae venit. Noscamus ex Emerix[1] quid essent Exsecutoriales, quanam ratione darentur, quinam illarum vis et effectus iuridici; quid vero singulariter pro Italia. En igitur verba illius:

2. – « Exsequutoriales Rotales sunt Decreta exsequutiva, seu « Mandata Reiiudicatae quae Rota passim relaxat extra Italiam per lit- « teras cum comminatione Censurarum pro assequenda faciliori et « promptiori obedientia. Debent illae Partibus personaliter praesen- « tari, et deinde cum relatione, et attestatione Iudicis Exsequutoris « ad Curiam remitti, atque in Actis reproduci. Quo facto, servantur « quatuor termini ad docendum de paritione, quibus elapsis, et de « ipsa non docto, Rota procedit ad Declaratoriam. Imo quandoque « etiam si constet de inobedientia positiva, seu resistentia Mandatis « Rotalibus relaxat declaratoriam absque observatione terminorum, ut « passim firmatur in Decisionibus quae super hac materia frequenter « emanant. Exsequutoriales enim Rotales trahunt secum exsequutionem « Censurarum, nec requirunt exsequutionem facti, sicut Mandata Tri- « bunalium, ut bene notat Ridolphin Prax. part. 1, cap. 13, n. 478. « Si tamen Reus non haberet, in quo pareret, sufficeret patientia, vel « acquiescientia etiam verbalis, nisi tamen alterius condemnatus fuerit « ad cavendum: tum enim tenetur cavere de parendo, quando venerit « casus, alioquin Rota contra eum procederet ad Declaratoriam, ut « observat Coccin: adnot: 224.

3. – « Exsequutoriales autem, ut supra insinuavi in Tit. de appel- « lat. hodie passim relaxantur post servatos quatuor terminos ad « docendum de appellatione illiusque legitimae prosequutionis absque « nova Commissione ex facultate Rotae attributa per Constit. Pii IV « et Pauli V exsequendi suas sententias prout possunt Iudices Ordi- « narii, sicut advertit Rodolphin. in d. cap. 13 num. 633, tametsi « hodie partes ex illarum voluntate, non autem ex necessitate, com- « missionem exsequutorialem obtinere solent ut inquit Rota cor. Coc- « cin. Decis. 1533, Ex. 2, num. 64 et nunc non servantur prae-

[1] *Praxis*, part. I, tit. XXVIII.

« dicti quatuor termini, sed praefixo uno termino, arbitrio Auditoris, « ad docendum de appellatione, eiusque legitima prosequutione, et « eo elapso, nihilque quod relevet deducto, devenitur ad taxationem « expensarum et mandatorum exsequutionem, ut similiter advertit « Rodolphin. loco cit. num. 592.

4. – « Dixi supra, litteras exsequutoriales relaxari extra Italiam ; « nam in Italia loco exsequutorialium Rota consuevit relaxare man- « data, ut observat: Coccin. Decis. 1910 num. 4 e 5. Notandum « vero hic est, quod licet antiquitus non solum litterae exsequutoria- « les, sed etiam remissoriales pro examinandis Testibus extra curiam « expediri deberent sub nomine Papae in forma Bullae sub plumbo, « nihilominus huiusmodi necessitas postea remissa fuit, primo quoad « litteras remissoriales per constitutionem Innocentianam [1] et deinde « etiam quoad exsequutoriales per Regul. 48 Cancellariae ; ita ut « hodie omnes expeditiones relaxentur sub nomine Auditoris Ponen- « tis, seu relatoris causae, ut notat Coccin. d. Decis. 535, num. 58, « et sequen. et Tanagl. de Auditor. cap. 2, n. 35 et sequen. et « hoc est facere exsequutionem per se ipsum quod Iudicem facere « debere eadem regula, tametsi satis obscure determinat. Porro debent « sedulo animadvertere Iudices, ne se ultra limites et facultates « in litteris Rotalibus illis concessas extendant, ne Rotae causam « praebeant, prout quandoque vidi, decernendi nullitates, et propterea « curiales practici et prudentes, consueverunt transmittere ad partes « cum omnibus expeditionibus, quas pro tempore in Rota, aut etiam « aliis Urbis Tribunalibus obtinent, particularem informationem super « modo, et forma observanda in illarum exsequutione quae ad unguem « observanda est a Partibus interesse habentibus, non obstante con- « traria sententia, seu opinione practicorum extra Curiam, ne alio- « quin se novis litibus, et inextricabilibus difficultatibus involvant, « prout saepe contingere vidi ».

5. – Anno 1834 post latum *Regolamento* Gregorii XVI et consequens Edictum cardinalis Gamberini, iis in causis quas saepius innui, Auditores processerunt ad normam novarum legum tamquam ordinarii iudices appellationis unius ex tribunalibus pontificiae ditionis quod fuerat effectum.

[1] « *Finem litibus* ».

CAPUT LVI.

De Declaratoriis et Gravatoriis.

1. – Exsecutorialibus legitime intimatis sub comminatione censurae, ii qui intimati fuerant parere debebant: iisdem tempus legitimum dabatur ut commode possent parere: quod si facere renuerint, ad Declaratoriam prius, postea - contumacia perseverante - ad Gravatoriam procedebatur.

2. – Horum omnium praxis in Rota quaenam fuerit, recolam ex « *Praxis* » Iacobi Emerix, saepius citata, exscribens quae de iis ipse tradit sub titulo XXIX partis primae.

3. – « Rota utitur armis spiritualibus contra non obedientes suis « mandatis. Quapropter intimatis legitime exsequutorialibus, sub com- « minatione Censurarum, eisque productis, et servatis solitis quatuor « terminis ad docendum de paritione, si intimati de ea docuerint, « solet procedere ad declarationem ad hoc, ut inobedientes propriae « contumaciae culpam agnoscentes, errorem suum humili paritione « protinus emendent iuxta praxim, quam tradit Vestr., Lib. 8, cap. 18, « num. 19, adprobatam innumeris decisionibus. Istorum tamen ter- « minorum observatio necessaria non est, quoties constat de con- « ventione, seu de positiva voluntate non parendi exsequutorialibus. « Tunc enim fit sicut in aliis casibus, in quibus si Reus litteris Apo- « stolicis, seu Canonibus poenalibus contravenerit, declaratur incur- « risse, ut notat idem Vestr., Lib. 2, cap. 4, num. 8, vers. Quod « si. Dixi: intimatis exsequutorialibus cum comminatione Censurarum, « quia si illae in eisdem specifice comminatae non fuerint, Rota non « procedit ad declaratoriam, sed iubet, novas litteras expediri cum « specifica comminatione Censurarum, prout hoc in eodem anno pra- « cticatum vidi in quadam Leodien., Receptoriae, coram R. P. D. « Calatajú, et in alia Leodien., Nullitatis Professionis, 26 iunii 1676, « cor. me. Et optima quidem ratione, quia in hac materia, quae est « ultimum terribilium, magna cum circumspectione et non nisi contra « vere et clare contumaces, procedendum est, ut advertit S. Concil. « Trident., Sess. 25, Cap. 3, ac propterea ubicumque Reus docet, « se pauperem, et miserabilem, atque impotentem parendi, vel patien- « tiam praestat exsequutioni mandatorum Rotalium non continentium « illius factum positivum, qualia plerumque sunt mandata de manu- « tenendo, Declaratoria relaxari non debet, ut responsum fuit in Hil-

« desimen., Praecedentiae, 26 ianuarii 1674, num. 2, cor. me. Solet « autem, benignius Rota agendo, passim concedere huiusmodi decla- « ratoriam cum dilatione unius mensis, et quandoque etiam duorum « mensium, veluti hoc anno 1676 practicavit coram me in una Cra- « covien., Abadiae, 13 martii, ut hac sua humanitate alliciat ad obe- « diendum.

4. – « Postquam vero Censurae semel legitime fulminatae in « Curia fuerunt, non debet concedi absolutio, nisi causa cognita, « praeter quam in honorem festivitatum, cum reincidentia iuxta sty- « lum, de quo testatur Caputaquen., Decis. 2, part. 1. Ac propterea « quotiescumque Pars se opponit, Rota solet dare Dubium et for- « miter examinare " An reus sit absolvendus ,, ut dixi supra in tit. « de Attent. et Recursu; et docet Coccin., Decis. 1533 quae in hac « materia est magistralis.

5. – « Porro si reus, intimatis personaliter litteris declaratoriis, « ac servatis, iuxta formularium Rotale, de quo Hostien. in Praxi, « Lib. 3, cap. ult., num. 19, quatuor terminis ad videndum gravari, « et regravari, non docuerit de paritione, sed corde indurato Cen- « suras substinuerit, quia, crescente contumacia, et protervia parere « debentium, crescere debet poena, relaxandae sunt gravatoriae, et « invocandum brachium soeculare, ut tandem deficiente potestate « ecclesiastica per soecularem ad obedientiam compellatur secundum « praecisam dispositionem Text. in Capit. *Access.* ubi Glossa verbo « brachio soecul. de Offic. Iud. Ordin. ».

6. – Soeculo XIX, his omnibus maximam mutationem induxit Gregorius XVI, suo *Regolamento* anni 1834. Ipse enim § 1044 statuit: « In tutto ciò che non è altrimenti ordinato in questa Sezione (nempe: « Disposizioni speciali sul modo di procedere ne' tribunali della sacra « Rota e della piena camera) sono mantenute le forme particolari di « procedura vigenti nel tribunale della sacra Rota, in quanto pos- « sono conciliarsi con le leggi generali e communi a tutti i magi- « strati giudiziari ». Et plures leges sunt in eodem *Regolamento* quae generaliter et communiter omnes magistratus iudiciarios moderantur. Iuxta eas leges Rotam processisse in causis ad commercium attinentibus et in iis Urbis ac pontificiae ditionis pro quibus facta fuerat ordinarium tribunal appellationis, indubium videtur: in ceteris quae ei committebantur vel potius committi poterant – quanam ratione processerit incertum est: ast cum hostilia admodum Ecclesiae tempora essent, exemplum non vidi causarum Rotae commissarum quae Romam delatae fuissent a civibus exterorum regnorum, una tantum

excepta causa criminali Ducatus Modanensis, cuius exsecutio ab illis laicis potestatibus probabillime acta fuit, si tamen acta sit, quod documentis archivii nostri non constat.

CAPUT LVII.

De Expensis.

1. – Quicumque vel a limite iudiciorum praxim salutaverit, expensas quas in litibus sustinendis peragere necesse est, in duas species distingui non ignorat: scilicet in iudiciales, expensas et extraiudiciales.

2. – Quaenam antiquitus fuerint in Rota habitae iudiciales expensae, quaenam autem extraiudiciales, adamussim tradere non valeo, quippe quod mihi hac de re documenta obvia facta non sunt. Profecto cum Rotae styli usque inniterentur iure communi, non temere asseritur utriusque speciei expensas iuris communis regulis fuisse aestimatas, tunc, non secus ac posterioribus soeculis. Salvis tamen iis accidentalibus discrepantiis quae variis soeculorum moribus induci potuerunt, de queis tamen recte non scriberetur, nisi inspectis et apprime rimatis historicis fontibus.

3. – Potius igitur quam tempus terere in inutilibus hypothesibus, cum Iacobus Emerix in sua « *Praxis* », (tit. XXXI, part. I), describat morem vigentem soeculo XVII, ipsi verba cedamus, ut sciamus non dubiam praxim illius aevi. Ipse sic, itaque: « Rota *ex stylo antiquo* « semper condemnat partem victam ad expensas, etiamsi habuerit « iustam causam litigandi, ut notat Carill., Decis. 249, n. 4. Tem- « perat tamen hunc rigorem cum moderatione, qua utitur in illarum « taxatione, ut nimirum inter iudiciales non connumeret sportulas « suas, seu propinas, quas regulariter non iubet refici nequidem in « causis, in quibus consulta dat votum aliis Iudicibus, ut fuit deci- « sum in Neapolitana Haered: 3 martii 1675, cor. R. P. D. meo « Vicecomite. Extraiudiciales autem regulariter taxat in solis scutis « decem pro qualibet instantia, licet valde longe semper maiores « sint.

4. – « Dico regulariter, quia in causis attentatorum, et spoliorum « violentorum, quae delictum sapiunt, iubet omnes refici usque ad « obolum, sicut et quandoque in aliis, ubi exuberat bona fides in « Reo, qui post producta noviter Instrumenta, vel alia iura, ex quibus « resultat victoria causae, sponte renunciat liti. Utitur praeterea mode-

« ratione, ut non condemnet nisi in expensas usque ad productionem « factas. Sed eo tempore, quo ego sedi in Rota, paucos vidi qui « hoc moderamine voluerint perfrui, quia Partes, vel illorum Agentes, « vix, aut nunquam volunt cedere, et fere semper causas ulterius « prosequuntur.

5. – « Expensae iudiciales sunt, quae fiunt pro confectione Rege- « stri, et Extractuum, qui transportantur a Tribunalibus Urbis, ac « Processuum, qui deferuntur de partibus, et illorum Rubricatura, « seu revisione pro citatione cum inhibitione, pro Compulsoria gene- « rali et speciali, pro Instrumentis Remissoriarum sequestrorum, « sententiarum, et pro aliis actis iudicialibus, quae singillatim taxan- « tur a supradicta Reformatione Pauli V in Tit. Taxa. [1] Rota autem « solet stare Notae a Notariis subscriptae, et partes litigantes non « possunt ab Agentibus et Sollicitatoribus facile decipi, quia possunt « recurrere ad eamdem Reformationem.

6. – « Extraiudiciales vero sunt illae, quae consistunt in Hono- « rariis Advocatorum, Procuratorum, Agentium, Scriptorum, seu « copistarum, aliorumque similium acta iudicialia non concernentium, « quae licet non habeant certam taxam a iure, vel aliqua Constitu- « tione Apostolica, de stylo tamen, seu consuetudine Curiae, ordi- « narie certam quantitatem non excedunt.

7. – « Advocatis, et Procuratoribus hodie passim solvuntur iulii 24: « pro qualibet scriptura sive illa sit primae, sive secundae, aut etiam « ulterioris informationis, responsionis, aut replicationis, et totidem pro « qualibet Informatione in voce; quamquam Magnates ac etiam quan- « doque alii, cum labor, vel gravitas causarum id exposcit, soleant « esse liberaliores. Solvitur praeterea eisdem, sive illorum Amanuen- « sibus iulius pro quolibet folio copiae originalis scripturarum, quae « quia, ex quodam abusu, longioribus lineis et extensis literis con- « scribuntur, quandoque honorarium, seu principalem mercedem exce- « dunt, et propterea expediens foret, quod huic malo opportunum « aliquod remedium adhiberetur, taxando certam quantitatem, quam « huiusmodi copiae originales excedere non possent: hoc enim modo « provideretur non solum commoditati litigantium, sed labor etiam « Iudicum minueretur.

8. – « Scriptores seu copistae, recipiunt ordinarie bononenos « duos pro qualibet facie folii ad usum Curiae scripti, nisi de minori « mercede convenerint, prout quandoque fieri solet.

[1] Cfr. vol. III, pag. 327, n. 198.

9. – « Sollicitatores et Agentes vel habent constitutum salarium « annuum, aut mestruum, vel illi pro qualibet propositione, et qua- « litate laboris satisfit, et qui hoc faciunt, prudenter se gerunt, quia « isti sunt, qui in suis notulis, quas Partibus litigantibus transmit- « tunt, expensas nonnunquam in immensum, confictis strenis aliis- « que imaginariis muneribus, in praeiudicium honoris Iudicum et « integritatis Romanae Curiae, replent, causasque in longum pro- « trahunt, ut interim constituta salaria extorqueant; et ideo bene « facerent Partes litigantes, seu alia negocia habentes, si huiusmodi « notas expensarum, et talibus muneribus repletarum, ad Iudices, Da- « tarium, Secretarios Congregationum, seu alios apud quos negocia « pertractata fuerunt, per amicos, vel etiam recta via, trasmitterent, « ad hoc ut illi condignis poenis affici, atque a Curia criminari « possent.

10. – « Demum notandum est, quod taxatio in causis ultra montes « ex stylo antiquo fit in Ducatis Camerae, tametsi listae Notariorum « contineant tantum scuta monetae, et hoc propter impensas, quae « fiunt in transmittendis pecuniis ad Curiam. Videatur Seraphin., « Decis. 1341 et 1381. Dunoz. Iun., Decis. 28, num. 4, et Cels., « Decis. 74, num. 6 ».

11. – Ita Emerix loco citato. - Insequenti soeculo XVIII immutationes inductae sunt in quantitate taxarum notariorum Rotae [1] non autem in qualitate expensarum: quas proinde solemne fuit haberi uti antea.

12. – Ast non parvi momenti immutationes iis inductae fuerunt soeculo XIX *Regolamento* Gregorii XVI et consequente *Edicto* cardinalis Gamberini, anno 1834. Factum cum fuisset Rotae tribunal pro appellationis causis Urbis ac pontificiae ditionis ordinarium, abolitae cum fuerint propinae et sportulae, et cetera statuta fuerint quae huc illucque in hoc opere narravi, Rotae necesse fuit novis legibus etiam in expensis diiudicandis et taxandis sese aptare.

13. – Antiquus itaque rerum ordo talem ac tantam immutatiorem passus tunc est, ut heic res singillatim referre fere impossibile sit, nisi omne referretur sistema pro omnibus tribunalibus ab Gregorio XVI sancitum. Ast sedulus lector praeterquam quod in praecitatis gregorianis legibus res suis oculis perspicere curare poterit, iam multa animo hauriet, sciens abolitas fuisse propinas, Auditoribus menstruum stipendium fuisse constitutum, inductas fuisse taxas Bulli,

[1] Cfr. vol. III, pag. 489, n. 408.

Registri et Cancellariae quae publico aerario attributae fuerunt; haec et huius generis, ita ut rotalia acta inveniantur in *carta bollata* descripta.

14. – Ceterum in meo IV volumine publicis iuris iterum facio opusculum innominati auctoris, inscriptum « Pratica e procedura del « Tribunale della S. Rota Romana », ex quo saltem, quae Advocatis et Procuratoribus fuerunt constituta emolumenta, constant, praeter cetera quae iudiciorum praxim concernunt.

CAPUT LVIII.

Quanam ratione Rota processerit in causis aliis iudicibus commisis de voto Rotae.

1. – Iam hinc ab remotioribus auditorii Capellanorum Papae Auditorum causarum palatii tempestatibus solemne fuit, nonnunquam Iudices commissarios iubere ut in causis, specialem praeseferentibus gravitatem, quam de aliorum consiliariorum voto, procederent potius *de voto Rotae*. Planum est enim, data ad iudicialia tranctanda superexcellenti Capellanorum Auditorum dexteritate qua brevi inter ceteros emicuere, in magis arduis romanos Pontifices eorum consilium seu votum, ceterorum consiliis et votis praetulisse.

2. – Hinc in rotalibus *Diariis* quamsaepe causas fuisse propositas *de voto* legere est. Praestat igitur ut inquiramus quanam ratione Auditores processerint in harum causarum propositionibus, in quibus, loco sententiae votum debebant elicere.

3. – Antiquiorum testium defectu, testimonio et verbis utar saepius citatae *Praxis* emericianae. Scribit igitur inibi Emerix, sub titulo XXV, part. I.

4. – « Quando causae reperiuntur commissae aliis Iudicibus *de* « *voto Rotae*, solent illi (Iudices) remittere Partes (litigantes) ad ... « Decanum, vel alium Auditorem quem voluerint, ad exquirendum « votum, et tunc in Rota nulla fiunt acta iudicialia, sed solum inti- « mationes extraiudiciales pro Dubiis subscribendis et disputandis, « eaque eo modo dantur, proponuntur et resolvuntur, quo alias in « causis in Rota directe commissis, excepto quod Relator, seu ille « cui Iudex commisit exsecutionem voti, debet primo in causa suffra- « gium ferre.

5. « Et idem servatur in omnibus aliis negociis in quibus Sua « Sanctitas, vel Sacrae Congregationes, aut Datarius, aliique, votum

« Rotae exquirunt ». – Nam saepius consueverunt cetera romanae curiae officia in arduis votum Rotae exquirere; cuius rei exemplum iam attuli in cap. XXIX in nota ad 11 (*pag. 162*).

6. – « Postquam vero - prosequitur Emerix, ibi - disputata fue- « runt Dubia et causa iam adducta ad terminos tradendi voti, facit « Relator verbum pro expeditione; et subinde, depositis vel perso- « lutis sportulis sive propina, prout in causis Rotalibus fieri consue- « vit, Relator subscribit Decisiones hoc vel simili modo: Domini ex « rationibus in suprascripta, vel suprascriptis Decisionibus, sunt in « Voto, favore ... (apponendo nomen et cognomen suum);

7. – « et postmodum partes illud deferunt ad Iudicem qui bene « debet advertere ut ferat sententiam illi conformem, alioquin nul- « liter procederet ». Sed haec intelligenda et restringenda sunt ad casum quo illi iudici causa commissa fuisset cum clausula *de voto Rotae*. Nam si ipse iudex, aut s. Congregatio, exquisivissent marte proprio Rotae votum, tunc nulliter non processissent, uti planum est.

8. – « Non est tamen necessarium - concludit Emerix l. c. - « quod illa (sententia iudicis) sit conformis in littera, sed sufficit « quod in substantia idem contineat ». Et merito quidem: nam Rota tenuit tunc haberi sententiarum conformitas, quum duo vel tres aut plures sententiae saltem in effectu et substantia conveniant. [1] « Immo possunt in sententia specificari vel latius exprimi ea omnia « quae sub Voto implicite continentur, prout articulo discusso, fir- « matum fuit in Romana - Primogeniturae De Bubalo 23 ianuarii « et 27 iunii 1672 coram me ». [2]

CAPUT LIX.

De Typographia seu Impressore Camerali.

1. – Omnibus numeris tractatio mea absoluta non esset, nisi vel pauca de camerali typographia seu Impressore hucusque narratis non adderem. Maxima enim rotalium rerum typis impressorum testimoniorum pars e camerali typographia prodivit, magnaque Rotam iter et cameralem Impressorem consuetudo intercessit.

2. – Itaque, Clemens VIII - qui, uti non semel innui, fuerat

[1] Decis. 98, n. 3 et 4, part. I; Decis. 106, n. 3, part. XIV; Decis. 106, n. 1, part. XVII; et Decis. 240, n. 5, part. XVIII, tom. I, *Recentiorum*.

[2] Decisiones coram Emerix Iuniore. Decis. 86 et Decis. 122, tomo I.

Rotae Auditor - camerali et vaticano Impressori privilegium concessit, ne quis citra illius voluntatem, sacram bibliam, concilia generalia, epistolas generales, libros ad ecclesiasticum munus pertinentes, sanctorum Patrum volumina, libros cuiuscumque generis, impresserit vel venalia habuerit. Non autem in perpetuum, sed ad decennium primo privilegium concessum est. Sed Paulus V, Gregorius XV - et ipse olim Auditor Rotae - ac Urbanus VIII illud postea eidem camerali Impressori sartum tectumque servarunt, confirmaruntque. [1]

3. – Exquisitum mihi non est utrum ex hac generali concessione, vel ex aliquo alio contractu speciali, hinc iam a Clemente VIII cameralis Impressor ius habuerit imprimendi privative, quoad ceteros omnes, rotales Decisiones et cunctas allegationes causarum quae in Rota dicerentur: hoc vero in dubium revocari nequit, archivio manere exemplar cuiusdam Decisionis inscriptae *coram Clemente VIII* (nempe: captae coram Hyppolito Aldobrandini ubi erat Rotae Auditor, et, ipso existente Papa, iterum in lucem editae) typis cussae anno 1600, quod est inibi existens vetustius exemplar rotalium Decisionum a camerali typographia editarum. At ab illo anno 1600 quotquot in pluteis archivii tum rotalis collegii et tribunalis, quum partium acta et allegationes typis impressa adhuc iacent, a typographia camerali excussa fuisse patet.

4. – Ad annum tamen 1853 - quo omne privilegium sublatum fuit camerali typographiae et Impressori, causarum allegationes typis privative quoad alios cudendi et facta fuit litigatoribus facultas typis utendi aliorum Impressorum, uti probant allegationes quae manent in archivio ab illo anno ad annum 1870.

5. – Attamen, rotales Decisiones imprimi perseveratum est ab eadem typographia camerali: item et quodvis aliud tribunalis actum, ceu exemplaribus nunc eodem in archivio manentibus, ostenditur.

6. – Ex privilegii cessatione, de qua mox scripsi, necessitas fluxit penes pontificium Gubernium iterum iterumque instandi ut curaretur exemplar cuiuscumque allegationis et Summarii ad rotale archivium deferre, ne manca Positionum collectio evaderet. Et anno 1853 Gubernium Rotae morem gessit [2] ita ut illa Positionum collectio ad annum usque 1870 producta sit.

7. – Soeculo XVII cameralis Impressor, utrum in vim privilegii quo fruebatur vel alia de causa non satis constat, consuevit typis edere rotalium Decisionum collectiones. Ast sub fine primae illius

[1] Cfr. Vol. III, pag. 353, n. 218.
[2] Ibi, pag. 689, n. 580.

soeculi medietatis et initio secundae, haeredes aliquot Auditorum a Rota petierunt licentiam suorum auctorum relictas decisiones imprimendi extra Urbem et pontificiam ditionem, ad Venetiarum editores ut plurimum confugientes.

8. – Cameralis Impressor nullum non movit lapidem ne talis licentia concederetur a Rota ut obtineret: quapropter per Angelum Mausonium procuratorem suum Auditoribus Rotae anno 1653 promisit se fideliter adimpleturum sui contractus onera tradendi gratis singulis Auditoribus copiam omnium bullarum, iubileorum et similium quae in dies imprimi contingeret.[1] Ast, forte quia sibi mos gestus non fuisset a Rota, pollicitationum brevi recordatus non est amplius, adeo ut actum fuisset in Rota - prout narrat Celsus in *Diario* - eum ad observantiam clausularum contractus iudicis ministerio adigere. Sed ex *Diariorum* ulteriori hac de re silentio, colligi posse videtur, Auditores qui et cum clericis Camerae, cum advocatis consistorialibus, cum Baronibus minoribus et cum nescio quot aliis contentiones tunc temporis fovebant, noluisse novam iudicialem contentionem et cum Impressore ciere.

9. – Haec mihi potiora relatu digna visa sunt de camerali Impressore et typographia, ne quem lateat cur Rotae Decisiones omnes typis editae inveniantur cameralis typographiae, et usque ad a. 1853 ex eadem typographia prodierint cuncta causarum Summaria et allegationes.

Specialia de rotali collegio.

CAPUT LX.

Quonam iure adipisceretur decanatus Rotae. Munia, iura et privilegia Decani.

1. – Cum non habeat imperium par in parem,[2] et Auditores Rotae inter sese, tum praelaturae gradu quum iurisdictionis vi, pares prorsus fuissent, unus aliis non praecessit nisi ratione antianitatis: antianitas vero - uti in cap. *De admissione novi Auditoris* retuli -

[1] Vol. III, pag. 382, n. 262.
[2] Decret. Greg. IX, lib. I, tit. VI, c. *Innotuit.* XX de elect.

dimetiebatur a die quo Auditor suum Motumproprium Rotae praesentaverat.

2. – Quapropter qui ex Auditoribus *facto* senior erat, et *iure* eorum primus erat: et *senior* appellabatur *Maior* seu *Decanus* quin, ut ita appellaretur, nominatione aut confirmatione vel adprobatione Vice-Cancellarii vel Papae indigeret; eique omnia competebant iura et onera officii Decanatus.

3. – Adeo ut quoties Rotae Decanatus vacavit, toties senior Auditor se pro Decano habuerit, sedens in loco, seu sella, Decani, eique tradebantur *Liber Rotae* et chartae quas praecedens Decanus in decanali archivio seu *tablino* asservasset. [1]

4. – Stylus huiusmodi nitebatur iure communi et iure canonico, illo praecipiente ut in omni collegio habeatur *Primicerius* qui primum locum obtineat, ad quem non per saltum, sed matricula decurrente, adscendat ne per ambitionem aut gratiam officiorum ordo perturbetur; [2] isto, autem, ut in collegiis successio non fiat nisi per gradus, [3] ne statim iuvenis inexercitatus sapientioribus et exercitatioribus praeferatur. [4]

5. – Ita quidem supremus honor Rotae - iustitia ac honestate expostulantibus - vigiliarum laborumque quos in administranda iustitia diutius senior Auditor sustinuerat, praemium fuit.

6. – Et ne huiusmodi notam amitteret unquam ac usque esset merces non tantum longioris temporis dilapsi sed assidue impensi laboris, apostolica constitutione Pius IV, anno 1562, sanxit, eodem iure Rotae Decanatum regi debere ac Decanatus sacri cardinalium collegii, quod, nempe, « perpetuis futuris temporibus occurrente vaca-« tione (Decanatus) ad antiquiorem causarum ... Auditorem in dicta « Curia (romana) residentem, aut ex causa publica absentem et « extra eamdem Curiam per Romanum Pontificem destinatum ... « (Decanatus) tantummodo devenire possit ». [5]

7. – Num etiam antecedente soeculo in more positum fuisset non assequi Decanatum Auditorem qui, illius vacatione occurrente, extra curiam vitam degeret non ex publica causa et per Pontificem destinatus, documentis mihi non constat. – Profecto piana lex exsecutionem rigidam nacta est insequentibus soeculis, vi cuius anno 1562

[1] *Liber s. Rotae 4.*

[2] Cod. libr. I, tit. XXXI, l. *Iubemus*, 5; tit. XXVIII, l. *Primicerius*, 5; libr. XII, tit. VII, l. *Praecipue* et l. *Praeclara*.

[3] Decret. Gratiani, c. I et ssq., dist. 77.

[4] Brunneman, l. I, tit. XXXI in l. *Iubemus*.

[5] Vol. III, pag. 303, n. 166.

Decanatum obtinuit Ioannes De Rubeis [1] et anno 1612 illum amisit Franciscus Sacratus. [2]

8. – *Antecedente soeculo*, dixi: nam quaerens quandonam Decani nomen et officium vires sumpserint, ea documentis quae mihi obvia facta sunt non ultra soeculum XV de Decani nomine et officio certi aliquid colligere potui. Emerix putat « verosimile esse originem « habuisse ab eo tempore quo Auditores in figura iudicii sedere et « causas expedire coeperunt, et paulatim, ut res humanae solent, « incrementum accepisse ». [3]

9. – Et ex parte huic opinioni subscribo: siquidem legis *Primicerius* vis urgere nequivit ante diem quo Capellanorum Auditorum causarum curiae domini Papae collegialitas tribunali tributa est, scilicet non ante Clementem IV; tunc in iudiciis perficiendis, quis ex Auditoribus primus esse deberet, definiendum fuit, et iuxta praecitatam legem verisimile est fuisse definitum. Et revera Iohannes XXII in constitutione *Ratio iuris* seniorem Auditorem tantummodo memorat, quia iam moris erat, primum omnium ipsum causas in consiliis ponere.

10. – Cetera munia et privilegia, non secus ac nomen, sumere vires non potuerunt nisi postquam Auditores, necessitate compulsi sese suaque iura contra multorum impetitiones tuendi, iura collegialitatis sibi inesse vindicare coeperunt, et ipsis revera collegialitas tandem aliquando recognita est; tunc enim nasci et ab inde sensim sine sensu, ut res humanae solent, incrementum accipere potuerunt munia et privilegia, quia ex tunc dumtaxat lex *Primicerius* suae vis plenitudine urgere potuit, seniori Capellanorum Auditorum illam praeeminentiae speciem tribuendo quae de iure communi cuiusvis collegii Primicerio est debita.

11. – Nam revera, Rotae Decano nil magis tributum est illa praeeminentiae specie quae primo inter pares necessario ac naturaliter in collegiis tribuitur, ac in exsequendis actibus eiusmodi praeeminentiae Rotae Decanatus officium totum constitit. [4]

12. – Hinc Decani fuit acta, statuta vel decreta universi collegii exsequi ac sub sua signatura et sigillo publici iuris facere; - coram Decano quae universo rotali collegio committerentur peragi ac tractari debebant - ac Decani quae universo collegio mitteben-

[1] Vol. III, l. c.
[2] Ibi, p. 332, nn. 201 et 202.
[3] *Praxis*, tit. VII.
[4] De Luca, *Relat. rom. Cur.*, disc. XXXII, n. 6.

tur sive superiorum epistolia vel ordinationes dirigebantur, erat suis Coauditoribus communicare [1].

13. – In iudiciis peragendis, iuxta ordinationem Iohannis XXII ipse primitus debebat causas suis Coauditoribus incipere referre; ac inter causas discutendum illius erat sedulo invigilare « ut discussio- « nes nimium non incalescerent, aut ultra quam causae gravitas vel « status postularet, in longum non protraherentur, admonendo gra- « viter et humaniter, si contingeret in illis peccare; ut non darentur « dubia superflua vel non congrua seu non evacuantia totam causam: « ut Auditores illa ponerent in Relatione, seu ut vulgo dicebatur, « proponerent debito tempore; ut extensionem suarum Decisionum « in longum (ipsi Auditores) non protraherent; ut in illarum exten- « sione essent clari, et quantum fieri potuisset, breves; ut non « facile allegarent Auctores reprobatos et non firmarent conclusiones « novas, maxime contra stylum et Decisiones antiquas; ut non rece- « derent a norma sibi a suis Corresponsalibus in consiliis praescripta; « ut Advocati et Procuratores in scribendo et informando se conti- « nuissent intra limites defensionis causarum et non evagassent ad « extranea quae partem ex adverso scribentem laedere seu offendere « potuissent; ut qui *in iure scribere* incipiebant, non subscripsissent « nisi habita desuper a se, vel a Rota, licentia; ut nemo se inges- « sisset ad *scribendum in facto*, uti Procurator, nisi prius de more « fuerit examinatus et adprobatus; ut Notarii nil exigissent ultra taxam « (serius consuetudine postea apostolicis constitutionibus, et denique in « Reformatione Pauli V) praescriptam [2] ». – « Decanus, causas Audi- « torum absentium, cedentium vel decedentium, aut alias illas pro- « ponere impeditorum, ali proponendas distribuebat. Ipse, illorum « loco, decisiones extendebat vel ali extendendas committebat, sen- « tentias subscribebat, dubia proponebat, causarum relationes faciebat. « Et denique, uno verbo, assidue procurabat ut omnia ita sincere, « candide, et sollicite peragerentur, ut Tribunali debitus honor con- « servaretur, et partibus litigantibus recta et expedita iustitia admi- « nistraretur ». [3]

14. – Decanus, collatis cum Auditoribus consiliis, mense sept. Rotas quae haberentur per novum annum iuridicum, statuebat; diem aperitionis Rotae et Auditorem qui ea die habiturus erat orationem designabat; chartam rotalem in qua Rotae novi anni iuridici descri-

[1] Arch. Rot., *Diaria*.
[2] Emerix, *Praxis*, part. I, tit. VII.
[3] Idem, ibi, l. c.

bebantur, iubebat confici et signabat.[1] Et in prima Rota post ferias generales unam causam ex privilegio proponebat.

15. – Decano Rotae ius subrogandi privative, contra supremum Signaturae tribunal, competebat[2] non secus ac ius petendi ferias generales;[3] ac illi cumulative cum Praefecto Signaturae Iustitiae ius erat concedendi *supersessorias*, ad quas obtinendas citabatur pars adversa coram Decano ad videndum supersederi.[4]

16. – In vim constitutionis « Licet curandum » examini subiicere et approbare notarios et ceteros officiarios cancellariarum Rotae, Decani fuit, cui privative et duobus Auditoribus senioribus cognoscere spectavit controversias inter notarios et officiales rotalium officiorum quae forte excitatae fuissent decretis visitationis[5] quae quotannis ab eodem Decano et duobus senioribus erat peragenda.[6]

17. – In vim autem constitutionis « Cum primum » Clementis XIV Decano et duobus Auditoribus senioribus competebat inquisitio circa Adiutores studii et Secretos si eorum muneri haud satisfecissent, exceptis casibus gravioribus, in quibus exquirendum erat oraculum Sanctissimi.[7]

18. – Et traductores qui ex externis idiomatibus in latinum causarum acta vertebant, Decani erat approbare.

19. – Sequuta morte Pontificis, Auditores in aedibus Decani convocabantur ad deliberandum quid esset agendum tempore sedis vacantis;[8] Decano vero competebat oratio in primo accessu Rotae ad novum Pontificem, et ideo eximebatur ab habenda oratione in apertura Rotae, qua exemptione gaudebat etiam si factus episcopus in Rota mansisset Locumtenens.[9]

20. – Quae Decani fuissent in admissione novi Auditoris, retuli fuse superius tractans: *De admissione novi Auditoris;* illis, heic addam, Decano stetisse committere examen conclusionum uni ex Auditoribus (qui solebat esse Subdecanus) ut, expunctis ex arbitrio, seligeret ex decem exhibitis publice disputandas ab electo Auditore[10] ac orare occasione claudendi vel aperiendi os novis Auditoribus.[11]

[1] *Diaria*, passim.
[2] *Diaria.*
[3] Vol. III, pag. 374, n. 245.
[4] Ridolphinus, *Praxis rec.* part. III, c. V, n. 145.
[5] Vol. III, pag. 585, n. 468.
[6] Ibi. l. c., *septimo.*
[7] Ibi, pag. 598, n. 471, 14.
[8] Arch. Rot., *Liber s. Rotae; Diaria.*
[9] Ibi, l. c.
[10] [11] Ibi, ll. cc.; ex istis omnibus complura videas in meo III vol., nn. 183, 189, 313, 443, 449, 451, 510 etc.

21. – Absente Camerario, eius munus gerebat Decanus vel qui ab ipso eligeretur: decedente autem eodem Camerario vel discedente, continuabat Decanus usque ad biennii consummationem. [1]

22. – In ipsius facultate erat cui vellet revisionem committere et licentiam dare imprimendi *Decisiones* extensas post obitum vel discessum Auditorum Ponentium; [2] item, ipse suo Studii Adiutori committebat collationem exemplaris antiquae Decisionis iterum imprimendae cum suo originali. [3]

23. – Denique, solus Decanus omnium Auditorum nomine respondere debebat commendatitiis litteris cardinalium et Principum. [4]

24. – Haec et huius generis munera fuerunt Decani: his vero nonnulla alia addita sunt a testatoribus qui Rotam constituerunt exequutricem suarum voluntatum, ut ecce, v. gr. celeber Amadori qui voluit Decano Rotae facultatem competere nominandi Procuratorem in causis defendendis a praelatura Amadori, ius eligendi cum Rotae confirmatione advocatum auditorem ad eamdem praelaturam, ac ius subscribendi rationibus Rotae collegio redditis a praelato Amadorio. [5]

25. – Privilegia vero Decani fuerunt: 1° interveniendi confectioni regularum Cancellariae post electionem novi Pontificis; [6] 2° interveniendi Signaturae gratiae et iustitiae quum coram Sanctissimo haberetur, ac in ea sedendi prope illius tribunalis decanum; [7] 3° recipiendi ex inveterata consuetudine [8] nominationem ad consultoratum sancti Officii, atque in illa sacra Congregatione sedendi in loco digniori [9] quin tamen ei competeret praecedentia supra patrem generalem Dominicanorum; [10] 4° item consultoratum sacrae Rituum Congregationis; [11] 5° sedendi in Congregatione reverendae Fabricae s. Petri; [12] 6° commendandi aliquem sibi benevisum advocatum collegio procuratorum cum eius aliquod vacasset locum; [13] 7° si ad cardinalatus honores eveheretur, praecedendi ceteros omnes novos cardinales qui episcopi vel prothonotarii apostolici de numero non

[1] [2] [3] [4] Arch. Rot., *Liber s. Rotae; Diaria.* Ex istis omnibus complura videas in meo III vol., nn. 183, 189, 313, 443, 449, 451, 510 etc.

[5] Arch. Rot., ll. cc.

[6] Card. Petra, *Comment. ad Const. Apost.,* tom. IV, pag. 50, n. 8.

[7] Tailetti, l. c.; vol. III, pag. 381, n. 260.

[8] Arch. Rot., *Liber S. Rotae,* 4, pag. 347.

[9] Tailetti, l. c.; vol. III, pag. 620, n. 494.

[10] Arch. Rot., *Liber S. Rotae,* pag. 272 et ssq.; vol. III, 449, n. 365.

[11] Tailetti, l. c.

[12] Idem, ibi.

[13] Arch. Rot., *Liber S. Rotae,* 4, pag. 277.

essent,[1] eidem uni reservato honore excipiendi tali in adiuncto universum collegium Rotae quod ad eum accedebat ut ei panderet laetitiae signa;[2] 8° die consistorii secreti, ad differentiam ceterorum Auditorum qui personaliter accedebant, mittendi ad novos cardinales Magistrum suae domus ad eisdem pandenda laetitiae signa;[3] 9° recipiendi a summo Pontifice duas candelas in die Purificationis B. V.;[4] recipiendi palmam similem illae quae cardinalibus eadem die distruebatur;[5] se vocandi Archicapellanum Papae et Reverendissimum;[6] recipiendi agnos benedictos ex quorum lana conficiuntur pallia archiepiscoporum;[7] 10° Papae in cappellis inserviendi de mitra eumdemque sequendi;[8] 11° recipiendi 200 scutata auri in auro quotannis occasione prandii quod dari solemne fuit in ultima Rota iulii, et prandio sublato, 4 numismata (2 aurea et 2 argentea) in substitutionem prandii ablati.[9]

26. – Haec potissima ac constanter Decano privilegia tributa fuerunt: aliis gavisus fuit, ut ecce recipiendi nominationem ad Regentatum sacrae Poenitentiariae; sed firma eidem non manserunt.

27. – Privilegia verum et iura quibus gavisus est Decanus, eum in honoris loco statuerunt, ast usque reliquerunt in paritate gradus quoad ceteros Auditores. Attamen tot ac talia fuerunt, ut Decano Rotae congruum visum sit, nonnisi supremas dignitates conferre ubi Papa maiori praemio impensam ab illo operam rependere statuisset. Et revera factum fuit quod usque dum retentum est nil maius episcopatu esse in ecclesia Dei, Decani ad episcopatum promoti fuerint; quum vero cardinalitia dignitas omnium apex habita est, hac decorati fuerint Decani, qui vel die mortis non fuissent praeoccupati, vel emeriti non fuissent declarati, vel Auditoratui nuncium non misissent, prouti melius duobus insequentibus capitibus ostendam.

[1] Arch Rot., *Diaria.*
[2] Ibi, *Liber S. Rotae*, 4, pag. 254.
[3] Tailetti, l. c.
[4] Idem, ibi.; vol. III, pag. 331, n. 200.
[5] Idem, ibi.
[6] Idem, l. c.
[7] Idem, ibi.; vol. III. pag. 398, n. 285.
[8] Idem, ibi.; vol. III, pag. 236 ssq. n. 141 in fine.
[9] Idem, ibi. ; vol. III, pag. 320, n. 186.

CAPUT LXI.

Quibus de causis amitteretur Decanatus Rotae.

1. – Si contigeret Rotae Auditorem praecellentiori aliqua dignitate vel officio cohonestari, ad Decanatum assequendum vel retinendum, impar reddebatur.

2. Ideo, soeculo XV, quo adhuc magni dignitas protonotariatus fiebat, eaque cum auditoratus retentione non raro condecorati sunt Rotae Auditores, ii praesertim qui, electi in episcopos, hac illave de causa factae electioni nuncium miserunt (uti Geminianus de Prato, Baptista de Roma – *vol. II, n. 251, pag. 45 et n, 286, pag. 52*, etc.), haec quominus Auditor protonotarius Decanatus potiretur, vel Decanus, creatus in protonotarium, illum sibi retineret, obstabat. Itaque, Ludovisius da Ludovisiis, [1] etsi senior Gaspare de Teramo, [2] protonotarius cum esset, in Decanatum Iohanni Didaci de Coca non successit, sed locum Gaspari cedere debuit. E contra, Geminianus de Prato, factus protonotarius post cassatam suam in episcopum electionem ob quam e Decanatu exciderat, illum non amplius reassumpsit: denique Petrus Martini de Caveisrubeis, [3] Decanus, protonotariatum assequutus, Decanus esse desiit.

3. – Verum, etsi haec protonotariatus dignitas iure Auditores privaret assequendi vel retinendi Decanatum, eos tamen neque ab Auditoratu neque a collegio Auditorum alienabat, eosque in nativo gradu praecedentiae, quoad ceteros Coauditores, linquebat. Re ipsa, Auditores protonotarii nullo speciali nomine vocati sunt; neque documentis ostenditur ullo modo ipsos extorres a collegio fuisse: tantummodo scimus, ipsos, saltem per primam medietatem soeculi XV, facultate a Papa indiguisse retinendi Auditoratum. Hoc expresse legimus factum fuisse quum Baptista de Roma, episcopus theatinus, episcopatui valedixit et protonotarius creatus est. [4] Ita quidem tunc temporis: postea – ubi nempe collegialitas Auditorum coetui recognosci occepit et recognita est – mos iste Auditores promovendi ad protonotariatum sensim desiit, et pauca quidem nomina occurrunt in textibus, quibus protonotariatus conlatus fuerit.

[1] Vol. II, n. 297, pag. 54-55.
[2] Ibi, n. 308, pag. 59.
[3] Ibi, n. 278, pag. 50.
[4] Ibi, n. 286, pag. 52.

4. Multo magis quam protonotariatus, dignitas episcopalis ad quam usque consueverunt Pontifices evehere pro sua benevolentia aut pro illorum merito Auditores Rotae, impedimento fuit, quominus isti Decanatum vel consequerentur, vel retinerent.

5. - Sed episcopatus, secus ac protonotariatus, uti propter suam praecellentiam non sinebat iam existentem episcopum fieri Auditorem, ita, Rotae Auditori conlatus, tunc e collegio extorrem efficiebat, imparem ideo eumdem reddens, Decanatum tum assequendi, quum retinendi. [1]

6. – Et haec fuit constans regula Rotae: quae tamen primam exceptionem passa fuisse videtur anno 1485 quo Decanatus vacatio contigit ob Auditoratus dimissionem factam in manibus Papae ab Antonio De Grassis, Decano, promoto ad ecclesiam tiburtinam.

7. – Sedebat tunc temporis in Rota Iohannes de Ceretanis, ceteris omnibus Auditoribus utique senior, qui tamen episcopus cum esset, nequibat Decanatus potiri, ceu illius eadem de causa potitus non fuerat anno 1481 quo Decanatu vacante per mortem Gasparis de Theremo, illum assumpsit Antonius de Grassis. [2] Immediate post Iohannem sequebatur, antianitatis ordine, Hyeronimus de Porcariis ac deinde Guilelmus de Pereriis.

8. – Decanus igitur post Antonium De Grassis, praefato anno 1485, fieri debebat Hyeronimus de Porcariis. E contra, tum in copia simplici *mandati* Tristani de Deciis quae ab Auditoribus religiose inter documenta *Admissionum* servata est, tum in *Manualibus* notariorum, quoties decanalia quaedam acta in eis adnotantur, tum in Auditorum cathalogo ab auctore praxeos Cancellariae sub fine soeculi xv tradita,[3] Decanus Rotae perhibetur Iohannes de Ceretanis, episcopus nucerinus, qui officium gessisset ad diem usque 23 iulii 1492 quo ex hac vita migravit. [4]

9. – Quinimmo, ex *Manualibus* apertissime colligitur mense novembris 1493 Decanum fuisse Guilelmum de Pereriis et Hyeronimum de Porcariis, episcopum andren. vice-decanum, de quo tamen eadem *Manualia* testantur mense octobris anni insequentis 1494 fuisse Decanum: denique sub die 26 aprilis 1495 quo, etiam iuxta Eubel,

[1] Emerix (*Praxis part. I, tit. VII*) asserit, episcopos esse incapaces Decanatus « ex quo ipsi non sunt amplius Auditores, seu Capellani Pape, sed Locumtenentes « et Fratres, seu Episcopi, ita ut inconveniens sit, illos assumi in caput tribunalis, « cuius non sunt membrum, nisi fictitie et dispensative ».

[2] Cfr. cap. insequens.

[3] Vol. III, pag. 233, n. 139.

[4] Cfr. caput. insequens.

Hyeronimus factus fuit episcopus andren. iterum *Manualia* Gulielmum de Pereriis Decanum describunt.

10. – Quomodo revera se res habuerint et quanam de causa evidens haec confusio facta sit in successione decanali, ex praefatis historicis documentis mihi non patuit. Attamen duo per id temporis evenere quae silentio premi heic non posse reor.

11. – Nam mense augusto 1485 Innocentius VIII, omnium cordatorum hominum vota obsecundans, celebrem edidit constitutionem « Circumspecta in omnibus » qua, « de fratrum ... Cardinalium « consilio », sanxit, non posse in posterum in Rota circa iudiciorum strepitus versari perseverare Auditorem quem promoveri ad episcopalem sedem, vel si promotus fuisset iam, ad aliam transferri contingeret, illius loco pro vacante habendo vix ac promotio vel translatio decerneretur.

12. – Profecto constitutio haec rotali archivio non mansit, neque illius exsecutionis vestigium quodvis historica Rotae monumenta in posteritatem servarunt: e contra, prouti episcopus nucerinus, solus tunc temporis Locumtenens, perrexit ad mortem usque suam sedere in Rota, ita tot post latam constitutionem Locatenentes uno eodemque tempore in Rota consueverunt manere, quot forte nunquam anteactis tempestatibus.

13. – Alterum gravissimum contigit anno 1486, quo idem Innnocentius in Auditorem Rotae elegit doctorem iuris famosissimum, Tristanum de Deciis, qui tamen bastardus erat. Hunc admittere perfracte noluerunt Auditores, qui tanta animi constantia contra dimicuerunt, ut exilium elegerint potius quam bastardi labe sacrum ordinem inquinari.

14. – Duo haec, nempe constitutio, veterem ac inveteratum Rotae stilum immutans, lata inauditis Auditoribus de solo cardinalium consilio, et electio bastardi, nequibant maximae perturbationis causam non esse, praesertim existentibus Rotae Auditoribus Iohanne de Ceretanis qui iam Pio II ita restiterat ut ab eo suspendi meruisset ab auditoratus officio,[1] et Hyeronimo de Porcariis, ex illa Porcaria gente cuius rebelliones historia non ignorat, qui quum electus fuerat in Auditorem Rotae, ab Auditoribus admitti noluerat, *quia nolebat servare servanda in admissionibus*.[2] Et excitata perturbatio non durare per aliquot annos nequibat.

15. – Sed hac conquiescente, regula Rotae ad amussim posthac servata est: ita ut – quando sub Clemente VIII (die 2 augusti 1602)

[1] Vol. III, pag. 161, n. 92.
[2] Vol. II, n. 327, pag. 67.

Seraphinus Olivarius Rezzalius, Decanus, ab ipso Clemente – olim collega suo – evectus fuit ad patriarchatum alexandrinum *cum retentione tamen Auditoratus*, dubio exorto, utrum Papa intellexerit illi relinquere etiam Decanatum, « interrogante (Papam) Illustrissimo Blan« chetto (qui fuerat Auditor Rotae) dum Sanctitas Sua diceret cum « retentione Auditoratus, an intelligeretur etiam cum retentione Deca« natus, Sanctissimus responderit: *Auditores Rotae habent suas Con« stitutiones, et ipsi hoc declarabunt* ». Et factum fuit quod in congregatione rotali, habita in Sapientia die 18 sept. illius anni « factis « quibusdam ceremoniis, recusante Dño Pamphilio praecedere Dñm « Seraphinum Patriarcham Alexandrinum, qui prius Decanus erat, « tandem coepit praecedentiam... idem Dñs Pamphilius *novus Deca« nus*, dixit Dño Ludovisio, etc. ». [1]

16. – Aliam exceptionem regula Rotae passa est, soeculo XVIII – Pompeus Aldrovandi, archiepiscop. Neo-Caesareae, – defuncto Decano Ciriaco Lancetta, – voluit ad sedem Decanalem ascendere contra seniorem Auditorem, Falconerium prius et postea Cerrum; Auditores viriliter restiterunt. Arsit tunc acris controversia, et Aldrovandus supplicem dedit libellum pontifici Benedicto XIII, qui ad eam definiendam, deputavit Congregationem particularem trium cardinalium, nimirum, Polignac (olim Rotae Audit.) Bellugae et Petrae et quatuor praelatorum, nempe Cosciae et Finy, Tedeschi et Gamaches (Rotae hic Auditor) pro voto. In duplici propositione causae, ostendere sategit Aldrovandus dignitatem archiepiscopalem in *partibus*, ei impedimento esse non posse, quin decanatum assequeretur; sed, fortasse desperans victoriam reportare, cum contra ipsum urgerent constitutiones apostolicae et, ultra legalia solidissima argumenta, inveterata plurium soeculorum observantia, in secunda propositione petiit decanatum per modum dispensationis seu gratiae.

17. – Votum tandem prodiit a dicta Congregatione – non sine tamen maxima suffragiorum scissura – ad favorem Aldrovandi. [2] Lite pendente Alexander Falconerius et (ipso interim s. purpura cohonestato) Carolus Cerrus, Decani munere functi sunt sub titulo Pro-Decani [3] qui tamen instrumenta processus Gentilotti (fabricati coram A. Falconerio) [4] et processus S. Cincii (fabricati coram Cerro) [5] sigil-

[1] *Diar. Cocc.*, n. 66, fol. 11.
[2] Arch. Rot., *Ordinationes*, n. XXVI.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae*.
[4] Ibi, *Processus*, vol. II, n. CII.
[5] Ibi, l. c., n. CIII.

larunt sigillo non suo, sed praedefuncti Ciriaci Lancetta, Decani, uti videre est in fine praedictorum instrumentorum. Lite vero finita, Aldrovandus Decanatus potitus est die 22 febr. 1726, et Decanum egit usque ad annum 1733 quo, cum renunciatus fuerit Urbis gubernator, Decanatum tandem aliquando dimisit.[1]

18. – Ne autem in futurum oriretur simile dissidium in casu vacationis Decanatus, Auditores a pontifice Clemente XII petierunt, ut negocium huiusmodi decidere dignaretur. Et Pontifex constituta nova cardinalium Corradini, Orighi, Petra, Passeri et Orsini sacra Congregatione speciali, illi negocium definiendum commisit. Et sacra Congregatio, vetustissimum tribunalis stylum confirmans, Papae consuluit ut pontificia constitutione firmaret quod tot soeculorum observantia et suorum praedecessorum constitutiones statuerant. Prodiit hinc die 17 nov. 1734 bulla Clementis XII « In summi pontificatus », qua sancitum est: *Quod Decanatus Sacrae Rotae Auditorii, ab Episcopo etiam titulari optari non possit.*[2] Et deinceps nullus episcopus Locumtenens in Rota, Decanus factus est amplius.

19. – Denique Decanatus amittebatur quavis promotione alia quae redderet huiusmodi officium incompatibile cum illo ad quod Decanus assumebatur. Hinc, ut aliquod afferam exemplum, Aldrovandus Decanatui valedixit, factus Urbis gubernator; ita porro, uti accuratius apparebit inferius, cap. LXII.

20. – Summa vero ratio ob quam quis non tantum desinebat esse Decanum, sed a Rota penitus exibat, fuit eius elevatio ad s. purpuram. Ob hanc reliquerunt Decanatum directe numero 15 Decani nempe Hier. Pamphilius, an. 1604; Carolus Cerrus an. 1669; Marcellinus Corius an. 1734; Carolus Calcagninus an. 1743; Marius Millinus an. 1747; Petrus Franc. Bussius an. 1759; Ioan. M. Riminaldus an. 1785; et soeculo XIX: Alph. de Bayane; F. Cesarei; F. Serlupi; Ioachim Isoard.; Alex. Spada; Cosmas de Cursiis; Ioseph Bofondi; et Petrus de Silvestris. Ex Decanis qui prius sederunt in Rota Locatenentes, ob promotionem ad cardinalatum Rotam linquerunt P. de Accoltis et A. de Grassis an. 1511: D. de Iacobatiis an. 1517; Iacobus Simonetta an. 1553; Iacobus Puteus an. 1550; Seraphinus Olivarius an. 1604; Urbanus Paraccianus an. 1766. Heic non praetermittam adnotare Aldrovandum obiisse cardinalem.

21. – Tandem aegra viribus senecta alia fuit causa ob quam saltem exercitium Decanatus amittebatur, salvis tamen in senescente

[1] *Liber S. Rotae*, 2, citato anno.
Cfr. vol. III, pag. 502, n. 409.

aegroque Decano Decanatus honoribus. Coepit hic mos soeculo XVIII, cum senex Vaius de Vaiis *Emeritus* declaratus fuit an. 1752. Post hunc enumerantur *Emeriti:* A. Ratta, an. 1783; Carolus Origo, an. 1792; Ioan. Resta, an. 1809; P. Ios. d'Avellà, an. 1851; et denique Ignatius Alberghini, qui an. 1861 oblatae sibi purpurae etiam renuntiavit.

22. Unicus ex Decanis qui nec morte, nec promotione aliqua Decanatui et Rotae valedixit fuit Emmanuel Muzzarelli. De eo *Libr. iur.* adnotat: « *Vicissitudinibus anni 1845 implicatus, Rotae Auditor « esse desiit* ».[1]

CAPUT LXII.

Chronotaxis Decanorum Rotae

QUALIS DUCUMENTIS ARCHIVII ROTALIS CONFICI POTUIT ANNO 1914.

1. – GEMINIANUS DE INGERAMIS *de Prato* - certe Decanus anno 1443 (*Testam.*, n. 1); deinde episcopus electus, ac, electione cassata, protonotarius (vol. II, n. 251, pag. 45).

2. - ALPHONSUS SEGURA, *Hispanus* – certe Decanus anno 1447 (*Invent.*, n. 2; vol. II, n. 269, pag. 47). Anno 1449, eps mindonien. (vol. II, l. c.).

3. – PETRUS MARTINI DE CAVEISRUBEIS, *Burgen.* – certe Decanus anno 1451 (*Libri rationum capelle*, I); anno 1456, protonotarius (ibi, II; vol. II, n. 278, pag. 50).

4. – IOHANNES DIDACI DE COCA, *Burgen.* - ab anno 1456 ad 13 febr. 1470 quo promotus fuit in epm calaguritanum (*Admissiones, Pio II, pluries;* vol. II, n. 291, pag. 53); mansit in Rota Locumtenens. (vol. II, l. c.).

5. – GASPAR *de Teramo* – ab anno 1470 ad 1482, quo obiit extra romanam curiam (vol. III, nn. 111, 113, 120, pag. 181 ssq.; ibi, n. 124, pag. 203; vol. II, n. 308, pag. 59).

6. – ANTONIUS DE GRASSIS, *Bononien.* – ab an. 1482 ad 2 martii 1485 quo factus fuit eps tiburtinus (vol. III, n. 124, pag. 203; Eubel, *Hier. cath.*, vol. II, n. 317, pag. 62-63).

7. – (?) IOHANNES DE CERETANIS, *Interamnen.* – eps nucerinus, forsan Decanus die 2 martii 1485 ad diem 23 iul. 1492 quo est mortuus (cfr. quae scripsi supra, pag. 288).

8. – GUILERMUS DE PERERIIS, *Gallus* – certe Decanus nov. 1493 (*Manuale*, 26).

[1] Cfr. vol. II, n. 641, pag. 239.

9. - Hieronimus de Porcariis, *Romanus* – certe Decanus oct. 1494 (*Manuale*, 26).

10. – iterum Guilermus de Pereriis – a die 26 april 1495, quo Hieronimus de Porcariis promotus est in epm andren. (*Manuale*, 26) ad diem 17 nov. 1500 quo obiit (*Manuale*, 43).

11. – Petrus de Accoltis, *Aretinus* – a die 17 nov. 1500 ad 4 april. 1505 quo renunciatus est eps anconitanus (*Manuale*, 42; *Ordinationes*, n. XIV) cardinalis 10 mart. 1511 (Eubel, l. c.).

12. – Achilles de Grassis, *Bononien.* – a die 4 april 1505 ad d. 14 febr. 1506, quo promotus est in epm Civitatis Castelli (*Manuale*, 59; *Ordinat.*, n. XV) cardinalis, 10 mart. 1511 (Eubel, l. c.).

13. – Dominicus de Iacobatiis, *Romanus* – 14 febr 1506; 8 nov. 1511 quo fit eps lucerinus (*Libri rationum*, VIII) cardinalis, 1 iul. 1517 (Eubel, l. c.).[1]

14. – Mercurius de Vipera, *Beneventanus* – 8 nov. 1511 ad 23 mart. 1523 quo promotus est episcopus balneoregien. (*Manual*, n. 80; Cassador., *Decis. XII*, sup. *Reg. Cancell.*, etc.; Eubel, l. c.).

15. – Iacobus Simonetta, *Mediolanen.* – 23 mart. 1523 ad 17 iul, 1528 quo promotus est episcopus pisauren. (*Admiss.* Mandat. P. Worst et I. Clerici, etc.) cardinalis 20 maii 1535 (Eubel, l. c.).

16. – Petrus Paulus Capisucchus, *Romanus* – 17 iul. 1528 ad 7 nov. 1533 quo factus est episcopus neocastren. (*Admiss.* Mp. H. Novati; *Ordinat.* de Notar. n. VII; Eubel, l. c.).

17. – Ioannes Clericus, *de Pago Castelli* – 26 nov. 1534 ad 9 ian. 1535 quo promotus est episcopus maceraten. (*Admiss.* Mp. Veralli et de Ripantibus; *Ordinat.* l. c., n. VII; Eubel l. c.).

18. – Nicolaus Aragonia, *Siculus* – 9 ian. 1535 ad 26 ian. 1537 quo renunciatus est episcopus bossanen. (*Admiss.* Mp. I. P. Tholomaei; *Ordinat.* l. c., n, V et VII; Eubel, l. c.).

19. – Silvester Darius, *Lucen.* – 26 ian. 1537 ad 1543 quo est mortuus extra r. curiam (*Puteus*, Decis.; *Ordinat.*, n. XXVI).

20. – Marcus Antonius Marescottus, *Bononien.* – an. 1543 quo et ipse est mortuus (*Admiss.* Mp. P. de Faba; Puteus l. c. et *Ordinat.*, l. c.).

[1] In libro *Inventaria et Testamenta*, parte II *Notulae*, pag. 8, adest scripta declaratio qua quidam Gispertus Somlis, rector eccl. parochialis S. Mariae in Vallicella, appellat Marianum de Bartolinis, Decanum Rotae, sub die 27 oct. 1507. Sed Bartolinius fuerat Thesaurarius ad mensem usque augusti illius anni, et tantummodo mense octobri solvit pecunias praedicto Gisperto quae erant honoraria Missarum. Ceterum Bartolinius vita functus est anno 1509, Decano Rotae Iacobatio: igitur nunquam Decanus esse potuit.

21. – Ioannes Paulus Tholomaeus, *Ferrarien.* – 1543 ad 1547 quo est mortuus (*Admiss.* Mandatum Pighini Processus Reomani).

22. – Iacobus Puteus, *Nicien* – 1547 ad 18 april. 1550 quo electus est episcopus baren. (*Admiss.* Mp. H. Novati iunioris) cardinalis 29 dec. 1550; (Eubel, l. c.),

23. – Fabius Accorambonus, *Eugubinus* – 18 april. 1550 ad 14 iul. 1559 quo est mortuus (*Liber iuramenti*).

24. – Iulius Oradinus, *Perusinus* – 14 iul. 1559 ad 17 april. 1562 quo electus est *perusinus:* renunciavit episcopatui an. 1564 (*Admiss.* Mp. I Rotae; *Ordinat.* n. XXVI; Eubel, l. c.).

25. – Ioannes Baptista de Rubeis, *Romanus* – 17 april. 1562 ad 6 sept. 1564 quo officium dimisit (*Ordinat.*, n. 26),

26. – *iterum* Iulius Oradinus – 6 sept. 1564 ad 1573 quo est mortuus. (*Admiss.* Mp. S. Olivarii et alibi *Ordinat.*, l. c.; *Diarium Seraphini*).

27. – *iterum* Ioannes Baptista de Rubeis – 1573 ad 7 sept. 1590 (*Diar. Seraphini* et *Hier. Pamphilii* sub ea die et anno quo morte oppetiit).

28. – Seraphinus Olivarius Rezzalius, *Lugdunen.* – 7 sept. 1590 ad 26 aug. 1602 quo renunciatus est patriarcha alexandrinus (*Diar. Pamphilii* et *Poeniae*) cardinalis 9 iun. 1604 (cit. *Diaria* et *Diar. Coccini*).

29. – Hieronimus Pamphilius, *Romanus* – 26 aug. 1602 ad 9 iun. 1604 quo ad cardinalatus honorem evectus est (*Diaria*).

30. – Franciscus Poenia, *Caesaraugustanus* – 14 iun. 1604 ad 21 aug. 1612 quo obiit (*Diaria*).

31. – Ioannes Baptista Coccinus, *Venetus* – 21 aug. 1612 ad 8 ian. 1641 quo est mortuus (*Diaria*).

32. – Philippus Pirovanus, *Mediolanen* – 8 ian. 1641 ad 10 sept. eiusdem anni, quo obiit. (*Diaria*).

33. – Clemens Merlinus, *Forolivien.* – 10 sept. 1641 ad 24 iul. 1652 quo defunctus est (*Diarium Cerri*, tom. II).

34. – Amatus Du Nozet, *Antissiodoren.* – 24 iul. 1652 ad 14 oct. 1657 quo obiit (*Diaria*).

35. – Carolus Cerrus, *Romanus* – 14 oct. 1657 ad 24 nov. 1669 quo est promotus ad cardinalatum (*Diaria*).

36. – Antonius Albergatus, *Bononien.* – 29 nov. 1669 ad 14 iul. 1686 quo est mortuus (*Diaria*).

37. – Iacobus Emerix, *Leodien.* – 14 iul. 1686 ad 2 sept. 1696 quo morte oppetiit (*Diaria*).

38. – Alexander Ursinus, *Romanus* – 2 sept. 1696, defunctus an. 1698 die 31 oct. (*Diaria*).

39. – Ioseph Molines, ex *Catalaunia* – 31 oct. 1698 ad 8 ian. 1717 quo Rotae valedixit generalis Hispaniarum Inquisitor (*Diarium Camerale*).

40. – Ansaldus de Ansaldis, *Florentinus* – 8 ian. 1717 ad 7 dec. 1719 quo diem clausit extremum (*Diarium Camerale*).

41. – Cyriacus Lancetta, *Romanus* – 7 dec. 1719 ad 22 nov. 1723 quo fuit declaratus *Emeritus*. Obiit 13 april. 1725 (*Diarium Camerale*).

42. – Alexander Falconerius, *Romanus* – Pro-Decanus ad 11 sept. 1724 quo creatus fuit cardinalis (*Diarium Camerale*).

43. – Carolus Cerrus, *Romanus* – Pro-Decanus 11 sept. 1724 ad 13 april. 1725 et fervente controversia Decanatus, mota ab P. Aldrovando ad diem usque 22 febr. 1726 (*Diarium Camerale*).

44. – Pompeus Aldrovandus, *Bononien.* – Archiep. Neocesareae, 22 febr. 1726 ad 18 sept. 1733 quo, Urbis Gubernator factus, Decanatui renuntiavit. Obiit cardinalis (*Diaria*).

45. – Marcellinus Corius, *Mediolanen.* – 18 sept. 1733 ad 1 sept. 1734 quo promotus est ad Urbis gubernium (*Diarium Camerale*).

46. – Carolus Calcagninus, *Ferrarien.* – 1 sept. 1734 ad 9 sept. 1743 quo ad s. purpuram evectus est (*Diaria*).

47. – Thomas Nunez, *Oveten.* – 9 sept. 1743 ad 2 iulii 1744 quo obiit (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 376).

48. – Marius Millinus, *Romanus* – 2 iul. 1744 ad 10 april. 1747 quo s. purpura est cohonestatus (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 400),

49. – Vaius Maria de Vaiis, *Praten.* – 10 april. 1747 ad 7 ian. 1752 quo declaratus fuit *Emeritus*. Obiit die 16 ian. 1757 (*Diaria ; Liber S. Rotae*, 2, pag. 400-441).

50. – Petrus Franciscus Bussius, *Romanus* – 7 ian. 1752, pro-Decanus; 16 ian. 1757, Decanus ad 24 sept. 1759 quo cardinalis est creatus (*Diaria ; Liber S. Rotae*, 2, pag. 441-467).

51. – Claudius Franciscus de Canillac, *Gallus* – 24 sept. 1759 ad diem defunctionis suae 13 febr. 1761 (*Diaria ; Liber S. Rotae*, 2, pag. 467-510).

52. – Urbanus Paraccianus, *Romanus* – 13 febr. 1761 ad 9 iul. 1764 quo promotus est archiep. firmanus; deinde cardinalis 26 sept. 1766 (*Diaria ; Liber S. Rotae*, 2, pag. 510-647).

53. – Bartholomaeus Olivatius, *Mediolanen.* – 9 iul. 1764 ad 11 sept. 1769 quo evectus fuit ad archiepiscopatum Amasiae, et episcopatum papien. (*Diaria ; Liber S. Rotae*, 2, pag. 647-779).

54. – Alexander Ratta, *Bononien.* – 11 sept. 1769 ad 27 ian. 1783 quo declaratus est *Emeritus* (*Liber S. Rotae*, 2, pag. 763; *Diaria*).

55. – Ioannes Maria Riminaldus, *Ferrarien.* – pro-Decanus per aliquot dies; Decanus autem mense febr. 1783 ad 21 febr. 1785 quo cardinalis est creatus (*Diaria*).

56. – Carolus Origo, *Romanus* – 21 febr. 1785; declaratus *Emeritus* 21 mart. 1792 (*Diaria*).

57. – Alphonsus de Bayane, *Valentinus* pro-Decanus a die 9 febr. ad 21 mart. 1792; postea Decanus ad 9 aug. 1802 quo s. purpura est cohonestatus (*Diaria*).

58. – Ioannes Resta, *Mediolanen.* – 9 aug. 1802 ad 1809 quo declaratus est *Emeritus* (*Diaria*).

59. – Franciscus Cesarei, *Perusinus* – iun. 1809 - prius pro-Decanus, deinde Decanus - ad aug. 1817 quo est creatus cardinalis (*Diaria*).

60. – Franciscus Serlupi, *Romanus* – aug. 1817 ad 10 mart. 1823 quo est creatus cardinalis (*Diaria*).

61. – Ioachim Isoard, *Gallus* – 10 mart. 1823 ad 25 iun. 1827 quo creatus est cardinalis (*Diaria*).

62. – Alexander Spada, *Bononien.* – 25 iun. 1827 ad 6 april. 1835 quo creatus est cardinalis (*Diaria*).

63. – Cosmas de Cursiis, *Florentinus* – 6 april. 1835 ad 24 ian. 1842 quo promotus est cardinalis eps aesinus. Deinde archiep. pisanus (*Diaria*).

64. – Ioseph Bofondi, *Forolivien.* – 24 ian. 1842 ad 11 iun. 1847 quo creatus est cardinalis (*Diaria*).

65. – Emmanuel Muzzarelli, *Bononien.* – 11 iun. 1847 ad 9 febr. 1849 quo Rotam cum Republica commutavit (*Diaria*).

66. – Petrus Ioseph D'Avellà, *Barcinonen.* – 9 febr. 1849 ad 14 nov. 1851 quo declaratus est *Emeritus*. Obiit 1853 die 26 aprilis (*Diaria*).

67. – Petrus de Silvestris, *Adrien.* – pro-Decanus 14 nov. 1851; Decanus 26 april. 1853 ad 15 mart. 1858 quo creatus est cardinalis (*Diaria*).

68. – Ignatius Alberghini, *Bononien.* – 15 mart. 1858 ad 16 sept. 1861 quo, declaratus *Emeritus,* Rotae et oblatae sibi purpurae renuntiavit (*Diaria*).

69. – Alexander Del Magno, *Volaterran.* – 16 sept. 1861. Vidit diem 20 sept. 1870 quo Rota siluit et aliquot post annos

obiit Romae (*Diaria*) gravatus aere alieno, uti in Urbe de eo usque vociferatum est: anno enim 1854, mense ianuario, Rota statuerat « notum eidem facere quid quid de eo in Urbe vociferatur etiam « quoad aes alienum, quo ipse, uti aiunt, continuo pressus exstat » (*Liber S. Rotae*, 4, pag. 536 in fine).

CAPUT LXIII.

De Auditorum seu Capellae Rotae Thesaurario, sive S. R. Rotae Camerario.

1. - Rotalis collegii officium, cuius certior ac firmior notitia in vetustioribus rotalis archivii monumentis reperitur, Thesaurarii Auditorum seu Cappellae Rotae - sive, prouti recentioribus soeculis est vocatum, sacrae romanae Rotae Camerarii - fuit. Et revera antiquius *Inventarium* confectum fuit a Iohanne Waling, Auditore Thesaurario, anno 1430.[1] Sed probabiliter antea incoepit, die nempe quo Rota, a consistorio Papae evulsa, certas sibi necessarias suppellectiles propriamque sibi comparare debuit cappellam, qua sacrum faciebat ante causarum discussionem, cuius rerum curam et custodiam confidi debuit ex Auditoribus uni.

2. – Nam Thesaurarii, seu Camerarii, fuit mobilium rerum rotali collegio pertinentium custodiam gerere, omniaque, eidem collegio per dies necessaria, providere: hinc, Cappellae collegii supellectiles et sacra vasa custodiebat earumque omnium inventarium conficiebat, cereos, vinum, aliaque ad Missae sacrificium necessaria emebat; Cappellano Rotae, Bedello, Campanario seu pulsatori campanae, salarium pendebat, curabatque satisfieri paucis Missarum legatis Rotae relictis; sigilla Rotae ac documenta in vetustatem servanda servabat, horologia, pulvinaria, orinalia et similia acquirebat, ac illius erat bancalia et cetera disponere quibus necesse erat die quo Rota aperiebatur et solemniter rotales constitutiones legebantur.[2] Recentius, quum Rotae certa archivii sedes fuit, huius clavis a Camerario custodiebatur; quum sacrorum palliorum custodia Rotae commissa fuit, clavim custodiae item Camerarius servabat ac primo diacono cardinali quum sacra pallia imponi contigerit, adsidebat; quum vero decretum *de Decisionibus servandis* latum est, Camerarii fuit, ad praeceptum eiusdem decreti, camerale Diarium exarare ac Decisionum volumina componere et ad archi-

[1] Cf. vol. III, pag. 118, n. 66.
[2] Arch. Rot. *Libri rationum Capellae antiquis.*

vium reponere.[1] Soeculo XV, probabiliter ab electis Auditoribus cedulam Motus proprii Camerarius recepit: nam exemplum adest istius facti in *Admissionibus*[2] et forsan id contigit quippe quod Camerario demandatum erat cedulas huiusmodi in vetustatem servare; ast res mihi incerta manet; persuasum tamen est, Camerario tradi debuisse instrumenta inquisitionum seu Processuum novorum Auditorum ut ea ad archivium reponeret.[3] Item Camerarii fuit cum Decano sese ad Papam conferre quoties eidem grates essent rependendae pro promotione alicuius Auditoris[4] ac memorialia conficere quae novo Papae dirigi solemne fuit, alterum pro solutione salarii iam decursi in Sede vacante et non soluti ac in futurum decurrendi, alterum vero pro dono scutorum 2400 auri fieri solito in creatione novi Pontificis:[5] legata Rotae relicta administrabat Camerarius ut ecce legatum cardinalis Tonti, dicti Nazareni, fundatoris collegii quod ab nomine ipsius appellatum est, cuius alumnorum litteras patentes ipse subscribebat.[6] Denique curae Thesaurarii demandata fuit celebratio solemnium exequiarum quae quotannis locum habebat pro animabus praedefunctorum Auditorum.[7] Cuius styli initia cuinam soeculo sint adscribenda non constat.

3. – In Thesaurarium seu Camerarium non eligebatur nisi Auditor, et regula fuit, saltem a secunda medietate soeculi XV, quod Thesaurarii seu Camerarii officium ab unoquoque Auditore - Decano tamen excepto - per turnum a iuniore incipiendum, exerceretur per *biennium* quod initia cum initio anni civilis sumeret. Si vero contingeret quod, incoepto biennio, Auditor Thesaurarius, seu Camerarius, aut ad tempus abiret, aut in perpetuum (promotione vel morte), in primo casu usque ad consummationem biennii, in altero autem usque ad complementum anni incoepti, ius illum subrogandi Decano spectavit.[8]

4. – Quid fuisset antea in more positum, me latet: ipsa enim documenta primae medietatis soeculi XV sicuti invicte probant existentiam officii thesaurariatus, ita illius diuturnitatis inconstantiam ostendere videntur: nam Paulus de Sancta Fide per duos annos, Simon de Valle per quatuor, Iohannes Didaci per unum, per tres

[1] *Diaria;* vol. III, nn. 275., 282, 366, 427, 429.
[2] Arch. Rot., *Admiss.,* part. I.
[3] *Diaria.*
[4] *Diaria.*
[5] Arch. Rot.. *Diar. Celsi,* die 7 aprilis 1655.
[6] Ibi, *Diaria.*
[7] Ibi, *Diaria.*
[8] Vol. III, pag. 560, n. 451.

Guilelmus de Fondera, per tres Ludovicus de Ludovisiis, per unum Agapitus de Rusticis et Bernardus Rovira,per duos Gaspar de Theremo, etc. Thesaurarium egerunt. Utique dixi « *videntur* » : nam diuturnitatis inconstantia facile enasci potuit ex peculiaribus illius tempestatis adiunctis, nedum quia curia nunc Romae, nunc Florentiae, nunc Senis, nunc Bononiae fuit, unde difficultas rem regulariter explendi, sed forsan praecipue quod complures ex Auditoribus huc illucque servitio sanctae sedis missi morabantur.

5. – Rationarium, seu codicem dati et expensi, quem *Liber rationum Capellae* in Rota vocarunt, Thesaurarius habuit saltem ad annum usque 1509; in eo vel manu propria (uti v. g. Symon de Valle et Iohannes de Ceretanis) vel per suum Notarium (uti v. g. Paulus de Sanctafide) vel per manus sui Familiaris seu Auditoris Studii (uti v. g. Didacus de Coca) recepta et expensa sedulo descripsit, praenotatis die et anno quo quisque Auditor officium exercendum excepit et nomine sui praedecessoris.[1] Hos libros habuisse Thesaurarium ad annum usque 1509 dixi, quippe quod archivio nonnisi ad praecitatum annum *Libri rationum Capellae* manent: ast mihi persuadeo et postea hos libros fuisse, cum prorsus inverosimile sit Thesaurarios rationes administrationis suae, pro tempore Coauditoribus non reddidisse.

6. – Undenam pecuniae vis esset Cappellae Rotae soeculo XV ex iisdem *Libris rationum* patet: cum ex Auditoribus quis absolutionem a censuris huic vel illi litigatori impertiret, eidem modicam summam (quae 9 aut 10 florenos non excessit) Cappellae solvendam imponebat: ast ex omnibus istis absolutionibus non tot colligebantur florenis quot pares essent ad aequandas expensas sustinendas. Soeculis insequentibus, Cappellae constituta fuit modica quidem sed certa pecuniae summa, prouti refert Emerix in sua *Praxi*, cuius verba exscribo in sequenti capite de *Cappellano et Bedello Rotae*.

7. – Thesaurarii, seu Camerarii, sedulitas fere semper laude digna fuit; fere semper – inquam; nam aliquoties censura plecti meruit, uti accidit anno 1765 quod de domino Herreros, Camerario, successor illius referre debuit, ipsum non curasse Decisiones colligere, ac tantummodo in pluteis archivii informem massam Decisionum reliquisse ab anno 1739 in tomos colligendarum, quibus infinitae deficiebant nedum ex iis quae numquam fuerant extensae, vel tipis impressae, sed etiam ex impressis; ex quo manca evasit Decisionum series.[2]

[1] Cf. vol. III, pag. 128, n. 73; pag. 129, n. 74; pag. 130, n. 76 et in ARCH. ROT., *Libri rationum Capellae antiqui*, I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII.

[2] Cfr. vol. III, pag. 597, n. 470.

8. - Sed paucis exceptis casibus, diligentissime muneri suo satisfecerunt Camerarii. Inter quos speciali memoria digni videntur Elephantutius et Riminaldus: ille, quia summa industria vetera Diaria rotalia conquisivit aut in suis originalibus aut in copiis – quas ipse confici iussit, ita ut ininterrupta series extaret ab anno 1564 ad annos quibus ipse Thesaurarii munere functus fuit; iste autem quia magno labore ac industria ad Quirinale palatium archivium secretum ordine collocavit ac ex illo multa extraxit quorum memoria evanuerat.

9. - Denique animadvertere duco, utile non esse seriem Thesaurariorum retexere, cum a soeculo XVI omnes fere Auditores Thesaurarii officio functi fuerint. Soeculo autem XV illorum series hodie ex documentis quae supersunt haec componi potest, nempe:

Anno 1431 Iohannes Walling (*Invent.* n. I).
» 1439-40 Paulus de Sancta Fide (*Libri rationum Capellae antiqui*, n. I).
» 1441-45 Simon de Valle (Ibi).
» 1446 Iohannes Didaci de Coca (Ibi).
» 1447-49 Guilermus de Fondera (Ibi).
» 1450-51 Iohannes Iosso (Ibi).
» 1451-53 Ludovicus de Ludovisiis (Ibi).
» 1453 Agapitus de Rusticis (Ibi, n. II).
» 1454 Bernardus Rovira (Ibi).
» 1455-56 Gaspar de Theremo (Ibi).
» 1457 Bernardus de Boscho (Ibi).
» 1457-58 Orlandus de Bonarlis (Ibi, n. II).
» 1458-59 Petrus de Valle (Ibi).
» 1459 Orlandus de Bonarlis (Iterum), (Ibi).
» 1559-61 Sancius Romera (Ibi).
» 1461-63 Iohannes de Ceretanis (Ibi).
» 1463 Sancius Romera (Iterum), (Ibi).
» 1464 Antonius de Grassis (Ibi, n. II).
» 1467-68 Theodorus de Lellis (Ibi).
» 1472-76 Iohannes Franciscus de Pavinis (Ibi, n. IV).
» 1477. Nicolaus de Ubaldis (Ibi, n. V).
» 1477-78 Bartholomaeus de Bellencinis (Ibi, n. VI).
» 1478-80 Iohannes Prioris (Ibi, n. VII).

Qui deficiunt anni quaeque desiderantur nomina ut illius soeculi series Thesaurariorum integra habeatur, inveniri nequeunt, deficientibus documentis.

10. – Coronidis modo, caput concludam, ex *Diariis* sequentia exscribens:

Die 5 iulii 1649.

« Mos erat quod in tribus ultimis Rotis, Thesaurarius Rotae, « expensis Rotae, exhiberet collationes: verum cum omne aerarium « Rotae aere alieno gravaretur, D. Card. Panzirolius, quando fuit « Thesaurarius, dedit in tribus ultimis Rotis collationem de suo; quod « laudabile institutum fuit etiam servatum ab aliis Thesaurariis pro « tempore, donec praeterito anno D. Bichius dedit opiparum convi- « vium. Idemque fecit hoc anno D. Cerrus, qui etiam invitavit Adiu- « tores a studiis, Cubicularios et a pedibus; sed forsan, tam magnum « dispendium non convenit frugalitati et modestiae nostri Tribunalis, « praesertim cum convivium fuerit factum in Conventu Pacis, quod « idem est ac si in publico factum esset ». [1]

11. – Sed iniuria putaretur tanta usque prodigalitate et luxuria refectionem hanc fuisse paratam. Narrat enim, ut aliquod afferam exemplum, in suo *Diario* Celsus sub die 1 iul. 1650: « Fuit ultima « Rota ... quia vero erat dies veneris et vigilia visitationis B. M. V. « dms. Cerrus non preparavit solitam refectionem seu prandium; sed « tantum vina frigida ». Idem Celsus sub die lunae 28 iun. 1649 narraverat: « Fuit Rota in qua numerus causarum fuit valde notabilis: « excepto d. Verospio, omnes intervenerunt. In ea nihil novi evenit: « propter vigiliam Ss. Petri et Pauli, d. Cerrus praeter vina, nihil « praeparavit, sed nemo voluit illa degustare, excepto d. Peutingerio ».

12. – Hic autem recordabor quod iam suo loco exposui, quamplurimas causas proponi consuevisse in ultimis Rotis, adeo ut in una Rota usque ad 52 numero causae fuerint propositae, quarum 32 fuerunt expeditae. Igitur si post tantum laborem homines videmus fractas animi corporisque vires lauto hilarique prandio reficere ac recreare, num mirum et a mortalium necessitate consuetudineque alienum? Et tamen cum quamsaepe die prohibito Rotae prandii occurrerit, saepissime contigit prandium nullum paratum fuisse, lassosque homines nullum tanti laboris solamen habuisse.

[1] Arch. Rot., *Diar. Otthoboni,* die citata, fol. 56, n. 271.

CAPUT LXIV.

De Rotae Cappella, Cappellano et Bidello.

1. – Prout admodum causas vice Papae audientes decebat, Capellani Papae Auditores causarum s. p. a. a Deo, omnium luminum et iustitiae fonte, iudicia sua initium sumere usque voluerunt. Ad hoc igitur, nedum privatis Cappella et Cappellanus fuerunt, sed Cappellam et Cappellanum suum rotale collegium habuit.

2. – Collegii Cappella prope rotalia cubicula existebat: ad eam se conferebant Auditores quoties Rota congregaretur, ut inibi sacro assisterent, quod celebrabatur a Cappellano: et inter Missarum celebrationem quisque Auditor opem divini Spiritus veritatis et iustitiae implorabat oratione « Adsumus, Domine », quam in principio Libri iuramenti distinctis literis Rotae Camerarius transcribi fecit, quamque ego novissimum documentorum posui in fine mei III voluminis.

3. – Cappellano autem menstruum stipendium solvebat Camerarius. Undenam huic esset pecuniae vis ad hoc et alia numeranda stipendia, refert Emerix in sua *Praxis, tit. IX, part. II.* Sed antequam ipsi verba cedam, animadvertam, soeculo XV proventus Cappellae ex absolutionibus ab Auditoribus impertitis in causis promanasse: ita quidem edocent *Libri rationum Capellae antiqui.* Fontes autem e quibus Emerix tradit Camerarium Rotae hausisse unde salaria solveret, Rotae obvenerunt soeculo XVI. Probabile vero est, unum eidem constitutum fuisse soeculo XV a domino Contareno, de quo legimus reliquisse legatum Cappellae Rotae. [1]

4. – Scribit igitur Emerix, loco citato: « ... habent Collegium et « Cappella Rotae... redditus et emolumenta cum quibus supportantur « onera Collegii et Cappellae et persolvuntur salarium Cappellano et « Bidello aliisque inservientibus. Consistunt autem illa 1) in domo « posita in Parione... 2) in alia domo, seu aliis duabus domibus con- « tiguis positis in via Balestrariorum..., 3) in legato annuo septem « ducatorum auri de Camera relicto a b. m. Thoma de Regibus [2] « super eius domo posita ad Baullaros...; 4) in ducatis 25 auri, « seu scutis 37 et obolis 50 monetae, quae in primo ingressu solent

[1] Cfr. vol. II, n. 323, pag. 64, 65; Vol. III, pag. 190-191, n. 115.

[2] Testamentum Thomae de Regibus asservatur in archivio inter *Privilegia* tom. I, part. I, n. XXXI, una cum Bulla Iulii II, anni 1507.

« et debent solvere Capellae Auditores Rotae [1] 5) in scutis 8 mone-
« tae menstruis Collegio nostro applicatis pro custodia et assistentia
« in traditione Palliorum per s. m. Clementem X in Bulla... sub
« datum Romae anno... 1671 ».

5. – Cappellae famulatum gessit Bedellus Rotae, cui praecipuum munus fuit recte et bene parare cubicula rotalia, altare et alia necessaria ad Missam in Capella Tribunalis celebrandam. [2]

6. – Huius Rotae ministri memoriam vel vetustiora rotalis Archivii documenta faciunt. Enimvero *Libri rationum Capellae antiqui*, anno 1439 illum memorant hisce verbis: « Et die secunda mensis aprilis anno 1439
« dedi Ioanni Kyf, bedello dominorum Auditorum, pro suo Capellano
« et Campanario pro duobus mensibus praeteritis ducatos quinque ».

7. – Unum dumtaxat Bedellum fuisse certius videtur, attamen soeculo XV duos extitisse Bedellos Rotae iidem *Libri rationum* ostendunt saltem per annos 1440-1447: nam praeter Iohannem Kyf sub iisdem annis mentio fit *Stephani de Spira* qui praedicatur *Bedellus dominorum* et ipse. Et revera Bernardus, notarius Guilelmi de Fondera Camerarii, sub die 15 mensis iunii 1447, adnotat: « Item die XV mensis
« iunii ego Bernardus praedictus de mandato Domini praedicti Audi-
« toris et Thesaurarii, dedi Iohanni Kiff et Stephano de Spira, *be-*
« *dellis Capellae Dominorum Auditorum*, quatuor ducatos pro salario
« suo ».

8. – Ast haec probabilius fuit exceptio: soeculorum enim insequentium documenta de Bidello vel silent omnino, vel, si memorant, unum dumtaxat indigitant. Siquidem Celsus in suo *Diario*, adnotat: « Die lunae 4 maii 1648...: Conquestus fuit D. Bichius quod Bidellus
« ultra negligentiam quam adhibet in eius officio, plura commiserit in
« contemptum et spretum ipsius Magistri domus, unde protestatus fuit
« quod si dictus Bidellus in tali officio deberet continuare, ipse erat
« coactus deponere, prout deponebat, officium Thesaurariatus; ideo
« Domini unanimes concluserunt, quod nulla interposita mora, priva-
« retur officio et alius in eius locum eligeretur: prout factum fuit: et
« Dominus Decanus assumpsit onus exsequendi voluntatem Domino-
« rum et subrogandi alium in locum ipsius ». – Ex quibus patet Thesaurarium seu Camerarium non gavisum fuisse iure eligendi vel expellendi Bidellum; sed tali iure fruitum fuisse Decanum Rotae, audita et probante Rota ipsa.

[1] Huius consuetudinis nulla memoria in Libris rationum Cappellae antiquis, pro soeculo XV.

[2] EMERIX, *Praxis*, l. c.

9. - Et Celsus prosequitur sub *die lunae 11 maii:* « Novus Bidellus « praebuit occasionem non modici risus, dum Missa celebrabatur, quia « in agendis caeremoniis et in gestanda cotta ita se habuit ut ruri « natus et educatus videretur ».

10. – Denique idem Celsus adnotabat sub *die 15 maii:* « plura « Memorialia fuerunt porrecta pro habendo officio Bedellatus, et *prae-* « *sertim a Cursoribus;* sed confirmatus fuit noviter electus, quamvis « rudis, ob relationem factam a Rmo Decano de eius bonitate et « fidelitate ». Hinc evidens est, bonitatem et fidelitatem in Bidello praecipue requisitas esse, et non literaturam.

11. - Unde textus *Librorum rationum*, qui et Iohannem Kyf et Stephanum de Spira praedicant Bedellos *et Cursores* ita esse interpretandos puto, ut teneatur, eosdem Iohannem et Stephanum in Rota fuisse Bedellos, et simul adscriptos fuisse collegio Cursorum.

12. – Neminem enim latet per *Cursores*, qui erant familiares Papae quique collegium efformabant, citationes expediri et commissiones recipi solemne fuisse in romana curia. Paulus V in reformatione anni 1611 praeceperat, ad officia Cursorum admittendas non esse personas suspectas de falsitate et quae *nescirent legere vel scribere latine*. His Cursoribus et Rota usa est: hinc Bedellus Rotae, cursor tribunalis non erat, seu eidem Bedello cursoris munia commissa non fuerant. Quonam enim pacto, anno 1648, tam rudem hominem in Bedellum assumpsisset Rota, si eiusdem fuisset muneribus cursoris incumbere?

13. – Attamen Rotae Camerarius, quum Rotae secreto archivio certa sedes in cubiculis rotalibus fuit, clavem archivii Bedello custodiendam tradidit, quam « Thesaurario nostro aliisque, quando opus fuerit, « exhibet », ceu refert Emerix in sua *Praxi*, titulo X.

14. – Denique Bedello in admissione novorum Auditorum et in principio cuiusvis anni quaedam regalia tradebantur, percipiebatque annuam provisionem, « quae a Thesaurario illi ex redditibus collegii « seu Cappellae Rotae semestratim persolvitur ». Ita quidem Emerix: sed soeculo XV trimestratim Thesaurarius solvebat Bedello salarium in ducatos tres quolibet trimestre. Et revera in *Libris rationum* sub anno 1441 Thesaurarius adnotat: « Item quos dedit nomine meo « Nicolaus familiaris meus Iohanni Kiff pro tribus mensibus pro salario « suo. Incipiendo a die prima ianuarii et finiebant dicti tres menses « ultima martii, et eos recepit die secunda aprilis – ducatos tres ».

CAPUT LXV.

De salariis et aliis emolumentis Auditorum Rotae.

1. – Antiquitus, romanum morem secuta, nullum sancta sedes Capellanis Auditoribus, qua Auditoribus, stipendium certum pendidisse videtur. Qua vero Capellani, ipsi cum inter Capellanos de numero, matricula decurrente, accensebantur, aliquod stipendium ab Camerario recipiebant.

2. – Asserit in suo *Dizionario* Moroni (voce: *Uditori di Rota*) Papam Auditoribus annuum stipendium constituisse 3000 scutatorum. Ast ipse undenam notitiam hauserit non indigitat: hoc autem mihi exquisitum est, quod Gregorius XIV mense octobris 1590, vix ac sedem Petri conscendit, iussit Auditoribus numerari singulis annis 500 scutata pro quolibet, « dum antea 20 scut. singulis mensibus « erogabantur singulis annis singulis Auditoribus ». [1] Si igitur 20 scutata unicuique Auditori menstrualia fuerant usque ad praecitatum annum, cum Auditores 12 numero essent, non 3000, sed tantummodo 2880 scutata annuatim universis numerabantur. Nisi forte (quod verum mihi admodum probabile videtur) domino Decano in duplum solveretur menstruale stipendium; hoc enim in casu non 2880, sed omnino 3000 scutata soluta essent Rotae.

3. – Utcumque: persuasum est eos in expeditionibus, usque gavisos fuisse iure percipiendi a litigatoribus sportulas seu propinas. Has quisque Auditor - ad annum usque 1641 - a litigatoribus exigebat per se. Hinc complura incommoda obvenisse non temere autumaretur; nam illo anno decretum tulit Rota quo iussit sportulas seu propinas non amplius a singulis Auditoribus sed ab universo tribunali exigendas esse, hac tamen ratione: constituto uno Depositario qui fuit primarius Curialis, apud illum causarum procuratores antequam schedulam sententiarum Ponentibus subscribendam per Rotae notarios exhiberent, solvere tenebantur propinas seu sportulas ad formam taxae in reformatione Pauli V [2] praescriptae. Facta ex his

[1] Vol. III, pag. 316, n. 178.

[2] En verba decreti: « Primo, quod famuli Auditorum . . . . . Secundo, emolu- « menta sententiarum ponantur in massa, aequaliter dividenda in prima octava post « Pasquam (*sic*) resurrectionis et in prima octava mensis augusti. Thesaurarius autem « seu Receptor et Depositarius dictorum emolumentorum sit dominus Virgilius « Vespignanus, cui assignabitur modus recipiendi a Litigantibus dicta emolumenta « in expeditione causarum. Tertio, etc. » (*Liber iuramenti*, pag. 67).

massa communi, illas certis statutis temporibus inter Auditores aequaliter dividere debebat Depositarius: prouti reipsa dein observatum fuit. Huius decreti ratio ab Emerix redditur hisce verbis: « Sic cessarunt fere omnes controversiae quae antea saepe movebantur super « praeventione in causis, et sublata fuit quaevis occasio calumniandi « Dominos, qui huic rei se amplius non immiscent, sed quasvis instantias pro tempore desuper factas ad eundem Depositarium plene « et absolute remittunt ». [1]

4. - Dubium igitur esse nequit antea saepe litigatores noluisse propinas solvere; ideo lata lex, ne sententiae schedula exhiberetur subscribenda, nisi solutis propinis: non raro Auditores, seu forte verius, Agentes ad sibi Auditorum gratiam conciliandam, a litigatoribus petiisse in excessivas summas solutionem propinarum; unde illarum taxatio ab ipso Papa constituta et in Rotae decreto expresse citata; non raro contentiones et inter ipsos Auditores, utpote quod sententiarum propinae illius essent qui schedulae sententiae propriam signaturam apposuisset, fuisset vel non causae Ponens: lites Auditores inter et litigatores, ut isti ad solvendas propinas ministerio iudicis cogerentur: ex quo et litigatorum defatigatio, et occasio calumniandi Dominos.

5. – Profecto post praefatum Rotae decretum mala haec non amplius lamentari fuit: eo magis, quod - eodem Emerix teste [2] - data modicitate taxae Paulinae, sportulae unicuique Auditori vix 50 scutata annuatim emolumenti dabant.

6. – Sed antea, praesertim antiquitus, forsan non fuerat sic. Utcumque: romani Pontifices et labores ingentes quos Capellani Auditores ferebant considerantes, et aeque pendentes maximas illorum dignitatis exigentias quibus ut fieret satis ingens pecuniae vis necessaria erat, eis pinguiora ecclesiastica beneficia concedere consueverunt, etiamsi ipsi alicuius Religionis fuissent alumni. Exemplo sit inter ceteros, Gulielmus Durandi, Speculator, qui etsi Dominicanus esset, nihilominus fuit Decanus ecclesiae carnoten. Puto tamen Pontifices prae oculis habuisse, tot tantaque beneficia et dignitates elargiendo, Auditores iis in adiunctis constituere ut nunquam in tentationem inducerentur vel venum dare iustitiam, vel esse litigatoribus onerosos.

7. – Siquidem, etsi mihi documentis quae novi exquisitum non sit utrum etiam ante Martinum V eadem fuerit romanorum Pontifi-

[1] Emerix, *Praxis*. p. I, tit, XXIV.
[2] Idem, ibi, p. II, tit. VIII.

cum praxis non admittendi ad exercitium Auditoratus nisi Capellanos qui sufficientes sive in propriis bonis sive in beneficiis vel pensionibus ecclesiasticis redditus haberent, hoc tamen persuasum est, omnes Capellanos Auditores quorum vestigia in textibus inveni, magnis beneficiis et dignitatibus fruitos fuisse; et Martinum V a. 1418, - ceu superius retuli - iussisse eos non esse admittendos nisi probassent se saltem 200 florenos habere annuatim sive ex propriis sive ex ecclesiasticis bonis. Hoc expresse Martinus voluit, ne Auditores essent litigantibus onerosi, ab eis vel excessive vel importune propinas et sportulas exigendo.

8. – Ceterum quaenam fuerit Auditorum Rotae merces novissimis Rotae temporibus, apprime refert in sua *Praxi* Iacobus Emerix, cuius relatus quippe qui adamussim concordet cum adnotationibus *Diariorum* Rotae ipsius verbis heic inserendus videtur. Scribit igitur Emerix loco citato *tit. VI, part. II. De salariis et aliis emolumentis Auditorum Rotae:*

9. – « Praeter sportulas, seu propinas, quas superius diximus, « Auditoribus Rotae a Litigantibus persolvi in expeditionibus cau- « sarum iuxta taxam in Reformatione Pauli V praescriptam, et quae « computata una cum altera per octo annos, quibus iam in Rota « sedeo, ascendunt annuatim fere ad scutata 50 pro quolibet, primo « percipiunt Auditores menstruatim a Collegio Notariorum sc. 96 mo- « netae pro antiquo illorum honorario, ad quod post reductionem « Officiorum Notariorum factam a fel. me. Clemen X kalend. Octo- « bris anno II, omnes Notarii non solum quatenus Collegium, sed « uti singuli in solidum expresse et nominatim se obligarunt in exse- « quutionem Decreti Congregationis habitae coram Illmo D. The- « saurario Generali Camerae Apostolicae sub die 5 aprilis 1652, « prouti latius continetur in Apoca tunc per ipsos subscripta, et a « Me anno praeterito consignata R. P. D. meo Rondanino, moderno « Thesaurario, ad effectum illam conservandi cum aliis libris et Scri- « pturis concernentibus officium Thesaurarii.

10. – « Istud honorarium vero solvunt Notarii Auditoribus non « uti singulis, sed uti Collegio. Et propterea ordinatum est, ut illud « menstruatim deferant ad manus Decani Collegii Procuratorum, et « moderni sportularum nostrarum Depositarii, qui dum sportulae pro « tempore dividuntur, hoc etiam dividere solet. Licet autem huius- « modi honorario, quod solvitur intuitu laborum, non deberent par- « ticipare Auditores absentes etiam ex causa publica, nihilominus ex « benignitate introductum est, ut ex huiusmodi causa absentibus et

« id a Collegio in discessu petentibus, illorum portio distribuatur. « Porro diligentes debent esse Auditores in exactione huius honorarii, « et in eo praecipue invigilare debent Decanus, et Thesaurarius pro « tempore, ne rursus Notarii sub variis praetextibus insubsistentibus « illius solutionem difficultent, prout ante reductionem facere con- « sueverunt, ne alioquin non solum sibi, sed etiam successoribus « suis praeiudicent.

11. – « Percipiunt pariter pro salario a Camera Apostolica scu- « tata quinquaginta menstrua quae anticipate punctualiter persolvun- « tur a Depositario Generali Apostolico, nostro Thesaurario pro « tempore, qui illa singulis pro rata distribuit et in his etiam ex beni- « gnitate introductum est, ut portionem suam habeant ut supra absen- « tes. Si tamen contigerit, aliquem locum vacare, portio vacans tam « horum sc. 50, quam Notarii honorariorum, aliorumque, quae per- « solvuntur Collegio, ut Collegio, et non Auditoribus uti singulis, « accrescunt solis praesentibus, et inter eos solum distribuuntur. Et « ita huc usque semper practicatum est.

12. – « A Dohenerio generali sub initio anni scuta 50, pro « quolibet ratione franchitiae, seu exemptionis a gabellis ipsis ple- « nissime competentis ex privilegio, seu Bulla Clementis VII supra « per extensum relata, et in Bullario inter eius impressas 13. Et « hoc ex antiquissimo usu pro maiori commoditate Dominorum intro- « ductum est cum Dohanerio, quamvis iste usus hodie quia gabellae « notabiliter excreverunt, Dominis non sit utilis et forsan magis « expediret, quod Auditores ab eo recederent, et privilegio, prout « res postulat et Camerales et alii faciunt, uterentur.

13. – « Ex singulari beneficio fel. rec. Clementis VIII huc usque « inviolabiliter per omnes successores generose observato, distribuun- « tur cuilibet Auditori Sc. 100: auri in auro, et Decano Sc. 200 in « fine prandii, quod ipsis in Palatio Apostolico per Praefectum Domus, « et alios officiales Papae lautissime praeparatur in die Rotae Memo- « rialium ante ferias generales. Habent etiam ab antiquo Auditores « partem panis, et hodie quoque ex beneficio Alexandri VII partem « vini, quam quilibet dietim, vel prout insimul cupit, cumulatim re- « cipit.

14. – « Solent praeterea Auditores Rotae in Festis Nataliis, et « Festis Augusti a nonnullis magnis Principibus, Capitulis et Reli- « gionibus, aliisque etiam lites in Rota pendentes habentibus propter « venerationem et aestimationem, quam habent erga tantum Tribunal « Zenia in dulcibus, et comestibilibus; quae, quia honorem potius,

« quam interesse sapiunt, ex antiqua consuetudine recipiuntur, licet « alias Auditores sint rigorosi, et observantes in recusandis mune- « ribus, ita ut si aliqua praeter dulcia, et comestibilia mitterentur vel « etiam si Partes in illis modum, aut antiquam consuetudinem exce- « derent, ipsi Auditores oblata munera non reciperent, et se potius « offensos ostenderent ac propterea principales absentes non debent « facile credere Agentibus, qui audent illis transmittere litteras exor- « bitantes munerum et sub hoc praetextu extorquent summas nota- « biles pecuniarum.

15. – « Denique ab antiquo in morte et assumptione Pontificum sol- « vuntur Auditoribus Rotae quaedam regalia, de quibus quia non ordi- « naria, sed extraordinaria sunt, sequenti titulo particulariter agemus.

16. – « Quoniam vero huiusmodi salarium condignum non est « tot laboribus, quos Auditores indefesse sustinent, et fuit vetus « querimonia usque de tempore Andreae Gambari olim S. Palatii « Apostolici Auditoris, et postea S. Romanae Ecclesiae Cardinalis « Amplissimi qui in suo Tractatu de Officio, et Auctoritate Legati « de Latere anno 1540 inter Tractatus Generales Tom. 13, part. 2, « fol. 169, in plures querelas prorupit, ideo ut plurimum Papa de « tempore illos liberaliter de pinguibus reditibus Beneficialibus, et « aliis etiam Romanae Curiae Officiis providere solet, prout infra « hac eadem parte Tit. II et III insinuavi ad hoc, ut maiori cum « decore, et animi quiete tanto muneri incumbere possint ».

17. – Verum, anno 1834, quo Gregorius XVI celebre edidit *Regolamento legislativo e Giudiziario*, per subsequens Edictum cardinalis Gamberini § 358 (*tit. IV, Sez. I*) sanxit : « Sono e riman- « gono abolite le sportule e le propine: niuno dei Magistrati isti- « tuiti e conservati dal *Regolamento legislativo e giudiziario* potrà « esigere dalle parti veruna somma per l'esercizio della giurisdizione « contenziosa, sia nelle cause laiche e fra laici, sia nelle cause appar- « tenenti al foro ecclesiastico : questa disposizione comprende pure « gli atti, decreti, o sentenze esecutive delle grazie sovrane ».

18. – Huiusmodi vero lex iam lata fuerat anno 1831 per Edictum cardinalis a Secretis Status: quae a novo Edicto meruit confirmari. Et iam illo anno 1831 in Rota penitus desierat stylus sportularum. In harum compensationem s. sedes Rotae Auditoribus tribuit menstruam summam scutatorum mille, aequaliter inter praesentes dividendorum.

19. – Hinc igitur ab mense decembri 1831 usque ad diem 20 septembris 1870 Thesaurarius Generalis, Rotae Auditoribus pendidit

quolibet mense « honorarium consuetum pro adsistentia Cappellis « Pontificiis, scutata 600; . . . compensatio pro omissis sportulis et « propinis, scutata 1000 ». [1]

20. – Profecto « honorarium consuetum » non ad summam scutatorum 600 constitutum fuerat, uti supra retuli, sed ad 500. Ast anno 1832 cum Auditoribus et s. sedi necesse visum fuisset illud in maiorem summam elevare, hinc incrementum concessum fuit intuitu adsistentiae ab Auditoribus praestitae Cappellis Pontificiis. Igitur statutum fuit in summa 600 scutatorum et traditum sub praecitata formula: « Honorarium consuetum pro adsistentia Cappellis Pontificiis ». [2]

21. – Haec salaria et emolumenta ordinaria Auditorum Rotae. Aliis etiam extraordinariis gavisi sunt: ista Emerix ad duo restringit, nempe ad regalia pannorum nigrorum et rubrorum in morte Papae, et regalia 2400 scutatorum auri in auro in electione novi Pontificis. [3] Sed Celsus in *Diario* narrat Auditores habuisse in morte Pontificis etiam duo officia valoris scutat. 51 monetae. [4]

22. – Auditores vero Nationales stipendium accepisse a gubernis suarum Civitatum, persuasum est; ast documentis nostris in quanam summa annuatim, non edocemur. Profecto quum anno 1831 domino De Retz, Auditori nationali Gallo, gallicanum Gubernium sustulisset « l'assegnamento fisso, attribuito già alla carica dal Real « Governo », [5] sancta sedes eidem domino De Retz significavit se non posse compensationem tribuere, sed ei relinquere consueta tribunalis honoraria.

23. – Verum Pius VII anno 1816 quum locum Veneti Auditoris assignasset Romandiolae Provinciae, constituit ut eadem Provincia Auditori suo annuam pensionem solveret scutatorum bis mille monetae romanae. [6]

24. – Anno autem 1838 (die 29 ianuarii) « Commissio admini- « strativa Provinciae Bononiensis sequens misit epistolium Rpd. ..... « Alberghini, quo annuum honorarium scutorum mille Bononiensi « Rotae Auditori statuitur. Tenor sequitur:

« Prot. n. 88. - La Commissione amministrativa della Provincia di « Bologna a Sua Eccellenza Rma Mons. Ignazio Alberghini. - Roma.

[1] Cf. vol. III, pag. 642, n. 535.
[2] Arch. Rot., *Diaria*.
[3] *Praxis*, part. II, tit. VII.
[4] Cf. vol. III, pag. 386, n. 267.
[5] Ibi, pag. 638, n. 528.
[6] Ibi, pag. 626, n. 507.

« Eccellenza Rm̃a,

« Penetrato il Consiglio Provinciale dei sentimenti della più viva « riconoscenza verso la Santità di N. S, che a singolar onore e « beneficio di questa Città e Provincia si è degnato conservare in « codesto insigne Tribunale della Rota un Uditore per Bologna in « tanto illustre soggetto qual'è l'Eccellenza V. Rm̃a, così per cor- « rispondere al sovrano favore, come in argomento di altissima stima « alla stessa Eccellenza V. e per giovare in seguito i propri Con- « cittadini che amassero percorrere l'onorevole carriera della Prela- « tura, il Consiglio medesimo è venuto in deliberazione di assegnare, « come ha assegnato per cotal carica, l'annuo onorario di Scudi Mille « la cui somma sarà portata a disposizione dell'Eccellenza V. Rm̃a « e Le verrà soddisfatta in quelle rate e termini che più Le saranno « a grado.

« Lieti di parteciparle ciò stesso, offerendole così un lodevole atte- « stato della pubblica estimazione, non ci resta che di pregarla ad « esserci cortese della sua valevole assistenza ed appoggio in tutto « che riguardar può il bene di questa Provincia, e coi sentimenti « della più ossequiosa considerazione, ci pregiamo di rassegnarci

« Bologna, 25 gennaio 1838.

« di V. E. Rm̃a
« Per la Commissione
« Filippo Boschi ».[1]

CAPUT LXVI.

De ministerio Auditorum Rotae in divinis et de Magistro Sacri Palatii Apostolici.

1. – Rotae Auditores qui et Capellani Papae usque fuerunt et etiam, in vim Brevis Alexandri VII *Nuper certis*, anni 1655 [2] apostolici subdiaconi, in divinis inservierunt Papae.

2. – Documentis nostris nonnisi ex parte edocemur quaenam fuerint Capellanis Papae in missarum solemniis ministeria concredita, quinam locus eis assignatus inter tot collegia et personas, Papae missam solemniter celebranti, adsidentes. Duo certe traduntur, videlicet: Decanum semper Papae inservisse de mitra, et Auditoribus,

[1] Arch. Rot., *Liber sacrae Rotae*, 4, pag. 228-229.
[2] Vol. III, pag. 390, n. 272.

missarum solemniis adstantibus, gestandum datum fuisse quod vulgo appellabatur *gremmiale* seu *grembiale*, velum nempe illud, pretiosa materia confectum, quo genua Papae, sedentis in throno inter missarum solemnia, operiuntur. Illud probatur nedum ex eo quod styli initia non noscuntur et ubi primum de eo mentionem occurrit haec fit tamquam de stylo notissimo et consueto, sed et ex quo ubi Eugenius IV anno 1436 sacri palatii Magistro locum concessit « in Capella « nostra dum divina celebrantur officia ac in publicis et generalibus « Consistoriis et aliis publicis actibus », hunc eidem assignavit « imme- « diatum post dilectum filium Decanum dilectorum filiorum Capella- « norum nostrorum et causarum Palatii Apostolici Auditorum, qui « in obsequio mitrae pro tempore nobis ministrat ».[1] Alterum vero tradit Celsus in suo Diario, prouti videre est in III huius operis tomo pag. 389-390, n. 271.

3. – Verum postquam apostolici subdiaconi facti sunt, « quoties « Papa solemniter celebrabat, unus per turnum illi inserviebat tam- « quam Subdiaconus; Decanus semper gestabat mitram; duo alii ex « senioribus substentabant fimbrias; reliqui cum cotta et rocchetto « adstabant prompti ad ea quae a Magistro caeremoniarum, prout « solemnitates pro tempore postulassent, iniungerentur ».

4. – Haec tradit Emerix in sua *Praxi, part. II, tit. I*, ubi sequentia insuper addit: « Quando autem Papa per se non celebrat, sed tan- « tum adsistit, tunc Auditores non interveniunt Celebranti tamquam « Subdiaconi sed ultimus ex illis solum defert calicem, et Decanus ac « alii quatuor supra nominati inserviunt respective Papae ad fimbrias « et vestes, cum cappa et rocchetto... ».

5. – Narrat idem Emerix, ibi, debuisse Auditores summa diligentia intervenire in divinis, nedum quando Papa personaliter adstitisset, « sed etiam quando ipse impeditus non intervenit »: sedulo tamen animadvertens, « exceptis tamen diebus addictis studio rotali, « in quibus quando occurrunt Cappellae, vel Consistoria publica, aut « aliae similes functiones minus solemnes, non solent nec debent « intervenire nisi Decanus ac tres iuniores, mere necessarii pro ser- « vitio; dico: minus solemnes, quia in solemnioribus, ut sunt Caval- « cata Festi Annunciationis et diei Cinerum, solent et debent omnes « intervenire, etiamsi fiant in diebus studii rotalis ».

6. – Loco citato, Emerix inserit particularem quamdam informationem quam ipse ab uno ex Magistris Caeremoniarum exquisivit « in qua singillatim referuntur ea quae Auditoribus incubuerunt in

[1] Bernino, *La Sacra Rota*, pag. 99.

« omnibus functionibus totius anni tam uti Capellanis, quam uti Sub-« diaconis ». Hanc et ego heic inserere operae praetium duco: eam-que propterea exscribo ad litteram, ut sequitur:

7. – « Auditores Rotae habent locum in Capella papali, sedent-« que in penultimo seu secundo gradu solii incipiendo a gradu infe-« riori et sumunt praecedentiam ab eorum dextera.

8. – « In ea utuntur vel cotta supra rocchetto, vel cappa pro « diversitate functionum.

9. – « Sunt etiam Capellani Papae, et ideo Decanus (eoque « absente, antiquior in praesentibus) inservit in ministerio Mitrae et « Thiarae quando eis Papa utitur, et debet habere vectam lineam « supra cappam, vel supra cottam, e collo pendentem.

10. – « Quando Papa paratus, a faldistorio ascendit ad sedem « eminentem, vel e contrario e sede procedit ad altare, vel ab altare « ad sedem, elevant fimbrias tum in Missa, quam in Vesperis, et si « opus sit, offerunt (Papae) brachium, cui innititur.

11. – « Quoties pontificio ornatu (Papa) lavat manus, unus ex « eis, et ut plurimum antiquior post Decanum, accipit ab abaco, seu « Credentia, inter duos pelves mantille ad extergendas manus, illud-« que tradit Cardinali qui idem ministraturus est Suae Sanctitati, et « ab eodem receptum reportat ad Credentiam.

12. – « In Vesperis pontificalibus unus ex eis praeintonat, seu « praecinit etiam Hymnum Suae Sanctitati ».

13. – Huc usque ministeria recensita sunt Capellanorum propria. Auctor instructionis, prosequitur inquiens: « Habent etiam adnexum « (Auditores) officium Subdiaconorum Apostolicorum: praecedunt « Magistro Sacri Palatii ». Supra, § 2, vidimus, Eugenium IV Magi-stro Sacri Palatii ius sedendi dedisse immediate post Decanum Rotae tam in Cappellis papalibus, quam in Consistoriis et aliis actibus publi-cis. Ex hoc factum fuit quod idem Magister sederet nedum in Cappellis, sed et in Consistoriis et aliis actibus publicis post Rotae Decanum inter Auditores, immo ante ceteros omnes Auditores. Verum ex Audi-torum elatione ad dignitatem apostolicorum subdiaconorum cum Auditores constituti fuerint in gradu maioris dignitatis quam Magi-ster sacri palatii cui non magis concessum fuerat quam dignitas Capellani Papae, collocato immediate post Rotae Decanum, neces-sario contigit, Magistro post novissimum Rotae Auditorem primum locum competere. Ideo Auditores praeter Decanum qui Magistro non praecedendi iure pollebant qua Capellani Papae, illi praecedendi ius acquisiverunt qua apostolici subdiaconi.

14. – Verum Auditores – prosequitur instructio – « praecedunt... « aliisque Praelatis sedentibus in eadem linea, seu gradu, Solii.

15. – « Iunior, in Cappellis, Consistoriis publicis et aliis actibus « similibus defert Crucem papalem cum imagine (Christi) ad Ponti- « ficem versa, illamque offert infra Missam post sermonem, et in « fine Missae et Vesperarum Suae Sanctitati quae Benedictionem « elargitur.

16. – « Duo adsistunt ad latus Paramentorum, seu sacrarum « vestium, et ministrant Cardinalibus Diaconis paramenta, accipiunt- « que dum (Papa) sacris indumentis exuitur et induitur.

17. « Quando Papa in crastinum est Missam cantaturus, ille « (Auditor) ad quem spectat cantare Epistolam in Missa Pontificali, « induitur cotta supra rocchettum, praecinit, seu intonat, in Vesperis « Papae et Cardinalibus antiphonas ante psalmos et *Magnificat* et « suo tempore thurificat Cardinales et alios de Cappella.

18. – « Idem (Auditor) in Missa Pontificali induitur paramentis « subdiaconalibus, defert Crucem ante processionem, et si opus sit « portat sandalia de altari ad Papam eique pedes calceat: adiuvat « Cardinalem Diaconum evangelii pontificalibus et pallio induentem. « Defert librum evangeliorum cum manipulo Papae imponendo. Sub- « stinet in humeris Papam recipientem ad osculum tres iuniores Car- « dinales Presbyteros. Imponit manipulum Papae, offert (eidem) librum « osculandum: adsistit apud altare cum Diacono Cardinali Evangelii, « cantat Epistolam, et post cantatam Epistolam graecam, cum Sub- « diacono graeco accedit ad Papam et eius pedes osculatur: it cum « Diacono Evangelii pro Benedictione et inde ad pulpitum. Sub- « stinet librum Evangelii dum cantatur illumque defert Pontifici oscu- « landum ».

CAPUT LXVI.

Dignitates et Munia quae Auditoribus Rotae conferre solemne fuit.

1. – Iuris praeclara Auditorum Rotae eruditio illorumque in difficilioribus rebus tractandis experientia et sagacitas cum per omne aevum aeque perspectae essent romano Pontifici, causae fuerunt cur iste ipsis et exquisitiora munera obeunda committeret ac maiores excellentioresque dignitates conferret.

2. – Documentis quae sum rimatus - quorum partem non minimam tertio mei operis volumine inserui et multa vel ex integro vel

in notis refero in altero volumine – edocemur hinc iam a primaeva Capellanorum Papae Auditorum causarum tempestate, eos vel inter subdiaconos apostolicos (tunc temporis maximi inter dignitates romanae ecclesiae factos) fuisse selectos, vel ad dignitatem Nuncii apostolicae sedis penes populorum Rectores fuisse promotos. Horum primum nos enumeramus Petrum de Collemedio, apostolicum legatum apud tholosanum Comitem, missum ab Gregorio IX [1] et deinde sacra purpura cohonestatum. [2]

3. – Et profecto digniores difficilioresque Nunciaturas passim postea consuevisse romanos Pontifices per Rotae Auditores peragi, documentis et praesertim rotalibus *Diariis* ad evidentiam ostenditur. Lector vel si paulisper in lectione mei alterius voluminis tempus insumat, videat oculis quot ex Auditoribus Rotae nuncii missi fuerint ad summos Reges: heic, exempli causa, memorabor Aloysii Bevilacqua qui anno 1675 missus fuit Nuncius extraordinarius ad sacram caesaream Maiestatem pro reconcilianda pace inter Principes catholicos, cuius pacis conclusio suis litteris ab ipso nunciata est Auditoribus Rotae anno 1678. [3]

4. – Quinimmo adeo constantes in credendis supremis nunciaturis Auditoribus Rotae fuerunt Papae, ut veluti ad eas dumtaxat gerendas ius ipsis enatum fuisse rati sint Auditores: adeout ubi factum fuit quod nunciatura secundae classis ex eis uni committeretur, Rota Papae grates non rependeret. Ita quidem contigit anno 1828 quo in Consistorio mense decembris Constantinus ex Marchionibus Patrizi promotus ad archiepiscopatum philippensem, designatus fuit Nuncius apostolicus penes Ducem Etruriae. « Plurimis ab annis », adnotat Decanus in *Libro Rotae 4, pag. 254*, « nemini fuerat munus hoc « collatum, illudque neque ab ipso r. p. d. Patrizi, neque a sacro « nostro Ordine pro honorifica translatione habitum est, quia non « inter primi ordinis Nunciationes recensetur. Nulla propterea gra- « tiarum actio penes Summum Pontificem, iuxta solitum, locum habuit, « licet Praesul ille a S. Rota remotus fuerit, quia in pari honore fuit « conservatus ».

5. – Item, Auditores nationales, uti alibi innui, Nuncii nati erant penes Papam suarum Nationum, ita ut si forte Ambassiador abesset, res Nationis suae tractaret cum Papa nationalis Auditor. – Ast sive Romae apud Papam, sive extra curiam penes Reges Nuncios agerent Auditores, ad soeculum usque XIX, Rotae Auditores manserunt,

[1] et [2] Cfr. vol. II, n. 14, pag. 8.
[3] Cfr. vol. III, pag. 429, n. 332 et pag. 438-439, nn. 338 et 339.

ac in *Diariis* tamquam absentes describebantur in cathalogo Auditorum, non raro enunciando eos abesse quia Nuncios huc vel illuc agebant.

6. – Similiter eisdem committi solemne fuit Urbis Gubernium, vel Rectoriam Romandiolae et Massae Trabariae: hanc iam Papa dedisse Guillermo Durandi, soeculo XIII, ubi visum fuit a curia illum procul constituere, fuse narro in altero huius operis volumine, quo etiam scatet quot ad Urbis Gubernium Rotae Auditores assumpti fuerint. [1]

7. – Ast magis quam ad ista civilia munia et dignitates, Auditorum opera Papae usi sunt ad ecclesiastica munera et dignitates obeunda et portandas. Profecto soeculis XIII et XIV, Auditores causarum s. p. a. seu Rotae, vel Archidiaconi, aut Praepositi, seu Cantores etc. Cathedralium erant: dein ad episcopales sedes tunc et postea semper evehi eos consuevit. Inter hos, honoris causa, heic duo nomina ponam, nempe: Hyeronimus Crispi et Clarissimus Falconerii, qui ambo ad Ravennatensem Archiepiscopatum elati fuerunt, quorum novissimus in odore sanctitatis mortuus est soeculo XIX. [2]

8. – Iisdem soeculis XIII et XIV, immo et XV, Auditores facile inter protonotarios apostolicos, seu notarios apostolicae sedis, accensebantur. Hos inter memorabor Ludovici Pontani, vulgo Romani, et Geminiani Inghirami de Prato. [3]

9. – Adeo autem frequenter saltem Rotae Decano munus consultoris sancti Officii traditum est, ut Auditores sibi persuasum habuerint tandem aliquando, ius acquisitum ipsi Decano fuisse huiusmodi consultoratum habendi: sed eiusdem sententiae non fuit sacra Congregatio s. Officii, quae quoties Decanus Rotae noviter fieret, eidem cedulam nominationis mittebat. Contigit ut Rota, sua innitens mordicus sententia, hac cedula opus non esse palam dixisse: quapropter, re mature discussa, s. Congregatio declaravit solemne esse ut Rotae Decanus assumeretur in consultorem s. Officii, sed ei ius non competere ad hoc officium. [4]

10. – Regentia sacrae Poenitentiariae tradita est saepissime Rotae Decano, vel uni ex Rotae Auditoribus: et etiam ad hoc officium obeundum Rota censuit ius sibi fuisse quaesitum. Ast quamvis totis viribus adnisi sint quovis tempore Auditores ut Papa hoc ius

[1] Vol. II, pag. 330, n. 28.
[2] Ibi, nn. 539 et 643, pag. 215 et 292.
[3] Ibi, nn. 274, 251, pag. 48 et 45.
[4] Vol. III, pag. 620, n. 494 et ARCH. ROT., *Liber s. Rotae* et *Diaria*.

Rotae constitutione perpetuo et firmiter attribueret, obtinuerunt nihil. In II tomo *Privilegiorum*, in *Diario* de Cursiis (Corsi) adhuc extant prolixa memoralia in quibus rationes pro Rota ad hoc ius sibi vindicandum tuendumque effusissimo calamo exponuntur: sed, uti affirmavi, incassum.

11. – Alia etiam eiusdem sacrae Poenitentiariae officia, uti v. g. datariatum et canonistatum, aliquoties collata sunt Rotae Auditori: sed non multa huius collationis exempla prostant. – Attamen tres Rotae seniores Auditores in sacrorum rituum Congregatione sederunt, consultores nati.

12. – Ceterae sacrae romanae Congregationes, praesertim quae vocata fuit Boni Regiminis et alia Fabricae S. Petri, unum vel plures Rotae Auditores consueverunt sibi adsciscere in consultores, vel adsessores. Ast munia haec nunquam Rota habuit promotiones, sed potius sarcinas in servitium sanctae sedis libenter portandas.

13. – Quinimmo et officium secretarii sacrae Congregationis Concilii nunquam a Rotae aestimatum fuit quid melius Rotae Auditoratu, sed quid inferius ob carentiam iurisdictionis. Adeo ut quum contigit aliquem ex Auditoribus ad hoc munus per sanctam sedem assumi, nunquam grates summo Pontifici Rota egit, et si forte ipse Rotae Auditor industria sua id effecisset ut ad illud munus assumeretur, ambitionis eum Rota carpsit; prout factum fuit ubi Gamberini in secretarium Concilii nominatus fuit. Quimmo Secretaria Status nominationem Auditorum ad munus secretarii s. Congr. Concilii vocavit, non promotionem, sed « destinazione ».[1]

14. – Non ita quidem habita fuit assumptio Auditorum ad officium Magistri domus Papae; ideo, cum Auditor factus fuisset Magister domus Pontificis, grates Papae Rota rependidit: uti contigit anno 1804 in promotione domini de Alteriis.[2]

15. – Etiam Datariatus fuit frequentissime Auditoribus Rotae concessus, prout alter volumen huius operis saepius demonstrat.

16. – Denique Rotae Auditoratum fuisse viam regiam, etsi asperam et non brevem, ad cardinalatum, evidenter scatet ex citato meo altero volumine operis. Itaque, in summa, dicendum est, quovis tempore Papas consuevisse ad omnis generis difficiliora munia obeunda et ad celsiores dignitates portandas eligere et assumere Rotae Auditores.[3]

[1] Cfr. vol. III, pag. 631, 632, n. 516 et pag. 687, n. 576.
[2] Arch. Rot., *Diaria*.
[3] Cetera videas in vol. II et in III et in cap. *De Privilegiis Auditorum Rotae*.

17. – Et coronidis ad instar, referre heic praestat quae circa annum 1770 animadvertebant Auditores quum quaestio erat de edenda Clementis XIV constitutione: « L'Uditorato di Rota - scribebant ipsi - « è stato fin dalla sua antica origine compatibile con « qualunque Prelatizio impiego ed Ecclesiastica Dignità, fuori che « con quella del Cardinalato, essendosi sempre ritenuto nelle Nun- « ziature tanto ordinarie che straordinarie, nel Governo di Roma, nel « Datariato, nell'Uditorato del Papa e fino nei Vescovati con titolo « allora di Luogotenente. Cessò questa compatibilità nel Pontificato « di Benedetto XIII in occasione delle note controversie tra Mon- « signor Cerri ed il Cardinale Aldrovandi per la vacanza del Deca- « nato del medesimo tribunale, essendosi allora dichiarato che s'inten- « deva incompatibile l'Uditorato di Rota con altre cariche, come è « stato in appresso fino al giorno d'oggi osservato ». [1]

18. – Profecto non sub pontificatu Benedicti XIII, quo reipsa dictum fuit episcopatum in partibus non obstare quominus Auditor episcopus in partibus, Rotae decanatus adipisceretur (et facto hac de causa Aldrovandus archiep. illo potitus est); sed sub pontificatu Clementis XII, a quo prodiit constitutio « In summi », qua incompatibilitatem praedictam Auditoratui Rotae competere dictum fuit. [2]

19. – Ex tunc quidem mos inolevit Auditoribus Rotae non amplius beneficia conferre, etsi Clementina illa constitutio de beneficiis non agat et Auditores iure fruerentur nedum unum sed et complura etiam incompatibilia beneficia simul eodemque tempore possidendi, prouti concesserat Clemens VII. [3]

20. – Ideo sub die 13 februarii 1770 Rotae Decanus tuto asserere potuit Papae Auditori « non potersi ben comprendere, come « in questi tempi recenti, siasi introdotta la pratica di avere per « incompatibili con gli Uditorati di Rota li Canonicati delle Basili- « che, quando non vi è certamente Costituzione o legge alcuna Pon- « tificia che ciò disponga, e quando in pratica non ha luogo questa « incompatibilità con le Cariche della rimanente prelatura, molte delle « quali distraggono il Prelato dal servizio della Chiesa per tempo « assai maggiore di quello che distrarrebbero un Uditore di Rota, « il quale potrebbe almeno servire la Chiesa sei mesi dell'anno, « giacchè per sei mesi si possono contare le Ferie generali, le Va- « canze di Natale, di Carnevale, di Pasqua e di Maggio ». [4]

[1] Arch. Rot., *Privilegia,* tom. II; *Raccolta di tutte le Memorie,* ecc., fol. volant.
[2] Vol. III, pag. 502, n. 409.
[3] Ibi, pag. 265 ssq., n. 154.
[4] Arch. Rot., *Privilegia,* tom. II; *Raccolta di tutte le Memorie,* ecc., fol. 196.

21. – Quamvis Auditores tunc petiissent ut ab recenter inducto more recederetur, nihil tamen profecerunt: dumtaxat vel occeptum est tunc, vel ex tunc frequentius fieri postea consuevit, ut ipsi assumerentur in Vicarios Capitulorum Basilicarum Urbis, quarum caput esset aliquis ex cardinalibus. Et anno 1853 in comitiis diei 29 aprilis, inter cetera statutum fuit a Rota « quod Vicarii Capitulares suffra- « gium ferre nequirent in causis quae pro Capitulis veniebant ad « sacri Ordinis iudicium. Quod exsecutioni commissum fuit in quadam « causa inter Capitulum S. Petri in Vaticano et Fratres Giorgi; nam « pro reverendis patribus Dominis Bofondi et De Cuppis, suffra- « gium tulerunt reverendi patres Domini De Retz et De Avellà ». [1]

CAPUT LXVII.

De Capellanorum Auditorum Rotae privilegiis.

1. – Cum in III operis tomo fere omnia documenta in lucem ediderim ex quibus ostenduntur quot, qualia et quanta fuerint privilegia Auditoribus Rotae concessa, hic ea explanare necesse non duco, sed dumtaxat ea summatim in unum colligere, indigitatis in nota documentis quae sedulus lector consulat, si lubeat cuiusvis concessionis extensionem et qualitatem funditus noscere. Et hisce praeiactis rem aggrediemur.

2. – Ingentes pro Ecclesia et romani Pontificis servitio labores perferentes, congrua mercede deficiente, iustum honestumque suos Capellanos Auditores causarum honoribus gratiisque prosequi, quovis tempore duxerunt Papae.

3. – Neque mirum igitur si in eorumdem Capellanorum historia caput de privilegiis etsi in novissimo loco collocato, paucis tamen paragraphis non concludatur: neque intellectu facilis res melius describi posset quam chronologiae ordinem servando.

4. – Quapropter initia ab initiis ipsis Capellanorum Auditorum causarum sumens, dicam, eos ex tunc iurisdictionalia insignia sibi sumpsisse, Cappam nempe et Roquetum « sine quibus in loco ubi « resideret Curia in publico ne incederent » Iohannes XXII statuit ac ordinavit, anno 1331. [2] Anno autem 1645 Innocentius X, [3] et

[1] Ibi, *Liber S. Rotae 4*, pag. 280 et 281.
[2] *Ratio iuris*, cfr. vol. III, pag. 69 ssq., n. 50.
[3] Cfr. vol. III, pag. 371, n. 241.

serius Benedicto XIV anno 1743 [1] ac Clemente XIII [2] et Clemente XIV [3] Innocentii X concessionem confirmantibus, concessit Auditoribus ut iisdem vestibus uti possent « ubicumque, coram quibuscumque et « quovis tempore, ... palam ... publice ».

5. – Familiares Papae, domesticos commensales ac Papae et apostolicae sedis speciales ac veros officiarios esse Auditores Rotae declaravit anno 1335 Benedictus XII; [4] prouti serius eamdem declarationem egerunt Martinus V, [5] Eugenius IV, Sixtus IV, Clemens XIII et Clemens XIV.

6. – Quod in S. Rotae Auditores procedi nequiret sine speciali Papae mandato, in claris scriptis dato et cum expressa derogatoria huiusmodi prohibitionis, Tailetti et Berninus asserunt, uterque citans Bullam diei 1 iulii 1349 quam existere autumant in *Archivio Rotae*, n. 7. [6] Ast ego bullam eiusmodi in archivio non reperii. – Verum in Regulis Cancellariae Gregorii XI, hic Pontifex mense iunio 1370 ordinasse legitur « quod nullus iudex ordinarius vel delegatus qua- « cumque auctoritate fungeretur non posset aliquem de Auditoribus « palatii praesentibus et futuris .., suspendere, interdicere vel excom- « municare, quacumque occasione vel causa, ... excepto camerario « domini papae ». [7]

7. – Altaris portatilis privilegium Rotae Auditoribus Bonifacius IX anno 1393 concessit. [8]

8. – Privilegium praelationis in beneficiis contra quemcumque alium praeventorem eisdem Auditoribus concedere voluit Alexander V; sed cum ipse, morte praeventus, rem perficere nequivissit, hanc perfecit Iohannes XXIII anno 1410, [9] quam postea confirmarunt Martinus V, Eugenius IV, Nicolaus V, Calistus III, Pius II, Paulus II, Sixtus IV et Alexander VI, uti videre est suis respective locis, in meo III volumine.

9. – Martinus V eos non esse comprehensos inter romanae curiae officiarios in quos latae fuerunt ab eo poenae et censurae in

[1] Vol. III, pag. 518, n. 419.
[2] Ibi, pag. 572, n. 467.
[3] Ibi, pag. 598, n. 471.
[4] Ibi, pag. 81, n. 53.
[5] Ibi, nn. 70, 467, 471 etc.
[6] Berninus, *La S. R. Rota*, cap. 4, pag. 59; Tailetti, *Breve esposizione*, etc., pag. 6.
[7] Cfr. vol. III, pag. 89 ssq., n. 56.
[8] Ibi, pag. 95, n. 58.
[9] Ibi, pag. 96, n. 60.

constitutionibus anni 1424, declaravit per litteras Vice-Cancellarii, die 14 martii anni 1425. [1]

10. – Praecedendi ius contra apostolicos subdiaconos supranumerarios Auditores receperunt a Pio II anno 1458. [2]

11. – Privilegium expediendi gratis apostolicas litteras eis concessum fuit a Sixto IV [3] et postea confirmatum a Leone X, Paulo III, Clemente X, Clemente XIII et Clemente XIV, uti videre est, suis respective locis, in meo III volumine.

12. – Iulius II anno 1507 eisdem facultatem fecit testandi de fructibus ac proventibus suorum beneficiorum ac ex iisdem provenientibus. [4]

13. – Anno 1525 Clemens VII Rotae Auditoribus concessit privilegium complura vel incompatibilia beneficia retinendi, cum facultate sese habendi cives cuiusvis nationis ad effectum obtinendi quavis in natione beneficia solis civibus concedenda;

14. – item, privilegium per septennium retinendi beneficia sacrum presbyteratum ordinem requirentia, ubi Auditores sacerdotes non essent;

15. – item, absolvendi per se ipsos vel per alios, tamquam Ordinarii, utriusque sexus personas eorum beneficiis subiectas;

16. – item, permutandi vel resignandi beneficia quae possedissent;

17. – item, exemptionis a residentia in beneficiis cum facultate curam animarum per vicarios exercendi;

18. – item, anticipandi vel posticipandi horas canonicas;

19. – item, sibi seligendi confessorem a quo absolverentur a casibus sanctae sedi reservatis, praeter quam offensae ecclesiasticae libertatis, etc.

20. – item, vota commutandi;

21. – item, altaris portatilis;

22. – item, celebrandi antequam elucesceret dies, circa tamen diurnam lucem;

23. – item, celebrandi in locis interdictis;

[1] Vol. III, pag. 117, n. 65.

[2] Ibi, pag 157, n. 89.

[3] Ibi, pag. 183, n. 112. - Adnotat in suo *Diario* CAVALLERINUS sub die 25 novembris 1689: «Rpd. Molines, Auditor s. Rotae Hispanus, obtinuit a Sanctissimo (Alexandro VIII, Papa)... quod Brevia Auditorum Rotae expediantur gratis. Licet enim hoc ipsis Auditoribus in eorum privilegiis a Summis Pontificibus concessis fuerat alias indultum, nihilominus sub pontificatu s. m. Innoc. XI non licuit eisdem Auditoribus hac gratia frui, quam Ss. D. N. benigne restituit».

[4] Ibi, pag. 246, n. 145.

24. – item, sacras Indulgentias stationales, tempore quadragesimae et aliis anni temporibus lucrandi in propria Cappella vel in quavis eligerent ecclesia;

25. – item, utendi et vescendi diebus vetitis, ovis, lacticiniis et, de utriusque medici consilio, carnibus: quod privilegium etiam Auditorum familiaribus, seu Adiutori Studii et Secretis, concessum est;

26. – item, exemptionis ab iurisdictione Ordinariorum;

27. – item, exemptionis a decimis et gabellis:

28. – item, quod concessa Auditoribus privilegia nulla derogatione unquam nulloque in casu revocari, cassari, suspendi aut in aliquo alterari valeant. [1]

29. – Novissimum hoc privilegium, anno 1537 Paulus III confirmans, decrevit privilegiis Auditorum Rotae derogari non posse nisi eorumdem Auditorum ad id expressus accesserit consensus; ac

30. – Auditoribus concessit privilegia et gratias Referendariis Papae et eorum collegio concessa. [2] - Quenam fuerint huiusmodi privilegia, patet ex eorum catalogo a Tailetti [3] publici iuris facto, quem ego heic ad literam transcribam, nempe:

31. – « Paulus tertius, *Debita consideratione*, 30 Iulii 1540...

« Nobilitatis et comitatus Palatinorum et Lateranentium.

« Gestandi arma Pontificia cum insigniis suae domus tam ipsis « quam descendentibus.

« Creandi Notarios.

« Legitimandi bastardos, manseres, nothos.

« Promovendi ad gradus in utroque iure.

« Utendi Mitra, Baculo pastorali, dandi Benedictionem intra Mis- « sarum Solemnia.

[1] Vol. III, pag. 265 ssq., n. 154.

[2] Ibi, pag. 287, n. 160. - Causa huius concessionis videtur in eo fuisse quod unus ex duobus senioribus, alternis vicibus, Auditor Signaturis intererat pro causis Rotae: ideo necesse erat ut eidem Signaturae scriptus fuisset saltem titulo Referendarii. Nisi enim Auditor, cui interessendum erat Signaturae, fuisset Referendarius, necesse habebat Papae licentia ad interessendum (vol. III, pag. 381, n. 260). Quinam esset locus sedendi in Signatura, Rotae Auditori constitutus, referunt saepe Diaria, nempe primus post Decanum Signaturae. Imo narrat ad hoc in suo *Diario* Cavallerinus sub die 7 ian. 1692: « In colloquiis ante Rotam relatum est quod « in Signatura habita 20 decembr. prox. elapsi, discedens Emus Praefectus e Signa- « tura, accessurus ad Congregationem S. Officii, reliquit Praesidentem Dominum « Ursinum, Vice-Decanum (Rotae), ibi assistentem, dicens quod hoc didicerat ab « Alexandro VII, eius patruo, nempe quod quotiescumque Praefectus Signaturae « recedebat, solitus erat delegare vices Auditori Rotae assistenti, imo precatus « est dictus Emus Praefectus ut Dominus Ursinus sederet in eadem sua sede « serica; quod tamen abnuit, et suscepit sedem coraminis similem Votantibus ».

[3] *Relazione di tutti i privilegi*, ecc.

« Exemptionis pro sex vegetibus vini a gabella ripae.

« Exemptionis pro se et suis familiaribus super beneficiis ab « iurisdictione Ordinariorum.

« Gratiarum expectativarum et pluritatis beneficiorum compati- « bilium.

« Retinendi beneficia in quibuscumque provinciis.

« Recipiendi fructus beneficii si absint studiorum causa vel iussu « Pontificis.

« Exemptionis a residentia.

« Eligendi sibi confessarium, qui eos absolvat a casibus etc.

« Habendi Altare portatile et celebrandi ante lucem.

« Consequendi indulgentias stationum urbis per visitationem ali- « cuius altaris a se electi.

« Vescendi butyro, ovis et carnibus de consilio utriusque Medici « in quadragesima.

« Recitandi ordine postposito horas Canonicas.

« Testandi de bonis acquisitis per beneficia.

« Permutandi resignandique beneficia.

« Eorum officium duret ad vitam.

« Deputantur exsecutores Bullae.

« Clemens nonus, *Egregii dilectorum*, die XIV Martii 1668. Ut « domi habere possint privatum Oratorium visitandum in Urbe a « Cardinali Vicario, extra ab Ordinariis, extructum muro, ornatum, « liberum ab usibus domesticis, in quo celebrent vel ipsi vel cele- « brare faciant sine praeiudicio iurium Parochialium solitis diebus « exceptis.

« Obtinendi pro se et pro duobus suis familiaribus litteras expe- « ditionum Apostolicarum gratis.

« Innocentius decimus secundus, *Inter gravissimas,* XII Kalend. « Augusti 1695.

« Ut autem maius decus addatur his votantibus vult, ut quoties « ad sessiones Signaturae venient, induant Cappam Magnam.

« Ubique autem Rocchettum gestari possint.

« Clemens decimus primus, *Romanus Pontifex*, die 28 Mar- « tii 1701.

« Concedit facultatem iis transferendi pensiones super beneficiis « Ecclesiasticis reservatas vel reservandas usque ad summam Scu- « torum Centum, dumtaxat ad favorem unius vel plurium persona- « rum Ecclesiasticarum cum interventu alicuius personae Ecclesia- « sticae in mortis articulo.

« Benedictus decimus tertius, *Romani Pontificis*, die 12 Iulii 1727.

« Ut de caetero gestent quibuscumque in locis et functionibus « redimiculum galeri, vulgo cordone, coloris violacei.

« Clemens decimus secundus, *Creditae Nobis*, die XXV Iunii 1731.

« Concedit siquidem iis privilegium gestandi mantellum magnum « et pileum Pontificale cum suis ornamentis in publicis equitationibus, « ut gaudent Capellani Pontificii, et Causarum Palatii Apostolici « Auditores, et Clerici Praesidentes Curiae ».

32. – Item, privilegium singulis annis pro eorum usu et victu quindecim vegetes vini ex Ripa vel aliunde percipiendi ac habere, sine solutione alicuius dohanae seu gabellae.

33. – Privilegium praecedendi protonotarios apostolicos non participantes, concessit eisdem Auditoribus Sixtus V anno 1585.[1]

34. – Urbanus VIII eosdem Auditores habiles fecit ad vestes induendas ac privilegiis fruendum Militiae christianae, seu ordinis militaris cui inscribi consuevit natu nobiles personas cuiusvis Nationum, qui serius appellatus fuit « Milizia della Congregazione di Maria Vergine ».[2]

35. – Anno autem 1655 ab Alexandro VII creati subdiaconi apostolici, Auditores obtinuerunt privilegia suppressorum subdiaconorum cum privilegio utendi vestibus violaceis et redimiculo galeri eiusdem coloris. Quae confirmarunt serius Clemens X, Clemens XIII, Clemens XIV, uti videas, suis respective locis in meo III volumine.

36. – A Clemente X praeter confirmationem plurium privilegiorum - uti innui suis locis - obtinuerunt Auditores Rotae custodiam sacrorum Palliorum eisdem iam datam ab Alexandro VII et emolumenta quae idem Alexander constituerat canonicis altaristis S. Petri.[3]

37. – Privilegium resignandi pensiones usque ad 200 ducatorum auri de Camera summam, concessit eis Clemens XI anno 1716.[4]

38. – Benedictus XIV praeter ampliationem usus Roqueti - uti supra innui - concessit Auditoribus privilegium pontificalem functionem celebrandi quotannis inter octedium ss. Petri et Pauli ad S. M. in via Lata.[5]

39. - Privilegium Oratorii domestici pro quovis loco eisdem concessit Clemens XIII anno 1762.[6]

[1] Arch. Rot., *Privilegia*, tom. II; *Raccolta di tutte le memorie*, etc. fol. 145t.
[2] Ibi.
[3] Cfr. vol. III, pag. 421, n. 317.
[4] Ibi, pag. 472, n. 399.
[5] Arch. Rot., *Diaria*.
[6] Vol. III, pag. 572, n. 467.

40. - Privilegium exemptionis ab examine si Auditores ad sacros Ordines

41. – et ad Episcopatum promoverentur, eis concessit Clemens XIV, anno 1770 qui insuper eisdem facultatem fecit

42. – legendi, retinendi, prohibitos libros, eosque legendi ac retinendi facultatem faciendi suis Studiis Adiutoribus

43. – complura privilegia retinendi si emeriti renunciarentur.[1]

44. – Denique, Clemens VIII Auditoribus concessit donativum 100 scut. aur. quolibet anno, quae in prandio mensis iulii Auditoribus data sunt ad annum usque 1694, quo ablato prandio, in eius loco data fuerunt Auditoribus duo numismata, aureum unum, alterum vero argenteum. Decano autem duplicatum habuit donativum et numismata, prouti retuli *in cap. de Decano.*

45. – Tres seniores Auditores consultores fuerunt sacrae Rituum Congregationis.[2]

46. – Consueverunt Auditores assumi in complurium sacrarum Congregationum consultores, praesertim R. Fabricae, Immunitatis, Subsidiorum, Consistorialis, Reformationum Tribunalium etc.

47. – Regentia s. Poenitentiariae passim fuit Decano Rotae vel alicui alii ex Auditoribus concessa - item et eiusdem s. Poenitentiariae Dataria.

48. – In romana Sapientia unus ex Rotae Auditoribus fuit Camerarii Locumtenens.

49. – Benedictioni « *Agnus Dei* » assistebant ac dono recipiebant olim 600, serius 212 « *Agnus Dei* ».

50. – In missis pontificalibus Papae, etsi subdiaconatus sacro ordine non essent potiti, Subdiaconum agebant - eorum novissimus in capellis papalibus crucem deferebat - fimbrias vestium Papae sustinebant, induebantque vestibus - in gradibus pontificii solii sede-

[1] Cf. vol. III, pag. 598, n. 471.

[2] Hoc et sequentia privilegia asserta inveniuntur in *Diariis Rotalibus* et in ceteris fontibus a Tailetti, l. c. recensitis. In *Libro S. Rotae* sub die 20 sept. 1781 (pag. 518-519) Decanus adnotat: « De mane, hora 15, intimata fuit solemnis Beatifi- « catio ven. Card. Barbadico in Basilica S. Petri, interessentibus ... Cardinalibus « S. Rituum Congr. consultoribus... Inter quos non solum convenerunt tres ex « Rotae senioribus Auditoribus, nempe Rpd. Olivatius, Rpd. Frangipanus et ego « tamquam Decanus, sed interfuit etiam Rpd. meus Cornelius, qui cum esset cau- « sae Postulator, ne aliqua dissentio oriretur super praecedentia cum Capitulo, fuit « pro illa tantum die consultor a Ssmo declaratus ». In eodem *Libro S. Rotae 2* (pag. 648-649) refert Decanus, Secretariam Status anno 1764 domino Rattae (cui antianitas ius dabat sedendi inter S. Rituum Congregationis consultores) schedulam nominationis misisse: quam Ratta recusavit et Decanus delere fecit a libris eiusdem Secretariae.

bant - bullam *in Coena Domini* legebant - item et bullam indictionis anni sancti - *Alleluia magnum* in sabbato sancto annunciabant Papae - ac in Domini Nativitate, Papae *Te Deum* intonabant - eidem die Cinerum, cineres benedicendos obferebant.

51. - Locum habebant in oecumenicis conciliis quibus Papa praesedisset.

52. – In conclave ipsis commissa fuit custodia trium rotarum per quas cardinalibus alloqui potest.

53. – A novo Papa donativum recipiebant 200 scutat. auri.

54. Papa solemnem possessionem accipiente, Auditores Rotae eumdem expectabant, subdiaconalibus vestibus induti, ad s. Ioannis ad Lateranum.

55. - Si Rota haberetur coram Sanctissimo, Auditores cappis utendi privilegio fruebantur.

56. – In cubiculis Papae bireto utebantur Auditores.

57. – Foris domui habitationis suae Auditores insignia Pontificis sedentis in trono, et Auditores nationales etiam suorum Principum, collocabant.

58. – Ubi vestibus praelatitiis induerentur, privilegio fruebantur habendi secum Cappellanum,

59. – et in maioribus solemnitatibus a tribus famulis comitabantur.

60. – Equorum pilos in sertum nectendi diebus galae, privilegio item fruebantur.

61. – In morte Pontificis vestes lugubres recipiebant ab apostolica Camera,[1] quibus in novendialibus vestiebantur superinduentes Mantellonum ac in Basilica s. Petri sedebant in scamnis beneficiatorum illius Basilicae.

62. – Denique quum Auditor Rotae vitam cum morte commutasset, illius cadaver domi per biduum super feretrum nobili cultrice coopertum exponebatur, quatuor cereis trium librarum circumdantibus et ad pedes locato galero quo utebantur Auditores in cavalcatis: domus autem illius custodiebatur ab aliquot militibus vulgo «*granatieri*». Cadaver illius, si fuisset sacerdos, domi induebatur mantellono et in ecclesia planeta violacea aureis distincta ornamentis; si vero clericus fuisset in minoribus, domi mantelletta, et in ecclesia mantellono. Deferebatur cadaver ad ecclesiam prima hora noctis,

[1] Hoc privilegium sustulit Clemens XII chirografo «pro reformandis et ordi«nandis expensis tempore Sedis vacantis» neque Rotae Auditoribus amplius fuit concessum deinceps (*Liber S. Rotae 2*, pag. 357, 360).

clero et militibus ac amicis comitantibus, ac insequentibus duobus curribus defuncti Auditoris qui mane insequenti ad fores templi manebant per totum tempus quo funebria durassent. Templum nigris et auratis olosericis exornabatur, ac cadaver in medio collocabatur super lectum circa quod 40 cerei ardebant trium librarum et quatuor librarum : quatuor angulis stabant quatuor « *Palafrenieri* » in curtis cum sericeo mantello insignia defuncti deferentes, quae item collocabantur super portam templi. Pro Auditoribus Rotae erigebatur specialis « *bancata* » super duos ligneos gradus : alia humilior pro procuratoribus et officialibus Cancellariarum Rotae. Pompa haec rigorose observanda erat, neque immutari poterat nisi de licentia, ab ipso summo Pontifice obtinenda.

63. – Quaedam alia privilegia quibus gavisi sunt Auditores Rotae, facile colliget lector ex documentis quae in lucem edo in tertio huius mei operis tomo. Inibi, inter cetera, videbit nonnullos fuisse Auditores qui, christianae humilitatis sensu ducti, tam solemnes funebrium pompas sibi recusarunt.

6251